BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM
CONVENTUS
CIVIT. BENITIÆ
Lit. F. 8.
Pl. 6

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/deimpedimentiset0000unse

DE

IMPEDIMENTIS ET DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS.

PROPRIÉTÉ.

Les formalités prescrites par la loi ont été remplies.

DE IMPEDIMENTIS

ET

DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS.

IN USUM AUDITORUM SUORUM

TERTIO EDIDIT

HENRICUS JOANNES FEIJE,

SANCT. SUAE PRAEL. DOMESTIC., CONC. VATIC. CONSULTOR, PATRIBUS
PRO DISC. ECCL. DEPUTATIS A SECRETIS,
S. THEOL. ET SS. CANN. Dr, IN UNIV. CATH. LOVAN. JUR. CAN. PROF. ORD.

Property of
COSA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

LOVANII,
TYPIS CAROLI PEETERS,

1885

APPROBATIO.

Opus, quod inscribitur, De impedimentis et dispensationibus matrimonialibus. *In usum auditorum suorum tertio edidit* Henricus Joannes Feije, *Sanct. Suae Prael. domest. Conc. Vatic. Consultor, Patribus pro disc. eccl. deputatis a secretis, S. Theol. et SS. Cann. Dr, in Univ. Cath. Lovan. jur. can. prof. ord.* ex auctoritate Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Archiepiscopi Mechliniensis et legum academicarum praescripto recognitum, quum fidei aut bonis moribus contrarium nihil continere visum fuerit, imprimi potest.

Datum Lovanii, 19 Novembris 1884.

C. F. J. PIERAERTS,
Rector Univ.

PRAEFATIO EDITIONIS A. 1867.

Quod septemdecim annis foliis, quae vocant, autographicis in usum auditorum praestiti, id hoc libro typis impresso praestare volui. Auditorum usui destinatus liber iste prodit in lucem vix publicam exiguo exemplarium numero.

Quia de solis impedimentis et dispensationibus matrimonialibus agit, plura ad matrimonium universim spectantia in eo desiderantur vel paucioribus verbis expediuntur.

Quum vero auditorum proprio deinde studio his rebus incumbentium utilitati liber inservire debeat, plures passim congeruntur scriptores, quaestiones et opiniones non paucae brevius exponuntur vel indicantur, rationes non semper vel non omnes afferuntur, et saepe vix aut ne vix quidem ponderantur. Haec enim aliaque hujusmodi oretenus explicantis ope supplenda erant, ne lectores potius haberentur oretenus tradentis auxilio non indigentes.

Publicis conspectibus tradendus liber majorem formae stylique ornatum postulasset, nunc vero sufficiebat non sordidus honestisque familiaribus intra domesticos parietes non indignus habitus. In fine voluminis quaedam corrigenda vel supplenda notantur.

Scribebam Lovanii, in die festo sanctorum martyrum Gorcomiensium, MDCCCLXVII.

PRAEFATIO EDITIONIS A. 1874.

Quamquam altera haec editio multo labore fuit in meliorem formam redacta, plurimaque accepit incrementa, idem tamen fere libro character manet, quem in prioris editionis praefatione indicavi. Nonnemo forte deprehendet me recentem quemdam auctorem nullibi citasse; sciat autem me id destinato consilio fecisse. Auctor enim ille pluribus sui operis locis nimis liberaliter usus est foliis meis autographicis. At non ubique feliciter. Quum enim familiares ei non essent libri in Germania editi, non solum singulariter corrupit nomina auctorum atque locorum; verum etiam nomina locorum, ubi opera fuerunt typis expressa, habuit pro nominibus aliorum auctorum. Dixeram ex. gr. « Schulte » et post titulum operis « Giessen; » item « Binder, » et post operis titulum « S. Poelten. » Sic autem alicubi scribit recens ille auctor: « Plerique theologi, quos inter... Giessen, Phillips, Ginzel, Binder, Poetten... affirmant. »

Scribebam Lovanii, in die festo sanctorum martyrum Gorcomiensium. MDCCCLXXIV.

PRAEFATIO HUJUS TERTIAE EDITIONIS.

In hac editione paranda praecipua cura fuit ut novissima Sedis Apostolicae rescripta colligerem et suis locis apte referrem. Ceterum pauca tantum habeo monenda. Ac primo quidem auctorem, de quo in secundae editionis praefatione sum conquestus, esse Ill. Septimium Mariam Vecchiotti, in *Tract. Canonico de matrimonio*, edito Taurini anno 1868. Quod nunc animadverto ne alius, ut factum fuit, in suspicionem vocetur. Magnum deinde operis mei defectum dolere debeo, quod nempe materiarum indicem peculiarem non habet. Sed ei conficiendo tempus, aliis laboribus impendendum, non suppetebat. Proxima, siqua succedat, editio indicem illum continebit.

Scribebam Lovanii, in die festo S. Francisci Assisiatis, anno MDCCCLXXXIV.

CAPUT I.

DE POTESTATE STATUENDI IMPEDIMENTA MATRIMONII.

1. Impedimenta matrimonii alia licitam tantum (impedimenta impedientia seu prohibentia), alia validam quoque matrimonii celebrationem (impedimenta dirimentia) impediunt. Quaestio autem quae est de potestate statuendi impedimenta matrimonialia potissime concernit dirimentia. In hoc primo capite soli Ecclesiae eam competere demonstrabitur quoad matrimonia christianorum; nequaquam vero principibus civilibus; quibus an saltem sit potestas statuendi impedimenta dirimentia pro matrimoniis infidelium, vel impedientia pro matrimoniis etiam fidelium, brevius deinde indagabitur. Praecipuam quaestionem modo indicatam praeparabunt quaedam notiones circa dogmaticas definitiones aliaque in re matrimonii documenta, et historia errorum circa potestatem de qua agitur. Sedulo autem observa, ubi de impedimento dirimente sermo est, non agi de effectibus civilibus, sed de vinculo matrimonii, quod absente impedimento existit, praesente impedimento non existit.

§ 1. *Notiones praeviae et historia errorum.*

2. Fidei catholicae dogma est, matrimonium esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae Sacramentis a Christo Domino institutum (1). Dogma etiam fidei catholicae est, non eos

(1) Vid. Conc. Trid. Sess. XXIV, can. 1 De Sacr. matr.

tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum; et posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant et dirimant (1). Item, Ecclesiam potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, atque in iis constituendis non errasse (2). Dogma quoque fidei catholicae est, causas matrimoniales spectare ad judices ecclesiasticos (3). A Tridentino Concilio definita haec fuerunt contra haeresiarchas saeculi XVI, qui negabant matrimonium esse Sacramentum, et Ecclesiam habere potestatem statuendi impedimenta matrimonii dirimentia, ac civilibus principibus agnoscebant potestatem in matrimonium, utpote contractum civilem seu profanum (4).

3. Post Concilium Tridentinum Marcus Antonius de Dominis (5), asserens matrimonium esse contractum humanum et corporalem, docuit causas matrimoniales non posse jure divino pertinere ad potestatem ecclesiasticam, utpote totam in se spiritualem, idque etiamsi poneretur matrimonium esse Sacramentum. Ex quo deducebat, ad solos civiles principes spectare potestatem statuendi impedimenta dirimentia, nullatenus vero ad Ecclesiam, nisi forte ex indulgentia principum.

4. Saec. XVII Joannes Launoius (6), quem alii plures sunt secuti, admittens matrimonium esse Sacramentum, asseruit rationem

(1) Ib. can. 3.

(2) Ib. can. 4.

(3) Ib. can. 12.

(4) Cf. (Moser) *De impedimentis matrimonii*, c. 20, n. 7 sqq., Perrone. *Prael. theol.* de matr. n. 156, 176, 187, *De matr. christiano* ed. Rom. 1858, t. 2, p. 33, 62 sqq.

(5) In prohibito opere *De republica ecclesiastica*, l. 5, c. 11. Cf. Moser l. c. n. 11, Perrone, *Prael. theol.* de matr. n. 157, *De matr. christ.* l. c. p. 33.

(6) In prohibito opere *De regia in matrimonium potestate*. Cf. Moser l. c. n. 12, Perrone, *Prael. theol.* de matr. n. 157, *De matr. christ.* l. c. p. 33 sq.

Sacramenti accedere civili contractui, et idcirco solis principibus civilibus esse jus proprium statuendi impedimenta dirimentia, Ecclesiae vero nonnisi ex concessione vel conniventia principum: canones autem 3 et 4 supra n. 2 allatos non esse dogmaticos, ac praeterea in iis nomine Ecclesiae indicari principes civiles.

5. Plures deinde alii solis principibus civilibus illam potestatem asseruerunt, missa quidem Launoii interpretatione canonum Tridentinorum, scribentes tamen in iis saltem non fuisse determinatum utrum haec potestas sit Ecclesiae divinitus, an vero ex indulgentia principum sive expressa sive tacita. Praecipui fuerunt in Germania Oberhauser et Petzek, in Belgio Leplat, in Italia Litta, Tamburini, Nesti (1). Eadem perversa doctrina fuit per imperantes civiles in praxim deducta versus finem saec. XVIII, ex. gr. in imperio Austriaco per leges Josephi II.

6. Pseudo-synodus Pistoriensis hunc quoque errorem adoptavit; quid autem ipsa asseruerit innotescit ex Pii VI const. *Auctorem fidei*, in qua haec legitur ejus propositionum condemnatio:

« LIX. Doctrina synodi asserens, *ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quae ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia*, quod *jus originarium* praeterea dicitur cum *jure dispensandi essentialiter connexum*, subjungens, *supposito assensu, vel conniventia principum potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii*,

Quasi Ecclesia non semper potuerit, ac possit in christianorum matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare,

Canonum 3, 4, 9, 12 Sess. 24. Concil. Trid. eversiva, haeretica.

(1) Cf. Perrone, *Prael. theol.* de matr. n. 160, *De matr. christ.* l. c. p. 34 sqq.

LX. Item rogatio synodi ad potestatem civilem ut *e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud, quod dicitur publicae honestatis, quorum origo reperitur in collectione Justiniani,* tum ut *restringat impedimentum affinitatis, et cognationis ex quacumque licita, aut illicita conjunctione provenientis, ad quartum gradum juxta civilem computationem per lineam lateralem, et obliquam, ita tamen, ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendae,*

Quatenus civili potestati jus attribuit, sive abolendi, sive restringendi impedimenta Ecclesiae auctoritate constituta, vel comprobata, item qua parte supponit Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse jure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis, vel comprobatis,

Libertatis, ac potestatis Ecclesiae subversiva, Tridentino contraria, ex haereticali supra damnato principio profecta. »

7. Ab eo inde tempore multi passim sparserunt ejusmodi errores, novissime vero Franc. de Paula G. Vigil (1) et Joann. Nepom. Nuytz (2), quorum opera fuerunt a Sede Apostolica condemnata. Prior ille « potestatem qua Ecclesia donata est a suo Divino Institutore, stabiliendi impedimenta matrimonium dirimentia a principibus terrae dimanare tuetur, eamque Christi Ecclesiam sibi arrogasse impie affirmat (3). » Pariter in Nuytzii operibus : « Plura quoque de matrimonio falsa asseruntur : Nulla ratione ferri posse Christum evexisse matrimonium ad dignitatem Sacramenti ; matrimonii Sacramentum non esse nisi quid contractui accessorium, ab eoque separabile, ipsumque Sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm esse : jure naturae matrimonii vinculum non esse indissolubile : Ecclesiam non habere

(1) *Defensa de la autoridad de los Gobiernos*, cet. Lima 1848.

(2) *Juris ecclesiastici institutiones*, et *In jus ecclesiasticum universum tractationes.*

(3) Pius IX in brevi *Multiplices inter* 10 junii 1851. Huc spectat etiam Syllabi anni 1864 n. 68.

potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed eam civili potestati competere a qua impedimenta existentia tollenda sint; causas matrimoniales, et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinere; Ecclesiam sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepisse, non jure proprio sed illo jure usam, quod a civili potestate mutuata erat : Tridentinos canones (Sess. 24, de matrim. c. 4), qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non esse dogmaticos, vel de hac mutuata potestate intelligendos. = Quin addit = Tridentinam formam sub infirmitatis poena non obligare ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere : Bonifacium VIII votum castitatis in Ordinatione emissum nuptias nullas reddere primum asseruisse (1). » Paulo post Pontifex eumdem auctorem vituperans dicit : « de matrimonii natura, ac vinculo falsa sentit, ac docet, et jus statuendi, vel relaxandi impedimenta dirimentia Ecclesiae denegat, et civili addicit potestati. »

8. Erroribus a Launoio aliisque assertis sequentes opponuntur propositiones.

1° Certum est et fidei proximum, citatos canones Tridentinos 3 et 4 esse dogmaticos; dicere vero, eos non esse dogmaticos sed tantum disciplinares, falsum est et haeresi proximum (2).

9. 2° Certum est et fidei proximum, Tridentinum in citatis canonibus nomine Ecclesiae intellexisse potestatem hierarchicam;

(1) Pius IX in brevi *Ad Apostolicae Sedis* 22 aug. 1851. Huc spectant etiam Syllabi anni 1864 nn. 65-74.

(2) Cf. Petri Deodati. *Defensio Tridentinorum canonum de Ecclesiae potestate in dirimentia matrimonium impedimenta*, Hierap. 1786 cap. 1, § 5, c. 3. et ejusdem op. *Nuova difesa* cet. 1788, propos. 1 et 4, card. de Frankenberg in *Judicio doctrinali* 26 junii 1789, Perrone, *Prael. theol.* de matr. n. 178 sqq., et *De matr. christ.* l. c. p. 45 sqq., J. P. Martin, *De matrimonio et potestate ipsum dirimendi Ecclesiae soli propria,* Lugd. 1844 P. 1, p. 467-469, qui tamen excedere videtur haereticam dicendo hanc doctrinam.

falsum vero est et haeresi proximum, dicere Concilium non intellexisse potestatem hierarchicam, sed Ecclesiam lato sensu sumptam, maxime vero principes civiles (1).

10. 3° Dogma fidei catholicae est, Ecclesiam jure proprio habere potestatem statuendi impedimenta matrimonium dirimentia; haereticum vero est dicere, eam hanc potestatem non habere jure proprio, sed ex consensu vel concessione seu conniventia principum civilium (2).

11. 4° Dogma fidei catholicae est, causas matrimoniales spectare ad judices ecclesiasticos; haereticum vero est hoc negare (3). Causae autem matrimoniales intelliguntur, non eae quae civiles effectus concernunt, sed spirituales, eaeque potissimum quae vinculum respiciunt.

12. 5° Certum saltem est ejusmodi causas matrimoniales *omnes* spectare ad *solos* judices ecclesiasticos (4). Gravissimis hisce verbis utitur Pius VI in litt. 16 sept. 1788 ad ep. Motulensem (5) :

(1) Cf. Deodati, *Defensio*, c. 1 § 3, c. 2, *Nuova difesa*, prop. 2, card. de Frankenberg, l. c., Perrone, *Prael. theol* de matr. n. 171 sqq., *De matr. christ.* l. c, p. 60 sqq., Martin l. c., p. 469-474, qui et hanc doctrinam, non recte tamen, uti videtur, vocat haereticam.

(2) Vid. sup. n. 2, coll. n. 7. Cf. Deodati, *Defensio*, c. 1 § 6 sqq., c. 4, 5, 6, *Nuova difesa*, prop. 3, 5, 6, 7, Moser, op. cit. c, 21, Perrone, *Prael. theol.* de matr. n. 197 sqq., *De matr. christ.* l. c. p. 70 sqq.,Martin l. c. p. 474 sqq., Pius VI in litt. 2 febr. 1782 ad archiep. Trevirensem (ap. Moser, Append. n. 10), et in bulla *Auctorem fidei*, ubi damnat prop. 59 Pistoriensem (sup. n. 6). In damnanda autem Pistoriensi prop. 60 eamdem doctrinam vocat haereticale principium. Ibi igitur a Pio VI non dicitur haereticale principium doctrina quae principi civili agnoscit potestatem propriam statuendi impedimenta dirimentia, sed ea quae Ecclesiae illam propriam esse negat; quare hoc sensu intelligantur verba quibus utitur Perrone, *Prael. theol.* de matr. n. 171.

(3) Vid. sup. n. 2.

(4) Cf. Moser, c. 24 n. 2 sqq., Perrone, *Prael. theol.* de matr. n. 251 sqq., *De matr. christ.* l. c. p. 180-198, Martin l. c. p. 452, Anton. Heuser, *De potestate statuendi impedimenta dirimentia*. Lov. 1853, p. 53 sqq.

(5) Ap. Moser, Append. n. 13.

« Dogma etenim fidei est, ut matrimonium, quod ante adventum Christi nihil erat nisi indissolubilis quidam contractus, illud post Christi adventum evaserit *unum ex septem legis evangelicae Sacramentis a Christo Domino institutum*... Hinc fit ut ad *solam* Ecclesiam, cui tota de Sacramentis est cura concredita, jus omne ac potestas pertineat suam adsignandi formam huic contractui, ad sublimiorem Sacramenti dignitatem evecto, ac proinde de matrimoniorum validitate, aut invaliditate judicium ferre; quod tam planum est atque perspicuum, ut sancta et universalis Synodus cupiens *occurrere temeritati* eorum, qui *scripto et verbo* asseruerunt, ut etiam nunc multi asserunt, *ab Ecclesiae catholicae sensu, et ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena,* peculiarem alium canonem addendum sibi esse duxerit, quo universim declararet, atque sanciret, ut *si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos,* anathema sit. Ignotum Nobis non est, quosdam adesse, qui saecularium principum auctoritati plus nimio tribuentes, et verba hujus canonis captiose interpretantes, illud defendendum susceperunt, ut quoniam Tridentini Patres hac dicendi formula usi non fuerint, *ad solos judices ecclesiasticos,* aut *omnes causas matrimoniales,* potestatem reliquerint judicibus laicis cognoscendi saltem causas matrimoniales, quae sunt *meri facti.* Sed scimus etiam hanc captiunculam, et fallax hoc cavillandi genus omni fundamento destitui. Verba enim canonis ita *generalia* sunt *omnes* ut causas comprehendant, et complectantur. Spiritus vero sive ratio legis adeo late patet ut nullum exceptioni, aut limitationi locum relinquant: si enim hae causae non alia ratione pertinent ad unum Ecclesiae judicium, nisi quia contractus matrimonialis est vere et proprie unum ex septem legis evangelicae Sacramentis, sicut haec Sacramenti ratio communis est *omnibus* causis matrimonialibus, ita *omnes* hae causae spectare *unice* debent ad judices ecclesiasticos, cum eadem ratio sit in omnibus, ut concors est canonistarum sententia, ne iis quidem exceptis, quos minime favere Ecclesiae juribus satis superque eorum scripta de-

monstrant. » Initio autem harum literarum dicit Pius VI se loqui tamquam « qui jus habet suprema Christi ipsius auctoritate sibi collatum docendi et confirmandi. »

Et Pius VII in brevi *Etsi Fraternitatis* 8 oct. 1805 ad archiep. Moguntinum (1) scribit: « Alterum vero est: sententiam laicorum tribunalium et acatholicorum conventuum, a quibus praesertim matrimoniorum nullitas declaratur, eorumque vinculi attentatur dissolutio, nullum robur vimque nullam penes Ecclesiam consequi posse. Nam praeterquam quod ad ecclesiasticos judices privative spectat, de hujusmodi causis judicium ferre, prout est a Trid. synodo speciali canone sancitum, » cet.

13. Ex citatis textibus, et praesertim Pii VI verbis ad ep. Mutinensem, patet causas matrimoniales *omnes* ita spectare ad *solos* judices ecclesiasticos, ut quotiescumque non agitur de mere civili effectu, nequaquam ad laicam potestatem pertineant. Solus igitur judex ecclesiasticus competens est, non solum si in quaestionem adducatur vinculi validitas vel invaliditas, sed de quovis agatur momento spirituali. De sponsalibus quoque sic loquitur Pius VI in cit. const. *Auctorem fidei*, ubi damnat prop. 58 Pistoriensem: « Propositio, quae statuit sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, cademque civilium legum praescripto omnino subjacere; — Quasi actus disponens ad Sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri Ecclesiae, — Falsa, juris Ecclesiae quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes laesiva, disciplinae ab Ecclesia constitutae derogans (2) ».

14. Quia hujusmodi causae matrimoniales omnes ad solos ecclesiasticos judices spectant, idcirco, ut sua principiis vis sit, judiciorum ordo is esse debet, ut de iniți conjugii vel sponsalium

(1) Ap. de Roskovany, *Monumenta catholica pro independentia potestatis ecclesiasticae ab imperio civili*, t. 2, Quinque-Eccles. 1847, p. 86 sqq.

(2) Cf. etiam Ben. XIV, *De synodo dioecesana*, l. 9. c. 9. n. 4, et Perrone, *De matr. christ.* l. c. p. 192 sqq.

firmitate, ac de jure instituendi divortium quoad torum et cohabitationem, in solo ecclesiastico foro disceptetur, atque illae causae quae directe et immediate res politicas et temporales respiciunt, ex. gr. lites de dote, donatione propter nuptias, haereditaria successione, ita a civili judice pertractentur, ut, si quaestio incidat de jure connubii, ipse supersedeat atque incidentem causae articulum ad ecclesiasticum judicem examinandum remittat (1).

15. Ast in multis regionibus graviter laesa fuerunt ac porro laeduntur Ecclesiae jura in re matrimoniali, imo inductum est matrimonium, ut vocant, civile, atque de ipso quoque vinculo leges fert, judicat et pronuntiat civilis potestas. Contra teterrimum istud nostrorum temporum malum non desinit Sedes Ap. fideles monere, et catholicam doctrinam iis in memoriam revocare (2). Imo inter quaestiones aliquo ante Conc. Vaticanum tempore, nempe 6 junii 1867, omnibus Episcopis a Sede Apostolica per S. Congr. Concilii propositas, ut iis intra tres vel quatuor menses responderent, tertia haec erat : « Quaenam adhiberi possent remedia ad impedienda mala ex civili quod appellant matrimonio provenientia? »

16. Hucusque actum est de nonnullis doctrinis juxta omnes catholicos auctores jamdiu prorsus prohibitis. Sed non pauci

(1) Cf. Ben. XIV, l. c. n, 3 sqq,

(2) Recentius Pius IX in litt. 19 sept. 1852 ad regem Sardiniae (inf. n. 53; textum italicum habes in op. *Acta SS. D. N. Pii Papae IX, ex quibus excerptus est Syllabus editus die VIII dec. MDCCCLXIV*, Roma. 1865, p. 104 sqq. et in op. *Recueil des allocutions... citées dans l'Encyclique et le Syllabus du* 8 *déc.* 1864, Par. 1865, p. 312 sqq.), in Allocut. 27 sept. 1852 (inf. n. 54), S. Poenit. in Instruct. 15 januar. 1866 (haec *Instr. S. Poen. Ap.* 15 *januar.* 1866 *circa contractum, quem matrimonium civile appellant* italice, una cum versione latina, est ap. *Acta S. Sedis*. t. 1, p. 508 sqq., gallice versa ap. *Anal. jur. Pont.* ser. 8, col. 2167 sq., *Nouv. rev. théol.* t. 2, p. 582 sqq.), et SS. D. N. Leo XIII Encycl. *Inscrutabili* 21 apr. 1878, litt. ad archiepp. et epp. ecclesiasticarum provinciarum Taurini, Vercellae et Genuae 1 junii 1879, Encycl. *Arcanum* 10 febr. 1880.

corum qui rectam in praecedentibus doctrinam tuentur, civili etiam principi potestatem tribuunt statuendi impedimenta matrimonium dirimentia. Imprimis quidem communius ipsi catholici auctores hanc principis potestatem defendunt quod spectat ad matrimonia infidelium seu non baptizatorum; de hoc autem postea dicetur (1). Sunt vero etiam auctores catholici, qui contra communem aliorum doctrinam sustinent, non soli Ecclesiae, sed civilibus quoque principibus esse potestatem statuendi impedimenta dirimentia pro matrimoniis fidelium. Quorum quidem alii docent ex rei natura principes eam habere potestatem, sed sive ob Christi Domini voluntatem, sive ob reservationem factam ab Ecclesia, eam actu non habere; alii vero docent actu quoque eam hodie principes habere eaque uti posse. Posteriorem hanc doctrinam recentius praecipue sustinuit Jos. Carrière, presbyter seminarii S. Sulpitii (2). Mox vero patebit saltem falsam esse doctrinam quae principibus hanc potestatem agnoscit pro matrimoniis fidelium (3). Quamquam autem Carrerius postea doctrinam suam laudabiliter rejecit, utpote Sedis Ap. traditioni non conformem (4), operae tamen pretium est eam exponere et refellere, quia ejus argumentis alii subinde utuntur ad sustinendam doctrinam, quae his maxime temporibus est in magnum rei sacrae detrimentum.

17. Expositio doctrinae olim a Carrerio propugnatae requirit, ut primo referantur ab eo scripta de auctoribus, secundo dicatur de ejus procedendi modo, de gradu verisimilitudinis vel certitudinis ab eo utrique opinioni attributo, et de latissimis sequelis ad quas suam extendebat. Subjicientur denique argumenta, qui

(1) N. 67 sqq.

(2) In op. *De matrimonio*, Paris. 1837.

(3) Ea de re vid, Moser c. 23 sq., Diodati, *Nuova difesa*, prop. 7-10, *Forza difesa de' canoni Tridini*, part. 1, sect. 1 et 2, Perrone, *Prael. theol.* de matr. prop. 5, *De matr. christ.* od. cit. t. 2, p. 24-32, 42-45, 345-396, 470 sqq., Martin et Heuser, opp. citt.

(4) Vid. inf. n. 55 sq.

bus probatur soli Ecclesiae competere potestatem statuendi impedimenta dirimentia pro matrimoniis fidelium, et refutabuntur argumenta in contrarium adducta.

18. De auctoribus scribebat Carrerius, non solum theologos Gallos docere potestatem illam ex natura rei principibus competere, sed plures etiam, ut vocabat, extraneos, « ut Sanchez qui illud absque dubio dicendum esse pronuntiat, et plures alios citat, l. VII, d. III, nº 2; Salmanticenses cum aliis quos citant, c. XI, nº 14; Pirhing, l. IV, tit. 1, nº 150; Selvagius, *Instit. canon.* l. II, tit. IX, nº 2; et alii non pauci (1). » Apud Gallos eam dicebat esse opinionem communem, contrariam vero communem esse « apud theologos extraneos, » hancque, inquit « apud nos secuti sunt recentiores quidam theologi (2). » Fatebatur tamen multos theologos extraneos ex iis, qui ex natura rei potestatem illam principibus agnoscunt, nihilominus dicere, « Ecclesiam sibi reservasse jus statuendi impedimenta dirimentia, sicque principes per Ecclesiae reservationem amisisse potestatem quae ipsis competebat ex natura rei. Ita Sanchez, loc cit., Kugler, nºs 1040 et 1041, ubi supponit hunc esse communiorem explicandi modum; Salmanticenses, c. XI n. 15; et alii multi (3). » « Theologi vero Galli hanc reservationem omnino negant. Plerique agnoscunt post Petrum Soto, *de Institut. sacerdotum*, de matrim. lect. IV, circa finem, jam a multis saeculis principes, pro sua erga Ecclesiam pietate, ipsi omnino reliquisse curam causarum matrimonialium, quemadmodum plura alia quae ex natura sua sunt fori civilis reliquerunt foro ecclesiastico... Hujus concessionis initium praecise assignari nequit, sed paulatim invaluit... Sed quidquid sit, propugnant illi theologi principes nequaquam spoliatos fuisse sua potestate per reservationem Ecclesiae. Nam allegari nequit ea reservatio, quae nec facta est, nec fieri potuit (4). »

(1) *De matr.* n. 559.
(2) N. 548.
(3) N. 570.
(4) N. 571

Deinde speciatim de pondère argumenti e theologis Gallis et extraneis ducendi loquens Carrerius, quoad hos scribebat 1° non deesse qui potestatem principum agnoscant, inter quos P. Soto, qui concilio Tridentino ut summi Pontificis theologus interfuit. 2° Aliter sentientes plerosque quaestionem resolvere breviter et quasi perfunctorie; paucos eam pro merito discutere; vix ullos argumenta adversariorum accurate expendere. 3° Non solum non eodem modo eos explicare suam sententiam, sed cum multi, imo forte major pars, recurrant ad reservationem Ecclesiae, jam multum inde videri imminui eorum auctoritatem, « quia si eo reducatur punctum difficultatis, jam obtinemus quod praecipue intendimus, nec putamus circa reliquum reformidandam esse discussionem (1). »

De theologis vero Gallis affirmabat 1° falsum esse quod dicit Moser, n. 9, initio saeculi XVII theologos in Gallia unanimiter sensisse soli Ecclesiae jus illud competere, idque habuisse loco veritatis fide certae. Etenim Is. Habertum, quem pro hoc allegat Moser, agere de re longe diversa a praesenti; alios vero qui tunc, ut Habertus, Optatum Gallum confutaverunt, expresse probare potestatem principum. 2° Consequenter cadere et insuper theologis Gallis esse nimis injuriosam assertionem, qua Moser aliique affirmant theologos Gallos postea aliam sententiam ea de causa emisisse, quod ipsis per tribunalia civilia liberum non fuerit ea quae sentiebant publice declarare. 3° Denique notabat Carrerius nihil contra se suosque sequi ex eo, quod etiam in Galliis non defuerint qui negarent potestatem principum, vel qui eam theoretice admittentes ita ejus consectaria explicarent, ut eam restringerent ad contractum civilem, excludendo contractum naturalem et Sacramentum. Neque inter negantes recensendos esse illos, qui ad impedimenti naturam et consectaria non satis attenderunt, vel non satis accurate ea exposuerunt, vel ad solvendam objectionem satis

(1) N. 593, coll. 590.

difficilem quaedam enuntiarunt cum propriis principiis non satis cohaerentia : haec enim non raro accidere in quaestionibus implicatis, et ex iis deduci posse auctorum illorum aut inadvertentiam aut defectum logicae, non vero sententiae mutationem (1).

Omnibus ergo consideratis, « eo ipso, aiebat, quod ab extraneis dissentiunt theologi Galli, jam dici non potest hic adesse certum scholae decretum : adest tantum opinio, communior quidem, vel ad summum, si velint, communis, a qua recedere liberum est ei qui in gratiam sententiae oppositae validiora argumenta sibi videtur deprehendere (2). »

19. Secundo quaedam sunt notanda de Carrerii procedendi modo, gradu verisimilitudinis vel certitudinis ab eo utrique opinioni attributo, et latissimis sequelis ad quas suam extendebat.

Monebat se daturum utriusque partis argumenta, ut ita melius inter se possent conferri, idque sub triplici respectu : 1° naturae matrimonii, 2° mutuarum inter utramque potestatem rationum, 3° praecipuarum pro doctrina Ecclesiae auctoritatum (3). Expositio tamen ab eo facta innuebat quam partem esset amplexurus.

Quem autem verisimilitudinis vel certitudinis gradum utrique doctrinae tribuebat? Inter opiniones hanc quaestionem referebat (4), liberae scholarum disputationi permissas, eamque dicebat non posse haberi « tamquam ab Ecclesia definitam, » proinde ulterius quam par erat progressos fuisse plures auctores contrarium asserentes aut sumentes (5); unicuique autem omnino liberum esse quam voluerit sententiam amplecti (6). Quo posito, spectari juxta ipsum poterant aut auctoritates aut rationes quae adducuntur. 1° Auctoritates graviores patrocinari fatebatur « sen-

(1) N. 594, coll. 591.
(2) N. 592.
(3) N. 548.
(4) Ib.
(5) N. 595,
(6) N. 597.

tentiae theologorum extraneorum, quae ideo tenenda esset, si quaestio ex auctoritate definienda foret. » Sed hoc faciendum non esse dicebat, quia auctoritates illae non sunt omnino decretoriae, sed e contra vel modo prorsus verisimili explicantur, vel non nisi probabilitatem ex sua natura parere possunt. Restare igitur ut expendatur an eadem verisimilitudine explicentur aut solvantur rationes quae in oppositum militant (1). Jamvero 2° graviores rationes adducere videri theologos Gallos. Utramque speciem argumentorum componendo tradebat 1°, Gallorum opinionem esse probabiliorem, quia felicius se expedire videntur theologi Galli ab extraneorum auctoritatibus, quam extranei a Gallorum argumentis theologicis (2). 2° Quum ex hac quaestione pendeat vis et efficacia impedimentorum a codice civili statutorum, magni momenti eam esse pro praxi, quumque certitudo haberi non posse videatur, opportunum esse ut expendatur quaenam opinio sit habenda tutior seu quae, posito quod esset falsa, minus haberet periculi et incommodi. Tutiorem autem esse opinionem Gallorum, quacumque ex parte spectaretur, sive quoad principes, sive quoad Ecclesiam, sive quoad societatem, sive quoad nubentes ipsos (3).

20. Quod ad postremam hanc observationem attinet, ulterius quam plerique alii procedebat Carrerius, qui doctrinam suam non tantum generatim tuebatur, sed in practicas decisiones evolvebat, quae vel sola enuntiatione non leviter animum offendunt et praejudicium inferunt principio e quo deducuntur.

Occasione enim impedimentorum in codice civili statutorum ut dirimentia, de quorum existentia paulo supra (4) egerat, notabat in praxi 1° eum qui contrahit cum impedimento dirimente mere civili se exponere periculo contrahendi matrimonium irritum (5).

(1) Ib.
(2) Ib.
(3) N. 597 sq.
(4) N. 942 sqq.
(5) N. 1028.

2° Melius consuli Sacramento, si matrimonium prius ineatur coram magistratu civili, quia, cum Sacramentum non existat nisi quatenus contractus est validus, tunc tantum perficitur Sacramentum, quando perficitur contractus. Satis porro dubium esse an matrimonium prius contractum religiose quam civiliter, umquam possit fieri Sacramentum (1). 3° Matrimonium celebratum religiose, non civiliter, esse matrimonium inchoatum, sed nondum perfectum, et interim debere nuptos abstinere ab usu matrimonii. (2). Si vero novum tunc ineatur matrimonium, hoc esse validum, quia prius fuit irritum aut ad summum inchoatum, nec proinde videtur indissolubile, ideoque non efformat impedimentum ligaminis (3). 4° Si matrimonium fuerit celebratum et religiose et civiliter, sed cum impedimento civili, non licere uti matrimonio, idque saltem tutius esse; nec per se malum esse postulare nullitatem matrimonii, cum sic removeatur peccati occasio (4). 5° Difficile esse admissu, in casu necessitatis religiose matrimonium posse iniri, quum non potuerint prius solemnitates civiles impleri (5). Attamen 6° post matrimonium initum cum impedimento civili tutius esse vel confirmare matrimonium, quando fieri potest, vel continentiam servare, idque in praxi regulariter tenendum; sed non audere se pronuntiare utrum ob gravissima utriusque partis incommoda aliquando aliter agi non possit, id est vel permittendo usum matrimonii, si impedimentum civile non habeatur ut dirimens, vel permittendo secundum matrimonium, si habeatur ut dirimens. Quod si in ejusmodi casu ad secundum matrimonium jam fuerit deventum, cum non adsit pars tutior, eam esse sequendam sententiam quae unicuique videbitur probabilior (6). Observabat 7° se in his statuisse quae sibi vide-

(1) NN. 1031 et 1039.
(2) N. 1038.
(3) N. 1040.
(4) N. 1041.
(5) N. 1042 coll. 1036.
(6) N. 1042 sq.

bantur probabiliora, sed salvam se velle cujusque libertatem in re difficili, in qua, praesertim quoad consectaria practica, nullum ducem sequi se potuisse fatebatur; in casibus autem ejusmodi consulendos esse superiores ecclesiasticos (1). Tandem 8° profitebatur magnopere optandam esse legum civilium hodiernarum mutationem, ut cum Ecclesiae legibus et religiosa matrimonii celebratione concilientur (2). Porro ex doctrina sua varias quoque deducebat sequelas circa potestatem dispensandi.

21. Tertio nunc loco ad argumenta utriusque doctrinae deveniendum est, et probandum principes civiles non habere potestatem statuendi impedimenta dirimentia pro matrimoniis fidelium, hancque doctrinam nequaquam inter liberas opiniones posse recenseri, sed saltem certam esse et omnino tenendam.

Prius audiamus quodnam argumentorum genus adversariis suis commendaverit Carrerius: « Si quis principum potestatem negare velit, existimamus eum non inniti debere reservationi Ecclesiae: ex hac enim parte facile, ut nobis videtur, vincerent theologi Galli, sive quoad jus, sive quoad factum (3). » Semel hoc obtento, circa reliqua non putabat reformidandam Gallis esse discussionem (4). Et cur ita? « Debet igitur sententiam suam asserere vel ex natura rei, vel ex institutione sacramenti. Si prius propugnet, ipsi dicendum erit sufficere ad bonum temporale societatis ut princeps irritet effectus civiles et vinculum legale... illud autem forsan difficile adstruetur, aut contra alterius partis argumenta sustinebitur; sed eo admisso, omnia satis plana et secum cohaerentia erunt. Si vero posterius propugnetur, duplici sensu dici potest matrimonium, per institutionem sacramenti, subtractum fuisse a foro principum: vel, ut ita dicam, quasi naturaliter, eo quod illa subtractio fuerit consectarium elevationis matrimonii ad esse sacramentale; vel per

(1) N. 1043.
(2) N. 1044 sqq.
(3) N. 596.
(4) N. 593.

voluntatem positivam et peculiarem Christi, qui... ita statuerit, ad consulendum reverentiae sacramento debitae : porro plerique theologi priorem sensum admittere videntur; sed eam sententiam satis parum solide adstruunt, nec feliciter solvunt ea quae sub illo respectu ipsis opponuntur. Quidam e contra... recurrunt ad voluntatem Christi. Equidem illud difficultate non caret, tum quia hujus voluntatis Christi nullum... vestigium occurrit, tum quia illud videtur parum consentaneum divinae religionis oeconomiae, juxta quam Christus principibus reliquisse videtur ea omnia quae naturaliter in eorum potestate erant : attamen dicere possunt, ex una parte, illud fuisse sapientiae Christi consentaneum, tum quia facile intelligitur... quantae sit utilitatis ut contractus tanti momenti pendeat a constitutionibus Ecclesiae uniformibus et a charitate profectis, non autem a discrepantibus et saepe minus tolerabilibus principum laicorum; tum quia sic longe melius praecaventur conflictus et discordiae quae, sin necessario, saltem facillime sequentur inter utramque potestatem, si utrique subjiciatur matrimonium : ex altera vero parte, Christum ita statuisse deducere possunt ex doctrina Ecclesiae, et variis auctoritatibus allatis ostendere talem esse reipsa Ecclesiae doctrinam. Unde postremae huic explicationi standum esse in ea sententia putamus » (1).

E contra in duabus paragraphis sequentibus, ne mentione quidem facta reservationis, tum auctoritate tum ratione theologica probabitur principes nullam habere potestatem constituendi impedimenta dirimentia pro matrimoniis fidelium. Initium autem fiet a documentis quibus Ecclesiae doctrina et rationes quibus nititur innotescunt, et quia abunde sufficiunt documenta emanata a Sede Apostolica, abstinebitur ab argumentis quae ex Conciliis generalibus duci possunt (2). Singula argumenta subsequetur refutatio eorum quae subinde opposita fuerunt.

(1) N. 596.

(2) De iis cf. Heuser, p. 43-68.

§ 2. *Soli Ecclesiae esse potestatem statuendi impedimenta dirimentia pro matrimoniis fidelium, probatur* 1° *auctoritate.*

22. 1° Frater Ludovici XIII matrimonium contraxerat absque regis consensu; rex autem et clerus invalidum illud ea de causa reputarunt. Nihilominus, referentibus ipsis historiographis Gallis, Urbanus VIII de re consultus respondit, « Galliae speciales leges nulla vi pollere in Sacramentum, quod a Christo institutore et Ecclesiae canonibus unice pendebat. Qualescumque essent civiles harum legum effectus, persistere immotumque esse connubii vinculum » (1).

23. Opponebat Carrerius (2), Urbano non fuisse exhibitam et comprobatam consuetudinem in Gallia vigentem, et ideo eum noluisse declarare nullitatem; sed si hoc factum fuisset, eum responsurum fuisse pro nullitate, quia vim hanc consuetudinis ipsi Romani Pontifices agnoscunt.

At posito etiam consuetudinem non fuisse exhibitam (quod verum non est), numquam respondisset Pontifex pro nullitate ob civilem legem vel civilem consuetudinem. Civilis enim principis potestatem diserte negavit, et addita quidem ratione, quia agebatur de Sacramento, « quod a Christo institutore et Ecclesiae canonibus unice pendebat, » atque ita ut vinculum connubii eodem loco poneret cum Sacramento.

24. 2° Benedictus XIV de lege Theodosiana circa matrimonia fidelium cum Judaeis dicit, per eam non fuisse decretum impedimentum dirimens disparitatis cultus, etiamsi revera nullum esse tale matrimonium lex illa diceret. Quare? « Quod haec lex utpote a laico principe condita nullam habere vim in matrimoniis debet » (3).

(1) Cf. Moser. c. 24 n. 12 not. *o*, Martin, t. 2 n. 327, Heuser p. 4 sqq.
(2) N. 589.
(3) Const. *Singulari Nobis* 9 febr. 1747, § 7 (*Bullar. Ben. XIV* t. 3, const. 2; ed. Mechl. vol. 7 p. 18).

Idcirco porro inquirendum dicit, « num jure canonico tale impedimentum decretum fuerit, aut communi Ecclesiae catholicae consuetudine stabilitum » (1).

25. Alibi idem Pontifex inter ea quibus ostendit, irritum esse matrimonium in Ecclesia Orientali contractum post susceptos Ordines sacros, allegat etiam legem Justiniani. Sed quae sola ratio efficit aliquid eam probare? Quia in sacris canonibus existebat illud impedimentum; nequaquam vero quia potestas illud ponendi imperatori fuerit; hanc enim prorsus negat Pontifex : « Et licet in juribus ecclesiasticis potestati laicae sola relicta sit gloria obsequendi, non auctoritas imperandi; in subjecto tamen casu loquitur imperator relative ad sacros canones, ibi *quae et sacris visa sunt canonibus* » (2).

26. His textibus ab eo ut Pontifice conscriptis consonant ejusdem ut privati doctoris testimonia (3), quae magnam habent auctoritatem quoties loquitur de re ad praxim Sedis Apostolicae pertinente, quam dum tenebat opus in quo habentur novis curis edidit.

27. Opponebat Carr. (4), *a)* nullam difficultatem pati quae dicit Benedictus in op. *De syn.*, in quo, ut in sua praefatione ipse testatur, nihil definire intendit.

Verum non quaeritur an definita a Benedicto res fuerit, sed an saltem pro certa habita; hoc autem ex ejus verbis patet. Praeterea legatur tota phrasis quam in fine praefationis posuit : « At, ubi neque a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, neque a nobis ipsis aut in Bullario, aut alibi, Apostolica auctoritate quidquam definitum est, ac generaliter omnibus in rebus, quibus nullum ex publica Ecclesiae autoritate pondus accessit, nihil nos definire, ac veluti decretorium exhibere intendimus. »

(1) § 8.

(2) Const. *Eo quamvis* 4 maii 1745 (*Bullar. Ben. XIV* t. I, const. 129; ed. Mechl. vol. 3 p. 146).

(3) *De syn. dioec.* l. 8 c. 12, n. 6; l. 9 c. 9 n. 3 sqq., et c. 11 n. 4 sq.

(4) N. 581.

28. Opponebat Carr. *b)* quaestionem non dirimi per verba allata ex const. *Singulari Nobis;* nam 1° eam in hac nonnisi obiter et per occasionem attingi; 2° Benedictum loqui de potestate principis quoad infidelem, ac proinde plus dicere quam velint adversarii. Agebatur enim de validitate matrimonii inter Judaeum et mulierem Protestantem, et sermonem instituens primum de viro, tum de muliere, investigat an uterque fuerit vinculo disparitatis cultus irretitus. Quoad virum expendit tum leges Hebraeorum tum leges imperiales, et ea occasione adhibet verba allegata.

29. Huic objectioni satisfit ut sequitur : Ad 1 : Id unice quaeritur an saltem ut rem certam pronuntiet Benedictus, principi civili eam potestatem non esse; hoc autem facit. In re tam gravi, praesertim ubi de civilium principum potestate sermo est, ne obiter quidem expresse affirmant Pontifices quae certa non sunt. Praeterea non obiter de re loquitur, sed decisionis suae rationem luculentam affert. Ad 2 : Illud valeret tantum contra docentes pro matrimoniis infidelium illam principi esse potestatem. Hoc vero ipsum postea negabitur (1), et si revera de infidelibus tantum loquatur Benedictus, ut dicebat Carr., ergo et ipse Benedictus illud negat, et a fortiori idem profecto negat pro fidelibus. Quae quidem responsio firmatur tum per const. *Eo quamvis* (2), tum eo ipso quod Benedictus, porro inquirens an saltem pro muliere existat impedimentum disparitatis cultus, nullatenus ponat hujus existentiam etiam ex legibus civilibus esse inquirendam, sed duplicis tantum fontis, e quo oriri potuerit, meminerit, juris canonici aut communis Ecclesiae consuetudinis.

30. Tandem non potest componi cum practicis olim a Carrerio deductis sequelis (3) doctrina Benedicti in litt. *Redditae sunt Nobis* 17 sept. 1746 (4), quibus tamen Carrerius vim decisivam

(1) N. 67 sqq.

(2) Sup. n. 25; illius constitutionis non meminit Carrerius.

(3) Sup. n. 20.

(4) § 3 sq. (*Bullar. Ben. XIV* t. 3, supplem. n. 3, ed. Mechl. vol. 9, p. 428 sq).

et definitivam agnoscebat (1). In his litteris monet Pontifex scire debere catholicos lege Tridentina de clandestinitate obstrictos, se, cum civili magistratui matrimonii celebrandi causa se sistunt, actum mere civilem exercere, quo suum erga leges et instituta principum obsequium ostendunt, sed nullum tunc a se contrahi matrimonium. Regionis consuetudini et terreni principis sanctionibus obtemperari posse, sed Religione salva, potioresque duci debere sanctissimas Ecclesiae leges, quibus fidelium matrimonia constringuntur. Consultius esse ut catholici, nonnisi matrimonio antea in faciem Ecclesiae legitime celebrato, pro explenda civili ceremonia secularem adeant magistratum; ubi vero id sine periculo et perturbationibus fieri non potest, id saltem pro viribus satagendum esse, ut, postquam reipublicae morem gesserunt, non diu differant matrimonium ipsum celebrare coram Ecclesia.

31. 3° Facultas theologica Lovaniensis a gubernio Austriaco rogata ut de hac principum potestate judicium suum proferret, responderat 12 januar. 1759 : « Nunquam principes saeculares potuere irrita facere matrimonia fidelium quoad omnes effectus, nisi consentiente et robur addente principum edictis ipsa Ecclesia. » Quid autem de hoc judicio senserit Clemens XIII, constat ex literis Nuntii Bruxellensis 26 mart. 1759 (2) : « Sicuti illas desiderare non poterat meliores ad rejiciendas quaslibet novitatum ideas, et jus Ecclesiae privativum stabiliendum in materia, quae agitabatur; ita nedum probavit prudentem agendi rationem... verum etiam summopere laetatus est SS^mus^ Pater prospiciens incorruptam a vobis doceri sanam solidioremque doctrinam. Hinc paternae suae grataeque benevolentiae vos reddit certiores, obtestaturque constantes esse in eisdem catholicae Ecclesiae dogmatibus docendis. »

32. 4° Archiepiscopus Neapolitanus in prima instantia matri-

(1) N. 511.

(2) Ap. Moser c. 24 n. 13 not. *p*. Hujus documenti nulla est apud Carrerium mentio.

monium declaraverat esse invalidum. Appellatione instituta ad regem, hic tamquam judicem in gradu appellationis delegaverat ep. Motulensem, qui dein irritum declaraverat matrimonium. Graviter haec episcopi agendi ratio commovit Pium VI, e cujus ad episcopum literis 16 sept. 1788 rem, de qua hic agitur, praecipue concernunt verba citata sup. n. 12, dein vero haec alia : « Ita ut quoties principes saeculi leges condiderunt, quae has causas spectarent, hoc ipsum praestiterint uti meri executores et defensores legum ecclesiasticarum, sacras per omnia sequentes regulas, declarando nolle se suis sanctionibus complecti ac comprehendere id quod respicit — rationem Sacramenti seu substantiam contractus, qui materia Sacramenti proxima est, seu effectus ecclesiasticos. » — Et postea : « Verum ipse non solum delegationi ultro libenterque assensum praebuisti tuum, non solum illam probasti ac cumulasti laudibus, sed tamquam regius delegatus ausus es solvere Sacramenti vinculum, et id gloriae duxisti tuae, ut in causis nullitatis matrimonii tribueres laicis potestatibus auctoritatem leges dicendi de nuptiis, auctoritatem inquam, quam saeculi ipsae potestates sibi arrogarunt nunquam : hoc enim jus, qua late patet orbis catholicus, in sola Ecclesia residet universum. »

33. Ut pateat vis argumenti quod ex his litteris eruitur, observandum est duas distingui debere quaestiones, alteram quae est de judicio in proprie dictis causis matrimonialibus, alteram quae est de potestate statuendi impedimenta. Episcopus autem Motulensis ideo praeprimis fuit reprehensus a Pio VI, quia delegationem acceptando et exequendo, in principe civili jus agnoverat judicandi de causis matrimonialibus proprie dictis, quod erat contra Concilium Tridentinum, sess. 24 c. 12 de sacr. Matr. Sed hujus canonis fundamentum illud Pontifex assignat, quod in hujusmodi causis matrimonialibus agatur de Sacramento et re spirituali; ex quo deducit principis incompetentiam non solum quoad judicium de causis matrimonialibus, verum etiam quoad

potestatem statuendi impedimenta; nam expresse scribit : « Hinc fit ut ad *solam* Ecclesiam.., jus omne ac potestas pertineat *suam adsignandi formam* huic contractui... ac proinde de matrimoniorum validitate, aut invaliditate judicium ferre. » Et inferius rursus carpitur episcopus, non tantum in specie ob judicium nomine civilis principis exercitum, sed praeterea generaliter, quia in causis nullitatis matrimonii laicae potestati tribuerat *auctoritatem leges dicendi de nuptiis,* de quo jure expresse Pontifex affirmat : « Hoc enim jus, qua late patet orbis catholicus, in sola Ecclesia residet universum » (1).

34. Quum quatuor metropolitani Germaniae de epistola Nuntii Apostolici, declarante nullas esse dispensationes datas ab iis ultra facultates a Romano Pontifice acceptas, conquesti fuissent, quia, si sic illegitima consequenter declararetur proles, invaderentur jura territorialia statuum imperii; idem Pontifex respondit (2) : « Quemadmodum autem apud catholicos proles legitima, aut non legitima ita pendet a Sacramenti validitate, aut nullitate, ut ab eo nequeat separari; ita Ecclesia, ad quam juxta dogmaticos Tridentini concilii canones jus pertinet constituendi impedimenta matrimonium dirimentia, dum de Sacramenti validitate, aut invaliditate cognoscit, non potest simul non cognoscere etiam de prolis legitimitate, aut illegitimitate. Nec tale Ecclesiae judicium quidquam detrahit de jure principum territoriali; quippe quia illud praecipue versatur super validitate aut invaliditate Sacramenti, quae est causa prolis legitimae, aut non legitimae; cum nequeat effectus a causa separari, ac sejungi. » Notandum vero maxime est Pium VI affirmare hanc instructionem esse : « Cathechesim a Pontifice summo profectam in re mere spirituali » (3).

35. In literis per card. de Zelada datis 28 maii 1793 ad ep.

(1) Cf. etiam inf. n. 41.

(2) *Responsio ad Metropolitanos Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem et Salisburgensem super Nunciaturis Apostolicis*, Romae 1789, c. 4, n. 17. Hujus quoque documenti non meminit Carrerius.

(3) N. 20.

Lucionensem (1) Pius VI monet ut illud semper prae oculis habeant fideles, quando coram civili magistratu contrahunt, nullum ab ipsis tunc contrahi matrimonium, sed actum mere civilem poni, unice destinatum ut civilibus potiantur effectibus; immo etiam volebat, ut, si fieri posset, fideles prius religiose matrimonium celebrarent quam adirent magistratum civilem. Pariter in Instruct. *Laudabilem,* per eumdem cardinalem jussu Pii VI data 26 sept. 1791 ad episcopos Gallos (2), iis commendantur tradita a Ben. XIV in litt. *Redditae sunt Nobis,* quarum mentio facta est sup. n. 30. Iterum nota non posse haec componi cum practicis olim a Carrerio deductis conclusionibus, in quibus is cum aliis legem civilem jubentem prius civiliter iniri matrimonium, ut impedimentum civile dirimens habebat (3). Ex allatis enim liquet tum Benedictum tum Pium potestatem omnem dirimendi legibus illis civilibus denegasse.

36. Denique argumentum est in Pii VI const. *Auctorem fidei.* Ex una enim parte certum est causas matrimoniales *omnes*, de quibus sermo est in cit. Trid. can. 12, spectare ad *solos* judices ecclesiasticos (4); ex altera vero in cit. const. Pii VI propositio Pistoriensis 59 damnatur etiam tamquam eversiva ejusdem canonis 12 (5). Ex quo sequitur juxta eum etiam canonem potestatem statuendi impedimenta dirimentia, utpote causam matrimonialem, ad solam Ecclesiam spectare. Quamquam itaque duplex distinguenda quaestio est, judicii de causis matrimonialibus, et potestatis statuendi impedimenta, nihilominus ad hanc quoque, licet non directe, refertur canon 12, et ob nexum inter utramque illam quaestionem ex priori argumentum duci potest pro posteriori. Idem colligitur ex Pii VI verbis in litt. ad ep Motulensem (6).

(1) Ap. Moser, Append, n. 7; cf. Heuser, p. 26 sqq.
(2) Ap. Moser, Append. n. 6.
(3) Vid. sup. nn. 20 et 30.
(4) Vid. sup. n. 12.
(5) Vid. sup. n. 6.
(6) Vid. sup. n. 33, et inf. n. 41.

37. Plura hic opponebat Carr., atque imprimis quidem quod spectat ad literas ad ep. Motulensem. De his enim scribebat (1) : 1° Dici non posse Pium VI voluisse controversiam dirimere, quum ipse 10 dec. 1784 scripserit ad archiep. Mechl. literas autographas, quae adhuc asservantur in archivo archiep. Mechl., e quibus haec verba a se inspecta et ex italico idiomate in latinum ad verbum translata refert Carr. : « Nos non damnamus absolute eos doctores catholicos qui asseruerunt principem posse adjungere impedimenta ad reddendam inefficacem et tollendam materiam aptam sacramento, quamvis alii magis merito illud negent. »

38. 2° Satis igitur mirum esse paucis post annis absque nova definitione anathemati Tridentino subjectos fuisse doctores, quos Pius a. 1784 vocabat catholicos nec damnare intendebat. Quod quidem fieri certe non potuit vi cujusdam brevis ad episcopum privatum, quod nemini notum fuit, donec in opusculo suo Moser illud ediderit, et absque ullo quidem peculiari authenticitatis indicio.

39. Sed 3° posito esse authenticum, ut habendum esse putabat Carr. ex documentis Roma acceptis, « duo in eo sunt accurate distinguenda : substantia ipsa judicii, et illius motiva, seu aliis verbis, objectum directum praedicti brevis, et varia illius accessoria. » Substantia est condemnatio agendi rationis episcopi, cujus profecto sententia irrita et reprehensibilis erat in quacumque opinione : *a*) quia dixerat leges ecclesiasticas de matrimonio vim non habere nisi ex consensione principum ; *b*) quia in concordato Neapolitano a. 1741 causae matrimoniales solis judicibus ecclesiasticis tribuebantur ; *c*) quia agebatur de causa jam judicata a praesule, cui episcopus ille inferior erat. « Haec sane sufficiebant ut ille episcopus et culpabilis et variis poenis obnoxius declararetur : ac proinde, in omni sententia, stat certum et inconcussum judicium S. Pontificis. »

(1) N. 582.

At quae a principum hac in re potestatem negantibus sunt allata, haec, aiebat Car., « non ad illius judicii substantiam pertinent, sed tantum ad illius accessoria : porro eo ipso intelligitur ea non eamdem vim habere. » Cur ita? Quia « ex theologorum doctrina, etiam in Conciliorum definitionibus, motiva seu probationes non statim dicenda sunt pertinere ad fidem, quia proprie non proponuntur credenda, nec definiuntur. » Allegabat hic Canum, Veronum, et idem confirmabat verbis Greg. XVI in op. *Il trionfo della S. Sede e della Chiesa*, c, 24 n. 6. Dicit enim h. l. Gregorius, in eadem definitione aliquando fieri debere distinctionem inter supremum judicem et privatum theologum; « v. g. (1) quando papa adhibet ad eam adstruendam argumenta et deductiones theologicas : in ista parte, est simplex, licet maxime commendabilis, theologus; deinde judex est in puncto definito, cum illud sit, non tam consectarium discussionum theologicarum, quam objectum divinae assistentiae. Idem explicat deinde de propositionibus incidentibus, et tandem concludit, decretum quod non consideratur nisi in solis fundamentis theologicis, vel in sententiis incidentibus, et non in immediato suo objecto, non posse unquam vere dici decisionem dogmaticam pontificis definientis ex cathedra. Ergo dici nequit, per praedictum breve, controversiam omnino dirimi debere; patet enim scopum S. Pontificis non fuisse de ea judicium ferre. »

40. Respondetur ad 1 : Tantum quaeritur an doctrinam principis in hac re potestatem negantem saltem pro certa habuerit Pius VI, non vero an stricte definire quaestionem voluerit. In literis autem 10 dec. 1784 solummodo dicit Pontifex se non *absolute* damnare auctores illos, quod non indicat eum pro dubia et libera eam quaestionem habuisse. Nec constat ita dixisse Pontificem de iis quoque qui non mere theoretice (cf. n. 52), sed practice principibus eam potestatem tribuunt; de quaestione

(1) Ita Carr. eodem n. 582.

generatim spectata loquitur, et nihilominus sufficienter indicat quid ipse putaverit.

41. Ad 2 : Videri revera potest Pontifex doctrinae quae principis hac in re potestatem propugnat, severiorem hujusmodi notam aliquam inurere, quum dicat : « quo canone certum est, non eos modo comprehendi, qui docent esse summarum potestatum hujus saeculi leges de nuptiis dicere, sed eos quoque qui factis hoc ipsum confirmant, quique auctoritatem nanciscuntur a laica potestate, et qui causas nullitatis matrimonii tamquam regii delegati definiunt. » Imo eam fuisse Pontificis mentem forsitan confirmari posset eo loquendi modo, quem adhibuit in const. *Auctorem fidei* ad prop. 59 (1). Quia tamen ex una parte de tali Pii VI mente non undequaque constat, et ex alia parte doctrina, quae argumento tantum ex cit. canone 12 deducitur, non potest eodem loco haberi cum doctrina quae directum constituit canonis objectum, ideirco in tota hac tractatione opinio civili principi potestatem attribuens statuendi impedimenta dirimentia pro matrimoniis fidelium, tantum rejicitur tamquam saltem falsa, contraria vero propugnatur tamquam saltem certa. Quid mirum autem si, post regalistarum et Pistoriensium contra Ecclesiam conatus atque rationem agendi episcopi Motulensis, Pius VI id quod anno 1784 *absolute* damnare noluit, gravius reprobaverit? Nec est immorandum in iis quae de brevi illo tamquam ignoto scripsit Carr., praesertim quum ipse fateretur esse authenticum, quod ceteroqui nemini dubium est ; nam Pontificis Pii VI successores plus semel illud allegaverunt. Demum sibi non constabat Carr. dum literis Ben. XIV *Redditae sunt Nobis* ad privatos homines datis vim definitivam ac decisivam agnoscebat (2), et eam denegabat Pii VI literis ad ep. Motulensem.

42. Ad 3 : Profecto substantia est distinguenda ab accessoriis ;

(1) Vid. sup. n. 36.
2) N. 511.

sed quae erat substantia? Condemnatio agendi rationis episcopi, quae reprehendenda erat. Verum cur reprehendenda? Non ob sola motiva a Carrerio olim adducta, sed etiam, et maxime, quia delegationem acceptando agnoverat jus in principe, cui tamen, quum ageretur de Sacramento et re spirituali, nullum jus erat. Peccaverat ergo graviter, tum quia princeps civilis non potest causas matrimoniales cognoscere et judicare quoties spirituales sunt (id enim esset directe contra can. 12 Tridentinum), tum quia non solum judicare non potest princeps civilis de causis illis, sed propter formale hujus canonis motivum nec *leges de nuptiis ferre*, quoties de ratione sacramentali seu spirituali agitur (1). Haec ergo ad substantiam pertinent, et contraria agendi ratio vocatur error, in quem misere prolapsus erat episcopus, quemque in eo corrigere volebat ille « qui jus habet suprema Christi ipsius auctoritate sibi collatum docendi et confirmandi. » Tota doctrina errori a Pio opposita est in excludenda potestate civili ut non competente. Ruit igitur quod dicebatur, ea quae ex iis literis afferuntur esse accessoria, nec proinde eamdem cum substantia vim habere. Ad rem etiam non est quod dicebatur, motiva seu probationes non statim diceuda esse ad fidem pertinere, quia proprie non proponuntur credenda nec definiuntur.

43. De literis Pii VI per card. de Zelada a. 1793 datis dicebat Carr. (2), « vel non adeo rigorose sumendam esse declarationem S. Pontificis, et per eam excludi tantum agnitionem ministri religiosi : vel, si rigorose sumatur, ita loqui potuit S. Pontifex, non solum quia non admittebat auctoritatem legis civilis circa matrimonium, sed quia lex illa vim habere non poterat, utpote aliquid illicitum exigens, nempe communicationem in divinis cum schismatico. »

Verum Pii VI verba expresse respiciunt magistratum etiam

(1) Cf. sup. n. 33 et 36.
(2) N. 1247.

ut civilem; quod insuper patet ex citatione literarum Ben. XIV facta in literis per card. de Zelada datis a. 1791 (1). Praeterea contradicebat sibi Carr., quum ipse dixisset Pium loqui « de officiario civili, de quo certe constabat quod non ageret tanquam minister religiosus » (2).

44. 3° Imperatori Napoleoni, qui inter motiva a se allegata ut Pontifex nullum declararet matrimonium a Napoleonis fratre Hieronymo in America Septentr. contractum, allegaverat defectum consensus parentum, respondit Pius VII litt. 27 junii 1805 (3) : « *Il n'est pas exact de dire que la loi de France, relative aux mariages des enfants non émancipés et des mineurs, contractés sans le consentement des parents et des tuteurs, les rende nuls quant au sacrement. Le pouvoir même législatif laïque à déclaré sur des représentations du clergé assemblé l'an 1629, qu'en établissant la nullité de ces mariages, les législateurs n'avaient entendu parler que de ce qui regarde les effets civils du mariage, et que les juges laïques ne pouvaient donner aucun autre sens ou interprétation à la loi ; car Louis XIII, auteur de cette déclaration, sentait bien que le pouvoir séculier n'a pas le droit d'établir des empêchements dirimans au mariage comme sacrement. — En effet, l'église, bien loin de déclarer nuls, quant au lien, les mariages faits sans le consentement des parents et des tuteurs, les a, même en les blâmant, déclarés valides dans tous les temps, et surtout dans le concile de Trente.* » In hisce verbis effectus civiles opponuntur Sacramento, vinculo ; quoad illos autem potestas principum agnoscitur, quoad hoc vero negatur.

45. Idem Pontifex in Instructione data Nuntio Apostolico in Polonia a 1808 rationem agendi ep. Varsoviensis carpit hisce verbis (4) : « In matrimoniis catholicis... contractus civiles, di-

(1) Vid. sup. n. 35.
(2) N. 1245; cf. etiam n. 1244.
(3) Apud Artaud, *Histoire du pape Pie VII*, t. 2, c. 6.
(4) Verba sunt quibus Heuser, p. 30 sq. latine reddidit germanicam

vortia civilia, sententias civiles, a civili lege praescripta, agnoscendo Episcopus catholicus principi potestatem in Sacramenta et disciplinam ecclesiasticam concedit, et admittit principem posse formam et ritus mutare, canones abrogare, libertatem Ecclesiae violare, conscientias turbare, proindeque eumdem potestatem habere absolutam in res et causas mere ecclesiasticas... et ex natura sua a potestate clavium pendentes, eumdemque posse manus thuribulo imponere atque suis legibus canonibus Ecclesiae dominari. — Aut abusus vi, cui resisti non potest, impositus dissimulandus et tolerandus erat, aut, si loqui et de materia hac tractare animus erat, debebat episcopus ministro regio declarare, statuta Codicis circa matrimonia applicari non posse catholicis regni catholici matrimoniis... Quodsi observationes hae pastorales inutiles et vanae fuissent, nihil remanebat Episcopis, nisi suam Ecclesiaeque causam Dei manibus tradere et greges curae ipsorum subditos sedulo edocere : nullum esse matrimonium nisi juxta formam ab Ecclesia ad valorem requisitam fuerit initum... soli Ecclesiae in casu matrimonii dubii competere de valore aut nullitate ejus judicium ferre omnemque sententiam, ab alia quacunque potestate latam, incompetentem esse et non valere divortium concedere, aut licitum reddere; matrimonium, cui nullum canonicum impedimentum obstat, verum et ratum proindeque indissolubile esse, quodcunque impedimentum ei potestas civilis absque jure atque sine consensu et approbatione Ecclesiae catholicae ejusque capitis Pontificis Romani opponat. — Error est, matrimonium civilem contractum reputare, praesertim ex quo matrimonium sub lege Evangelica ad dignitatem Sacramenti fuit elevatum et ideo res sacra atque ex natura sua et quoad valorem suum ab omni specie legum profanarum independens factum est. »

46. 6° Pius VIII in encycl. *Traditi humilitati* 24 maii 1829

versionem typis datam a De Roskovany in op. *Monumenta catholica pro independentia potestatis ecclesiasticae ab imperio civili*, t. 2. Quinque Eccl. 1847, p. 152. qui italice hanc instructionem scriptam fuisse testatur.

inter alia de matrimonio docenda praescribit omnibus episcopis : « Non humana tantum ex lege, sed ex divina regi ipsum debere, ac non terrenis, sed sacris rebus ipsum accensendum esse, ideoque Ecclesiae omnino subjici, christianus populus accurate edoceatur. » Tum ex hisce verbis, tum ex eorum cum reliquis a Sede Ap. emanatis documentis comparatione, tum ex temporum quibus prodierunt circumstantiis argumentum oritur (1). Idem dicendum est (2) de verbis Greg. XVI in encycl. *Mirari vos* 15 aug. 1832, in qua de populis christianis circa matrimonium haec habentur : « Memores sacris illud rebus adnumerari, et Ecclesiae proinde subjici, praestitutas de ipso ejusdem Ecclesiae leges habeant ob oculos, iisque pareant sancte accurateque, ex quarum executione omnino pendet ejusdem connubii vis, robur, ac justa consociatio. »

47. His Pii VIII et Greg. XVI textibus opponebat Carr. (3) : « Facile explicantur eorum verba : intendunt damnare et reprehendere eos qui Ecclesiae auctoritatem circa matrimonium non agnoscentes, ejus leges contemnunt aut parvi pendunt : hoc est sane maximum malum apud nos, quod removere vellent SS. Pontifices; sed, ut patet, haec est quaestio omnino diversa. »

Verumtamen iidem Pontifices insuper saltem ut certum tradunt, matrimonium, utpote rem sacram, Ecclesiae omnino subjici, et idcirco valorem ejus seu vinculum ab executione legum Ecclesiae omnino pendere.

48. 7° Doctrinae Sedis Apostolicae testimonia sunt SS. Congregationum et tribunalium Romanorum decreta. S. Poenit. rescripsit 1 Junii 1824 ad ep. Vivariensem : « Sacra Poenitentiaria, perpensis expositis, Ven. in Christo Patri Episcopo Vivariensi respondet primum matrimonium a Petro contractum in forma Ecclesiae consueta absque impedimento canonico, sed tantum cum impedimento civili, validum esse. Ita enim eruitur ex instru-

(1) Cf. Heuser, p. 31 sq.
(2) Cf. ib. p. 32 sq.
(3) N. 583.

ctione a suprema Inquisitione, per Sacrae Congregationis Concilii organum, ad Episcopum Brexinonensem anno 1804 transmissa — Matrimoniis fidelium, quibus nullum obstat canonicum impedimentum, suam quoad maritalem nexum inesse vim et valorem, eorumque vinculum indissolubile manere, qualiacumque tandem fuerint impedimenta a saeculari potestate, Ecclesia non consulta nec probante, perperam ac nulliter constituta. — Quo posito, clare patet secundum matrimonium a Petro attentatum, nullum et irritum fore, ac propterea nullo modo posse parochum eidem benedictionem tribuere. »

Postea ep. Aniciensis hanc proposuit quaestionem : « Utrum valeat in foro conscientiae matrimonium initum coram legitimo parocho et testibus, quod non praecesserat contractus civilis coram magistratu ; vel aliis verbis, utrum lex civilis nunc vigens in Galliis, quae nulla declarat et irrita matrimonia, quae non fuerunt inita coram magistratu, et, ut gallice appellantur, *enregistrés à la mairie*, obliget in conscientia? » Die 7 apr. 1826 responsum fuit : « Sacra Poenitentiaria, mature perpensis expositis, respondendum censuit, matrimoniis fidelium coram Ecclesia contractis, quibus nullum obstat canonicum impedimentum, suam quoad maritalem nexum inesse vim et valorem, eorumque vinculum indissolubile manere : in reliquis consulendam constitutionem Benedicti XIV, cujus initium : *Redditae sunt Nobis,* necnon responsum ad Episcopum Lucionensem anno 1793 jussu Pii VI missum. » Ex his similibusque responsis dignoscitur et confirmatur vis hujus, quae adhiberi solet, clausulae : *Nisi aliquod obstiterit canonicum impedimentum* (1).

49. Scribebat tamen Carr. (2) : « Responsiones S. Poenitentiariae tanti non sunt ponderis, ut ex iis dirimi debeat controversia. Respondet Poenitentiaria casibus propositis, juxta ea quae ipsi probabiliora videntur : sed non intendit theologorum controversias dirimere, neque in hunc finem fuit instituta. »

(1) Cf. Martin, t. 2 p. 516 sqq.
(2) N. 584.

Patet e contra certa saltem doctrina et praxis Sedis Apostolicae seu sensus Ecclesiae, cujus in allatis decretis testes habemus tum S. Poenitentiariam tum S. Officium tum S. Congr. Concilii. S. Officio omnino proprium est ut doctrinas dijudicet, et S. Congr. Conc. ut sensum Tridentinum explanet. In praxi absque dubio tenetur theologus catholicus sequi etiam S. Poenitentiariae decisiones, quando nulla particularis casus aut loci limitatione afficiuntur, sed sunt omnino generales, et praesertim quando tam manifestam exhibent Sedis Ap. doctrinam.

50. Praeterea observationes generales olim opposuit Carr. diversis Sedis Ap. documentis. Alios reponentes inducens, haec scribebat (1) : « Distinguendum esse inter opinionem SS. Pontificum, et eorum definitionem : quando aliquid definiunt, id est, fidelibus credendum proponunt, certe inconcussa est illorum auctoritas, imo et prorsus irreformabilis, si Ecclesiae consensus expressus aut tacitus accedat : sed quando emittunt tantum opinionem, est adhuc profecto magni ponderis, sed non talis ut ab ea recedere nefas sit ; tunc enim reipsa non docent, nec in eorum mente est adstringere fideles, ut judicium suum omnino submittant : et revera, quando agitur de quaestione inter theologos controversa, concipitur SS. Pontifices, vel eos qui ipsorum nomine quaestionibus practicis quae ipsis proponuntur respondent, posse respondere juxta ea quae sibi magis probabilia videntur, quin intendant eo ipso controversiam dirimere : illudque adeo verum est, ut variae congregationes non raro ab invicem dissentiant, vel propriam sententiam mutent, ut constat pluribus exemplis, quorum quaedam occurrent in decursu tractatus. Porro quae in praesenti casu allegantur exhibent quidem opinionem SS. Pontificum, non vero definitionem : non ignorant profecto SS. Pontifices, quot theologi catholici propugnaverint et adhuc propugnent auctoritatem principum, et multum abest quin eos velint ab Ecclesiae

(1) N. 580.

sinu ejicere, vel anathemati subjicere; si ipsis expedire videretur hanc controversiam dirimere, certe modo magis solemni et aperto pronuntiarent. » Addebat autem (1) : « Et vero percurrantur testimonia quae allata fuerunt, et res manifesta erit. »

51. Quae sint manifesta si haec testimonia percurrantur supra constitit; restat ut allatae objectioni generali respondeatur. Eodem continuo vitio laborabat Carr., nullum ponens medium inter opinionem liberam et dogmaticam definitionem. Quae vero de consensu Ecclesiae expresso vel tacito asserebat, ea olebant gallicanismum anni 1682, neque etiam pertinebant ad rem praesentem. In hac autem Pontifices non emiserunt meram opinionem, sed nihil haesitantes asseruerunt et attestati sunt doctrinam Ecclesiae saltem certam et tenendam. Pontificio docendi officio fungebantur, quod diserte de se profitebatur Pius VI (2), quum tamen sive per se sive per alios ad id assumptos respondentes et docentes, non ignorarent esse qui principum potestatem hac in re tueri conentur. Exclusivam potestatem Ecclesiae asserendo saltem ut certam, falsitatis saltem arguebant doctrinam quae principibus quoque hac in re potestatem attribuit.

In Carrerii doctrina majori etiam injuria asserebatur eos juxta ea quae sibi probabiliora videbantur fuisse locutos. Etenim suam ipse defendebat ut tutiorem et qua melius consuleretur Sacramento, quaque non sola dignitas sed existentia quoque Sacramenti salvaretur (3). Nihilominus contrarium semper tamquam probabilius doceret Sedes Apostolica, quae tamen de Sacramenti dignitate et existentia tantopere est sollicita!

Verum est interdum Pontifices per se vel alios respondere sequendo opinionem tantum, quae ipsis probabilior videtur, quin intendant eo ipso controversiam dirimere. Diversitas etiam opinionum nonnumquam potest aliquamdiu existere inter diversas

(1) N. 581.
(2) Vid. sup. n. 12 et 34.
(3) Vid. sup. n. 20.

Congregationes, et eadem Congregatio, licet rarissime, aliquando tamen sententiam circa disciplinare aliquod objectum mutavit. Sed in praesenti negotio, quod maxime ad doctrinam pertinet, Pontifices constanter uno eodemque et indubitanter asserto sensu fuerunt sive per se sive per alios locuti, neque ulla prorsus inter diversas Congregationes discrepantia aut ejusdem Congregationis sententiae mutatio potest indicari, sed eae semper ut de re indubitata sententiam tulerunt.

52. Quod ad antiquiores attinet auctores, opinio ab eorum nonnullis proposita pro principum potestate nequaquam potuit allegari ab eamdem illimitate et practice propugnante. Ut enim merito observat Perrone (1), eam doctrinam iis circumscripserunt « limitibus in quibus nihil esset pertimescendum, nam simul docuerunt non posse principes nisi cum subjectione, atque, ut aiunt, cum dependentia ab Ecclesia eam potestatem exercere. » Praeterea nonnulli inficiati sunt « jus istud esse principibus proprium et originarium, sed adventitium ipsisque traditum ex Ecclesiae concessione. » Falso etiam principio innituntur, « quod scilicet contractus civilis materiam constituat conjugalis nexus, quod tamen nec adversarii amplius admittunt. » Denique, quod antiquitus forsitan potuit, et innocuo quidem modo, sustineri, id rite sustineri amplius non poterat, postquam contraria Ecclesiae doctrina evaserat manifesta ex Sedis Apostolicae testimoniis, quae ab eo tempore expressius loqui coepit, quo applicatio practica et temporum adjuncta periculosiorem reddiderunt illorum auctorum doctrinam. Crescente periculo, crevit perspicuitas et absoluta pronuntiandi ratio a parte Sedis Apostolicae.

53. 8° Ex Pii IX literis 19 sept. 1852 ad regem Sardiniae occasione propositae legis de civili matrimonio italice scriptis (2) haec latine reddimus : « Solummodo Nobis proponimus ea, quae epi-

(1) *Prael. theol.* de matr. n. 250.
(2) Cf. n. 15 not. 2.

stolae limitibus convenit, brevitate exponere catholicam super hac re doctrinam... Dogma fidei est matrimonium a J. C. D. N. fuisse elevatum ad dignitatem Sacramenti, et Ecclesiae catholicae doctrina est Sacramentum non esse qualitatem accidentalem contractui adjunctam, sed esse de essentia ipsius matrimonii, ita ut unio conjugalis inter christianos non sit legitima, nisi in matrimonio quod simul sit Sacramentum, extra quod non existit nisi merus concubinatus. Lex civilis quae, ponens pro catholicis dividi posse Sacramentum a contractu matrimonii, hujus validitatem ordinare praetendat, contradicit doctrinae Ecclesiae, ejus jura inalienabilia invadit, et practice eodem loco ponit concubinatum cum Sacramento matrimonii, utrumque aeque legitimum sanciendo. Nec doctrina Ecclesiae foret salva, nec jura Ecclesiae ipsius sufficienter in tuto posita, si adoptarentur... duae conditiones indicatae a V. M. administris : nempe 1° legem pro validis habituram matrimonia rite celebrata in conspectu Ecclesiae... Etenim quod spectat ad primam conditionem : aut per valida matrimonia intelliguntur matrimonia rite celebrata coram Ecclesia, et in hoc casu dispositio legis est superflua, immo potius foret vera usurpatio potestatis legitimae, si lex civilis praetenderet cognoscere et judicare, an Sacramentum matrimonii fuerit rite celebratum *in faciem Ecclesiae;* aut per matrimonia coram Ecclesia valida intelliguntur sola matrimonia *rite*, id est secundum leges civiles, contracta, et in hoc etiam casu violatur jus quod exclusive competit Ecclesiae... Porro, quum neutra conditio destruat hypothesim a qua lex proposita in omnibus suis dispositionibus proficiscitur, qua scilicet separetur Sacramentum a contractu, integram relinquunt oppositionem supra memoratam inter legem ipsam et Ecclesiae de matrimonio doctrinam. Non est igitur aliud medium conciliationis, nisi ut Caesar, servans quod suum est, relinquat Ecclesiae quod ipsius est. De civilibus quidem effectibus, quae e nuptiis dimanant, potestas civilis disponat, sed Ecclesiae relinquat ut earum inter christianos validitatem ordinet. Lex civilis proficiscatur a

validitate vel invaliditate matrimonii, ut fuerit determinata ab Ecclesia, et ab hoc facto, quod constituere extra illius ordinem est, profecta, deinde disponat de civilibus effectibus... Addit V. M. has ipsas leges, quae vigent apud quosdam status regni Pedemontani limitaneos, non impedivisse S. Sedem quominus benevolenter et amanter eos respiceret. Ad hoc respondebimus, eamdem S. Sedem factis, quae citantur, numquam acquievisse, semper vero contra has leges, vix cognita earum existentia, reclamasse, quum etiamnum asserventur in nostris archivis documenta querelarum factarum : sed hae protestationes numquam impediverunt neque impediunt quominus diligantur catholici illarum nationum, quae constrictae fuerunt ut harum legum exigentiae se subjicerent... Interea tamen non possumus omittere, contra vero sentimus totam obligationem qua tenemur, ut praeveniamus malum quantum in Nobis est, et V. M. declaramus, S. Sedem, si alias reclamavit contra hanc legem, hodiedum magis quam umquam constringi obligatione illud faciendi erga Pedemontum, et modis quidem maxime solemnibus, quia V. M. administri praecise invocant exempla aliorum statuum, quae funesta exempla quominus reproducantur Nobis incumbit debitum ut impediamus. »

54. Ejusdem Pontificis haec verba sunt in alloc. 27 sept. 1852 de republica Neogranatensi : « Nihil dicimus de alio illo decreto, quo matrimonii Sacramenti mysterio, dignitate, sanctitate omnino despecta, ejusque institutione et natura prorsus ignorata, et eversa, atque Ecclesiae in Sacramentum idem potestate penitus spreta, proponebatur juxta jam damnatos haereticorum errores, atque adversus catholicae Ecclesiae doctrinam, ut matrimonium tamquam civilis tantum contractus haberetur, et in variis casibus divortium proprie dictum sanciretur, omnesque matrimoniales causae ad laica deferrentur tribunalia, et ab illis judicarentur; cum nemo ex catholicis ignoret, aut ignorare possit, matrimonium esse vere et proprie unum ex septem evangelicae legis Sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter

fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum, atque ideirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris, praeter Sacramentum, conjunctionem cujuscumque etiam civilis legis vi factam nihil aliud esse nisi turpem, atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a conjugali foedere Sacramentum separari numquam posse, et omnino spectare ad Ecclesiae potestatem ea omnia decernere, quae ad idem matrimonium quovis modo possunt pertinere » (1).

55. His omnibus ponderatis, eo duci debuit pius et doctus auctor, ut tandem abjiceret doctrinam inde ab a. 1857 in suo op. *De matr.* depositam; hoc autem fecit anno 1857 in quinta editione *Compendii de matrimonio*, in cujus praefatione haec scribit : « Quaestiones aliquas intricatas et difficiles novo subjecimus examini. In id incubuimus, ut accurate et absque partium studio ea proferremus quibus elucidari possent; et harum controversiarum solutionem deduceremus praesertim ex decretis conciliorum et litteris Apostolicis Summorum Pontificum. Porro a quo tempore typis vulgata fuerat quarta hujusce nostri Compendii editio, prodierunt gravissimae auctoritatis documenta, scil. Sedis Ap. rescripta, matrimonium spectantia, quae ostendunt qua via incedere et quid de quaestionibus in scholis olim agitatis sentire debeamus. Quapropter cum nihil nobis antiquius fuerit quam in omnibus sequi Ecclesiam Romanam, omnium aliarum Ecclesiarum matrem et magistram, et doctrinam haurire ex illa Sede, unde, ut verbis utamur S. Innoc. I (ad concil. Carthagin.), —

(1) Similiter legem in Subalpinis ditionibus de civili matrimonio latam idem Pontifex appellavit non solum catholicae doctrinae, verum etiam civilis societatis bono adversantem. « Hac enim lege, ait, matrimonii Sacramenti dignitas, et sanctitas proculcatur, ejusque institutio evertitur, ac turpissimus fovetur concubinatus. Namque inter fideles matrimonium esse non potest, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum, ideoque ad Ecclesiae potestatem omnino spectat ea omnia decernere, quae ad matrimonii Sacramentum possunt pertinere (Alloc. 29 oct. 1866). »

velut de natali suo fonte aquae cunctae procedunt et per diversas totius mundi regiones puri latices capitis incorrupti manant, — curavimus opiniones nostras reformare, ubi eas comperimus minus consentaneas Sedis Ap. traditionibus. Hoc te monitum voluimus, amice lector, ut quae in Praelectionibus Majoribus (nis 121, 329,597, 1099, etc.) et in prioribus hujusce Compendii editionibus prolata a nobis fuerant, juxta ea quae in praesenti tradimus immutanda esse noveris. Si quid autem adhuc minus rectum aut Ecclesiae fidei minus consentaneum nobis incautis exciderit, pro non dicto haberi volumus. »

56. In Compendio ita correcto diversas opiniones exponit (1) cum earum argumentis et responsionibus ad ea quae objiciuntur ab aliis, et dein concludit (2) : « Haec sunt praecipua variarum opinionum argumenta, hae praecipuae quae iis opponuntur difficultates; jam in aperto est status controversiae, quam accurate et absque ullo partium studio exponere conati sumus. Si quaestio ex rationibus theologicis solum expenderetur, esset maxime intricata. Verum libenter agnoscimus in iis quae ad divinam Christi ordinationem et ad jura Ecclesiae circa sacramenta referuntur, ad auctoritatem potissimum attendi debere. Porro, re sub eo respectu considerata, pronuntiandum est in favorem potestatis exclusivae Ecclesiae. Ut huic doctrinae, de qua olim dubitaveramus, assensum demus, duo nos movent : auctoritas theologorum, sed praesertim auctoritas S. Sedis. — 1° Theologi dissentiunt quidem, quando expendunt quo jure principes excludantur a potestate statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, an jure naturali, an divino, an ecclesiastico. Cum vero nihilominus in idem plerique concordent, quamvis diversis adducti rationibus, haec consensio aliunde non videtur repetenda quam ex traditione ecclesiastica, vel ex sensu Ecclesiae. — 2° Idem melius adhuc ostendunt

(1) NN. 289-301.
(2) N. 302.

documenta S. Sedis Ap. Plura jam supra (nis 298,299) protulimus. Hic referre juvat ipsamet verba Pii VI, in Brevi ad Ep. Motulensem, ubi ex eo quod matrimonium sit sacramentum sic concludit : — Hinc fit ut ad *solam* Ecclesiam, cui tota de sacramentis est cura concredita, jus omne ac potestas pertineat suam assignandi formam huic contractui, ad sublimiorem sacramenti dignitatem evecto, ac proinde de matrimoniorum validitate aut invaliditate judicium ferre. — Idque adstruit ex canone concilii Tridentini, eos refellens qui in alio sensu interpretantur. Iis addere nunc debemus auctoritatem Pii IX. In All. jam citata (nº 51), post reprobatos reipublicae Neo-Granatensis excessus contra jura Ecclesiae, concludit — Omnino spectare ad Ecclesiae potestatem ea omnia decernere quae ad matrimonium quovis modo possunt pertinere. — Et in Epist. ad Regem Sardiniae, 19 sept. 1852, satis disertis verbis asserit potestatem civilem jus habere de solis effectibus matrimonii statuendi, et Ecclesiae solius esse ea ordinare quae ad validitatem ipsius matrimonii spectant. Haec igitur quae toties diversimode tradiderunt SS. Pontifices, responsa item multoties data a SS. Congregationibus Romanis, satis ostendunt ex qua parte agnoscere debeamus genuinam Ecclesiae doctrinam. » Hisce consonas conclusiones practicas ponit (1) circa rationem agendi servandam quoad impedimenta civilia.

§ 3. *Soli Ecclesiae esse potestatem statuendi impedimenta dirimentia pro matrimoniis fidelium, probatur 2º ratione theologica.*

57. Argumentum est ex elevatione matrimonii ad dignitatem Sacramenti. Christus Dominus contractum naturalem, institutum a Deo in paradiso, ad Sacramenti dignitatem evexit. Ut autem contractus matrimonialis sit validus, debent adesse conditiones requisitae ut personae sint habiles ad contrahendum. Quo fit eam

(1) N. 319 sqq.

potestatem, quae conditiones illas statuit, eo ipso statuere conditiones requisitas ut adsit Sacramentum. Sequitur ergo « ad illam solam auctoritatem ex Christi institutione spectare jus decernendi conditiones quae requiruntur ut personae legitimae seu idoneae censeri debeant ad contractum conjugalem celebrandum adeoque et ad Sacramentum conficiendum, cui a Christo demandata est Sacramentorum cura et administratio. Atqui haec nec est, nec esse potest nisi sola Ecclesia » (1). Ad hanc autem conclusionem necessario devenitur.

58. Etenim 1° princeps civilis conditionem ejusmodi requirens, semper etiam statueret circa conditionem Sacramenti; Sacramentorum tamen cura et administratio soli Ecclesiae est concredita. Hujus argumenti vis est luculentior, si animadvertas pro christianis non posse realiter separari contractum a Sacramento, sed realiter unum et idem esse utrumque. Necessario igitur excluditur princeps civilis, quia impedimentum dirimens statuendo, circa Sacramentum disponeret. Eo autem ipso quod inter christianos existat validus contractus existere Sacramentum, nec posse inter eos contractum realiter separatum existere a Sacramento, est Ecclesiae doctrina, quamquam non stricte definita tamquam dogma. Communior quidem semper fuit haec doctrina inter auctores; non pauci tamen putabant posse in christianorum matrimoniis rationem contractus realiter existere separatam a ratione Sacramenti, eaque opinione plures utebantur ad efficiendum, non contrahentes ipsos sed sacerdotem esse Sacramenti matrimonii ministrum. Quamquam autem realis identitas contractus et Sacramenti ex verbis passim a Sede Ap. adhibitis patebat (2); nihilominus, quum contraria doctrina saepe sequelis perniciosis locum daret et perversi ea abuterentur, disertius locuti sunt recentiores

(1) Perrone, *Prael. theol.* de matr. n. 230.

(2) Vid. ex. gr. Urb. VIII (sup. n. 22 sq.), Pius VI (sup. n. 34), Pius VII (sup. n. 45).

Romani Pontifices, ac praesertim Pius IX et SS. D. N. Leo XIII (1). Propter solemnem Pii IX loquendi modum praeclarissimi etiam auctores, inter quos doctissimus Binterim, nuntium miserunt reali separabilitati contractus a Sacramento inter christianos, et simul opinioni de sacerdote Sacramenti matrimonii ministro.

59. 2° Princeps civilis, si haberet potestatem statuendi impedimenta contractum dirimentia, posset restringere potestatem Ecclesiae, cui liberum amplius non foret statuere, contractum, etiam absque conditione requisita a principe civili, esse verum contractum et Sacramentum. Quum enim materia Sacramenti semper sit contractus naturalis validus, hoc ipso quod Ecclesia, deficiente licet conditione requisita a principe, agnosceret Sacramentum, simul necessario agnosceret contractum naturalem validum. Ex quo patet restringi Ecclesiae potestatem, si princeps contractum naturalem impedimento dirimente invalidaret. Jamvero si cum Pio VI damnante prop. 60 Pistoriensium (2) reprobandus est, qui civili potestati jus attribuit restringendi impedimenta ab Ecclesia constituta aut probata, reprobandus etiam est qui ita restringit potestatem Ecclesiae, ut haec volens ad valorem matrimonii non requiri certam aliquam conditionem, non valeret hoc efficaciter statuere. Praeterea, si princeps statuisset idem impedimentum quod Ecclesia, haec vero dispensaret in impedimento a se statuto aut probato, nihilominus non adesset contractus naturalis validus et consequenter Sacramentum, atque ita per principem Ecclesia spoliaretur sua potestate dispensandi, quod iterum contradicit Pio VI (3).

(1) Vid. Pii IX litt. 19 sept. 1852 *ad regem Sardiniae* (sup. n. 53), Alloc. 27 sept. 1852 (sup. n. 54), breve *Ad Ap. Sedis* 22 aug. 1851 (sup. n. 7). Syllabi a. 1864 nn. 66 et 73, et Alloc. 29 oct. 1866 (sup. n. 54); SS. D. N. Leonis XIII, litt. 1 junii 1879, Encycl. *Arcanum* 10 febr. 1880 (sup. n. 15 not. 2).

(2) Vid. sup. n. 6.

(3) Ib.

60. Opponebatur ap. Carr. (1) : « Licet matrimonium evectum sit ad dignitatem sacramenti, non ideo desiit esse contractus naturalis et civilis; sacramentum enim non tollit contractum, ut patet, et ille contractus non minus spectat ad bonum societatis : ergo semper subjicitur principi. Sub eo respectu igitur, verum est materiam sacramenti esse contractum principi subjectum : hujus autem assertionis sensus non est, contractum, quatenus praecise civilem, esse materiam sacramenti; sed sensus est, contractum naturalem, in quo sita est ea materia, esse simul contractum civilem, quando fit inter cives, et ideo subjici auctoritati principis, qui proinde potest irritare contractum etiam naturalem. Nec ideo attingit sacramentum; impedit solum ne materia existat; porro prius est existere materiam, quam attingi sacramentum : non magis dicendus est attingere sacramentum, quam qui vinum aut aquam corrumperet, attingeret baptismum aut eucharistiam. »

61. At appellatio contractus civilis matrimonio non convenit quatenus spectatur reale vinculum, sed toleratur quatenus civiles indicantur effectus; de his autem disponere princeps civilis potest, nequaquam vero de vinculo; hoc enim non oritur ex contractu qua civili. Ipsi auctores catholici, contra quos hic agitur, non civilem sed naturalem contractum dicebant esse materiam Sacramenti, idque dicere omnino debebant.

Verissimum profecto est matrimonium per elevationem ad Sacramenti dignitatem non desiisse esse contractum, Sacramentum non tollere contractum, et hunc etiamnum spectare ad bonum societatis; sed falsa est conclusio : « ergo semper subjicitur principi. » Falsa autem est tum propter argumentum petitum ex elevatione contractus naturalis ad Sacramenti dignitatem, tum quia ponit ad vindicandum civili principi potestatem de re aliqua statuendi sufficere ut spectet ad bonum societatis, quo quidem mo-

(1) N. 559.

tivo res religiosae omnes in ejus potestatem redigi possent. Ut pro fine suo civili civile societatis bonum tueatur princeps, de civilibus effectibus disponat; revera ex objectione hoc solum legitime deducitur.

62. Quod autem dicebatur : « Nec ideo attingit Sacramentum, » cet., hoc ulterius interdum expositum fuit dicendo pariter negandum fore Ecclesiam posse statuere impedimenta dirimentia, si horum constitutio disponat de Sacramento; nam neque Ecclesiae jus esse in Sacramentorum substantiam.

Sed facilis est responsio; nam princeps civilis poneret conditionem quae simul foret conditio posita Sacramento, et statueret de contractu qui unum idemque est cum Sacramento neque realiter potest a Sacramento separari; praeterea restringeret Ecclesiae potestatem (1). Princeps itaque excluditur quia, utpote spirituali potestate carens, nihil omnino potest statuere circa Sacramentum ejusve materiam et conditiones; Ecclesia vero impedimentum dirimens statuendo nullatenus mutat substantiam Sacramenti, et vere illud statuere potest. Peculiaris enim matrimonii indoles est ut sequatur naturam contractus; hic autem requirit habilitatem contrahendi, haec vero certas conditiones. Christus Dominus hoc solum statuit, contractum validum esse necessarium; ipsas vero conditiones determinare quae habiles reddant personas et validum constituant contractum, reliquit illi potestati cui commisit curam Sacramentorum, eaque illas determinat pro adjunctis propter matrimonii dignitatem ac sanctitatem. Dum autem hoc facit Ecclesia, non mutat substantiam Sacramenti, quae est contractus validus, sed conditiones ponit pro habilitate contrahendi, idque sola Ecclesia facere potest propter intimam Sacramenti cum contractu connexionem (2).

(1) Cf. sup. n. 58 sq.

(2) Plura de his omnibus vid. ap. Heuser, p. 75 sqq., Perron. *Prael. theol.* de matr. n. 237-242. *De matr. christ.* ed. cit. t. 2, p. 382 sqq. 451 sq. coll. t. 1, p. 187 sq. 192, 76 sq. 162, 199-202, Petr. Giovine. *De dispensationibus matrimonialibus*, t. I. Neap. 1863, p. 9 sqq. 25 sqq.

63. Immerito autem fit comparatio cum aqua et vino pro Baptismo et Eucharistia. Aqua enim et vinum aliis passim usibus sunt relicta, contractus vero matrimonialis omnis inter christianos est Sacramentum, et Sacramento realiter et actu conficiendo absque ulla exceptione destinatus. Praeterea aqua et vinum sunt materia remota tantum, contractus vero in matrimonio est ipsum Sacramentum.

64. Alia contra exclusivam Ecclesiae potestatem objectio his verbis ponebatur ap. Carr. (1) : « Et vero in adversariorum sententia dicendum esset principes, quando religio christiana in eorum imperiis propagatur, et sic matrimonia subditorum sacramenti rationem recipiunt, aliquid amittere de suis juribus temporalibus : atqui illud opponitur constanti doctrinae Ecclesiae, et nemo non videt quam odiosa inde redderetur religio principibus. Ergo, etc. »

65. Respondetur imprimis, nimiam hanc sollicitudinem hucusque non habere fundamentum historicum. E contra tot tantaque e christiana Religione profluunt emolumenta in civilem societatem ac potestatem, haecque per eam adeo validior et veluti sacra subditis redditur, tanta quoque ex Ecclesiae pro matrimoniorum dignitate et sanctitate statutis legibus et impedimentis oriuntur bona, ut pro principe ejusmodi civili haec non tantum large compensent amissam potestatem statuendi impedimenta (posito eum hanc habere pro infidelium matrimoniis), sed et longe ei praevaleant. Quam veritatem experti sunt principes ipsi, qui christianae Religioni nomen dederunt, quorum nullus sibi pro fidelium matrimoniis hanc potestatem vindicavit.

Debitos autem terminos omnino egrediebatur assertio, qua amissio illa proponebatur tanqnam constanti Ecclesiae doctrinae opposita. Etenim quod constanti doctrinae Ecclesiae ex allatis documentis notissimae opponitur, hoc est non soli Ecclesiae, sed

(1) N. 559.

principibus etiam agnoscere potestatem statuendi impedimenta dirimentia pro matrimoniis fidelium. Praeterea ex ea assertione talia sequerentur, qualia neque ab objicientibus admittebantur aut admitti poterant. Sequeretur enim solis principibus esse potestatem statuendi impedimenta dirimentia pro matrimoniis fidelium; judicare eos posse, et solos quidem, causas matrimoniales; statuere eos posse, et solos quidem, de bonis ecclesiasticis, cet. (1).

Demum, quamquam hoc responso opus non est, respondetur tamen negando principi civili potesiatem hanc pro matrimoniis infidelium (2).

66. Praeter argumentum pro exclusiva Ecclesiae potestate statuendi impedimenta dirimentia quoad matrimonia fidelium petitum ex elevatione matrimonii ad dignitatem Sacramenti, eadem aliis quoque argumentis adstrui potest; ex. gr. quod matrimonii vinculum est res spiritualis (3), quod fieri nequit matrimonium aeque immediate subjectum esse duplici potestati supremae et independenti, Ecclesiae autem certo est subjectum (4). In allatis documentis Sedis Ap. continuo urgetur tum elevatio matrimonii ad dignitatem Sacramenti tum natura rei spiritualis.

§ 4. *De principum civilium potestate statuendi impedimenta dirimentia pro matrimoniis infidelium.*

67. Non solum omnino libera, verum etiam communior est opinio hanc principi potestatem agnoscens, sed non probatur argumentis sat validis; valide e contra impugnari potest. Nulla enim ratione potest matrimonium, etiam ut est merus contractus naturalis, comparari cum contractibus profanis. Ille solus semper

(1) Cf. Heuser, p. 106 sqq.
(2) Vid. inf. n. 67 sqq.
(3) Cf. Heuser, p. 69 sqq.
(4) Cf. Heuser, ib. p. 82 sqq., Perron. *Prael. theol.* de matr. n. 233, 243-247, Moser, c. 24 n. 14.

fuit habitus pro sacro et nullatenus aequiparando reliquis; ille solus jure divino institutus est. Objectum ipsum contractus matrimonialis naturalis non est res mere profana, ut aliorum contractuum objectum; sed ejusmodi ut vel ex sola primitiva institutione divina altiorem finem et naturam habeat, nempe procreationem prolis instituendae ad bonum spirituale, ad Dei servitium, ad spiritualem felicitatem. « Quum proinde ad finem adeo sublimem, seu supernaturalem Deus primario saltem direxerit suam hanc conjugii institutionem in ipso statu paradisiaco, profecto dependentem eam minime effecit ab hominum potestate ac arbitrio, ita ut ipsi possent legibus suis Dei opus aliqua ratione evertere aut labefactare, atque ipsius firmitas aut inanitas ab hominis voluntate penderet, tamquam res politicae potestati subjecta » (1). In hac igitur doctrina soli civiles effectus principi subjacent, nequaquam vero naturalis contractus et vinculum ex eo ortum, circa quod princeps nullam alti dominii aliamve potestatem habet, sed eam solam quae sistit intra terminos effectuum mere civilium. Confirmatur argumentum per ea quae habentur infra, n. 368 in fine, not., de impedimento consanguinitatis.

68. Praecipue objicitur 1° nimium oriri incommodum, si matrimonia infidelium solis subjecta sint impedimentis juris naturalis ac divini. Merito respondet Heuser (2) : « Non esse incommodum, matrimonia infidelium solis impedimentis juris naturalis et divini subjici : maxime e contra optandum esset, ut vel haec sola impedimenta ab infidelibus servarentur. Incommoda maxima, quae saepe ex nuptiis infidelium oriuntur, non ex eo proveniunt,

(1) Perrone, *De matr. christ.* ed. cit. t. 2 p. 445. Plura vid. ib. t. I p. 262 sqq. 395-399, 424 sq., t. 2 p. 345 sqq. 380, 382 sq. 384, 431. et praecipue p. 439-489; et ap. Martin, part. 2 p. 3-39, 528 sq. 648-653, Heuser p. 87 sqq. 91 sqq. 95 sqq. 98 sqq., praecipue vero p. 108 sqq., ubi diversa quae opponi possunt refutantur.

(2) P. 108 sq. Cf. Perrone, *De matr. christ.*, ed. cit. t. 2 p. 384, 458 sqq.

quod solum jus naturae, sed quod ne jus naturae quidem in iis contrahendis observatur, quo non observato, leges civiles per sua impedimenta meliorem reddere matrimoniorum statum non valent. Romae tunc temporis optima matrimonia erant quando leges civiles solum jus et honestatem naturalem declarabant. Quando positivis legibus nuptias regere civiles principes tentarunt, contra perversos mores nihil potuerunt. »

69. Urgetur 2° declaratio quae fertur facta a Sede Apostolica. Scribit enim Perocheau (1) ab ea declaratum fuisse invalida esse infidelium matrimonia, quae legibus patriae irritantibus adversantur, nisi per consuetudinem abrogatae fuerint illae leges. Verumtamen de ejusmodi aliqua declaratione prorsus non constat. « Quis enim, ait Martin (2), eam legit unquam aut vidit? ubinam reperitur? Quando aut a quo Summo Pontifice prolata fuit? Quisnam est ejus tenor? Quaenam ejus forma? Estne Bulla, Breve, Decretum etc. quo proprie declaretur nullitas praedictorum conjugiorum ab infidelibus contra leges principum irritantes initorum? Sed nihil hujusmodi occurrit.... Unde si agatur de dogmatica aut generali aut proprie dicta S. Sedis declaratione ad conjugiorum illorum invaliditatem pertinente, nulla unquam prodiit, nulla prorsus existit. Si vero agatur de aliquo alicujus S. Congregationis Romanae responso aut decreto particulari seu ad casum particularem pro *attentis peculiaribus circumstantiis* spectante, verum cujus non ea vis est, ut quaestionem ullam doctrinalem definiat, nonnullum forte emissum est; sed hoc ipsum prorsus ignorant etiam Romae viri doctissimi et in studiis rebusque theologicis et canonicis versatissimi. Ergo tantum abest ut de illa S. Sedis declaratione constet, ut contra certum sit nullam hoc nomine appellandam existere. » Et addit Perrone (3),

(1) *Theol. ad usum missionis Su-tchuensis*, t. 2 p. 346.
(2) T. 2 n. 209 sub 3°., p. 22 sq.
(3) L. c. p. 469.

tum quod Muzzarellius, utpote pontificius theologus S. Poenitentiariae, profecto non sustinuisset, in opusculo Romae edito de matrimonii contractu prout est Sacramentum, opinionem quae principes excludit, si qua ei contraria declaratio aut resolutio comperta fuisset, tum se ipsum interrogasse eminentissimum Cardinalem, olim Assessorem S. Officii, et responsum ab eo retulisse nullum editum fuisse decretum hujusmodi.

70. Opponitur 3° auctoritas theologorum et canonistarum communiter admittentium principis civilis potestatem constituendi impedimenta dirimentia pro matrimoniis infidelium. Sed respondet Perrone (1) 1° non esse ejusmodi sententiam adeo communem ac fere unanimem, ut plures arbitrantur; nam haud paucos stetisse pro sententia negante, nempe eos omnes, qui nullam tribuunt nativo jure principibus potestatem, quae vinculum afficiat conjugii atque ipsum matrimonii assensum, sed eam solam quae ad civilem contractum et civiles effectus coarctatur. 2° Auctoritatem praecipuam, nempe Doctoris Angelici, cujus potissimum suffragio adversarii nituntur, deprehendi ipsis plane contrariam, si penitus introspiciatur. 3° Auctoritatem illorum qui principi jus, de quo agitur, attribuunt infirmari eo ipso, quod constet et interna et externa argumenta quibus nitebantur esse nullius roboris. 4° Securius eos olim potuisse loqui et fuisse locutos, cum nondum orti essent tot, quot postea supervenerunt, errores assentatorum secularis potestatis; atque ideo auctores illos non praevidisse consectaria exitiosa, quae ex eorum theoremate deduci possunt, sed haec pedetentim ita fuisse evoluta ut principium quoque e quo fluunt videatur evertendum.

§ 5. *De principum civilium potestate statuendi impedimenta mere impedientia pro matrimoniis fidelium.*

71. Si res intelligatur de directa prohibitione, ne partes, nisi

(1) L. c. p. 460 sqq.

servata hac vel illa conditione, contrahant et sacerdos assistat, neganda principi videtur potestas hujusmodi impedimenta statuendi. Rationes allatae ubi de dirimentibus impedimentis sermo erat, hanc solutionem exigunt, neque ulla differentia est nisi quod hic de sola licita matrimonii celebratione agatur. Si vero res intelligatur ita, ut princeps non prohibeat directe, sed civiles tantum effectus neget nisi haec vel illa conditio prius fuerit impleta, tunc revera non agitur de impedimento impediente; proprie enim tale hoc est, quod directe prohibet et illicitum reddit matrimonium. Jamvero quando plures auctores principi tribuunt potestatem statuendi impedimenta mere impedientia, videntur non priori sed posteriori ex indicatis modis id facere. Spectatis autem principiis, debet potestas civilis proficisci ab Ecclesiae hac in re legibus, et deinde ordinare effectus civiles (1). Si vero nihilominus potestas civilis matrimonio juxta Ecclesiam valido et licito effectus civiles non agnoscat, nisi haec vel illa conditio servata fuerit, hoc, ut modo fuit notatum, non potest dici impedimentum impediens; attamen, si conditio illa impleri possit absque peccato, aliunde existit obligatio non aliter contrahendi, nempe ne grave detrimentum inferatur proli nasciturae. Sed haec quoque obligatio non existit quando partes implere eam conditionem nequeunt, et salus animae postulat ut nihilominus nubant.

72. In nonnullis regionibus civilis potestas directe ipsam quoque celebrationem matrimonii prohibet; sed ex hac prohibitione non redditur matrimonium vere illicitum (2). Attamen si conditio requisita non est peccaminosa, Ecclesia ne tunc quidem impedit quominus observetur; immo eam observare oportet tum ne proles detrimentum patiatur, tum ne turbis ansa detur (3); sed si conditio lege civili praescripta adimpleri nequeat, et nihilominus

(1) Vid. sup. n. 14 et 53.

(2) Vid. sup. n. 71.

(3) Cf. Ben. XIV litt. *Redditae sunt Nobis* (sup. n. 30), et Pii VI Instruct. *Laudabilem* et epist. ad ep. Lucionensem (sup. n. 35).

salus animae postulet matrimonii celebrationem, ad legem ejusmodi attendendum non est.

§ 6. *Quibusnam sit in Ecclesia potestas statuendi impedimenta pro matrimoniis fidelium.*

73. Est certo penes Concilium generale et penes Romanum Pontificem, et « cum Papa possit per suam universalem legem novum impedimentum dirimens matrimonio apponere, potest etiam in aliquo speciali eventu prohibere, ne inter peculiares personas matrimonium contrahatur, simulque decernere, ut contra suam prohibitionem contractum, sit irritum... Sola vero prohibitio, sine decreto irritante, producit dumtaxat impedimentum impediens, non autem dirimens matrimonium (1). »

74. Episcopi et synodi particulares non possunt dirimens impedimentum pro suis subditis inducere (2); impedientia vero eos pro suis subditis constituere posse multi quidem tenent, negant tamen alii. Quum igitur in impedimento impediente pro subditis generaliter constituendo periculum possit esse impingendi in jus commune, idcirco in praxi prohibitio ferri non solet, et non ferantur oportet nisi pro casu particulari, ob peculiares circumstantias, justa de causa, et ad tempus tantum. Hoc autem fieri posse agnoscunt illi etiam, qui potestatem statuendi pro subditis suis impedimenta impedientia episcopo denegant (3). Potest quoque episcopus « severissimis poenis illorum refrenare proterviam, qui, contra interdictum Ecclesiae, matrimonium contrahere praesumunt : quod cum communi tradit Sanchez lib. 3. disput. 46. num. 7. notans insuper, eas poenas non esse a jure praelimitas,

(1) Ben. XIV, *De syn. dioec.* l. 12, c. 5. n. 3.

(2) Cf. Ben. XIV ib. n. 2 sq., 7-12, et l. 13, c. 23, n. 1-3; S. Alph. *Theol. mor.* ed. Mechl. 1845, l. 6, De matr. n. 980; *Mélanges théologiques* ser. 6, Lead. 1852 sq. p. 230 sqq; Petr. Giovine, op. cit. t. 1, p. 73 sqq.

(3) Teste Ben. XIV, *De syn. dioec.* l. 8, c. 14, n. 5.

sed ejusdem episcopi permitti arbitrio. Verum etiam in his decernendis cavere debet, ne sua abutatur libertate, et jus commune infringat (1). »

75. Consuetudini communiter agnoscitur vis inducendi impedimentum dirimens. Dissentiunt tamen auctores; alii ordinarias consuetudinis qualitates sufficere putant; alii vero (2) exigunt specialem approbationem Romani Pontificis. Cum his autem in hac gravissima materia, in qua jamdiu sola Sedes Ap. competens est, censendum videtur per consuetudinem non posse hodie novum impedimentum dirimens vel impediens induci vel existens abrogari, nisi specialiter fuerit a Sede Ap. approbata; idque sentire etiam videtur, de dirimente impedimento loquens, Benedictus XIV (3).

Nonnulli (4) eorum, qui consuetudini etiam particulari vim attribuunt inducendi impedimentum dirimens, inter documenta sibi faventia numerant factam a clero Gallicano declarationem nullitatis matrimonii absque regis Galliae consensu contracti a Gastone duce Aurelianensi. At e contra Sedes Ap. declaravit valere hoc matrimonium (5). Porro qui consuetudini particulari vim illam esse censent (6), debent eidem vim tribuere impedimentum dirimens abrogandi, quod revera plures eorum expresse faciunt; sed diserte rem negat Benedictus XIV (7).

Potest tamen impedimentum impediens aliquantum aggravari

(1) Ben. XIV op. cit. l. 12, c. 5, n. 4; cf. ib. c. 6, n. 2 sq.

(2) Cum Fagnano ad c. *Utrum autem*, De cogn. spir., et ad c. *Quod super his*, De consang. et affin.

(3) Const. *Singulari Nobis* § 8, 10, 19 (*Bullar*, *Ben.* XIV t. 3 const. 2, ed. Mechl. vol. 7 p. 18, 20, 30, sq.).

(4) Inter quos Knopp, *Vollstaendiges katholisches Ehercht.* ed. 2. Ratisb. 1854, § 2, not. 20.

(5) Vid. sup. n. 22.

(6) Inter eos sunt Knopp l. c. §§ 2 et 4, Carrière, *De matr.* n. 602, et *Compend. de matr.* ed. 6. Par. 1859, n. 138.

(7) Const. cit. § 19.

per consuetudinem etiam particularem; exemplum habes impedimentum temporis feriati, quod jure communi non prohibet nisi solemnitates nuptiarum, ex particulari vero consuetudine ipsam quoque matrimonii celebrationem prohibere potest (1).

CAPUT II.

DE VARIA IMPEDIMENTORUM SPECIE.

76. Sunt 1° impedimenta *dirimentia* et *impedientia* (prohibentia); 2° *juris naturalis* et *juris positivi*, ideoque juris *naturalis*, *divini positivi* et juris *ecclesiastici*; sed ea quae sunt juris naturae, et ipsa sunt ac passim dicuntur juris divini; 3° *absoluta* et *relativa* (respectiva); 4° *antecedentia* et *supervenientia*; 5° *publica* et *occulta*; 6° *dispensabilia*, seu in quibus dispensari potest et solet, et *indispensabilia*, seu in quibus non potest vel non solet dispensatio concedi; 7° *perpetua* et *temporanea*.

77. Praecipue itaque sunt 1° impedimenta alia *dirimentia*, alia *impedientia* tantum. Appellationem impedimenti dirimentis reprehenderunt nonnulli ut minus propriam et accuratam; sed abstinendum ab ea non est, nam ubique et in ipso Conc. Trid. et in praxi Sedis Ap. est recepta, ac rectum omnino sensum habet. Non enim dicitur impedimentum dirimens ideo quod verum matrimonium dirimat, sed quia efficit irritum actum esse, quo quis, eo subsistente, matrimonium de facto inire aggreditur (2).

78. Vis autem impedimenti dirimentis ea est, ut ipsum contractum reddat irritum seu quominus valide incatur impediat, quia tollit habilitatem contrahendi. Ex quo sequitur abesse tres validi matrimonii effectus, consensum legitimum et efficacem,

(1) Vid. inf. c. 25.

(2) Cf. Perrone, *Prael. theol.* de matr. n. 152, not. 3, et vid. sup. n. 1.

vinculum matrimoniale seu nuptias validas, prolis legitimitatem. Nulla ergo adest legitima validaque mutua juris in corpora traditio, nullum jus debitum aut petendi aut reddendi. De re ipsa hic sermo est; quod enim Ecclesia de legitimitate prolis favorabiliter disponit, quando cum ignorantia impedimenti seu bona fide contractum fuit matrimonium (1), id unice debetur benignitati Ecclesiae.

79. Impedimenta dirimentia hodie existentia sunt : Defectus consensus, conditio contraria substantiae matrimonii, error, conditio servilis ignorata, vis et metus, raptus, clandestinitas, cognatio sive naturalis (consanguinitas), sive spiritualis, sive legalis (adoptio), affinitas, honestas publica, ligamen, crimen, cultus disparitas, ordo, votum seu professio religiosa, aetas, impotentia, denique decretum irritans R. Pontificis. More suo scholastici impedimenta dirimentia pro juvanda studiosorum memoria quibusdam comprehenderunt versiculis, qui passim, quamquam diversimode, occurrunt apud auctores (2). De defectu consensus et conditione contraria substantiae matrimonii specialiter tractant theologi, et parcius de iis dicetur in isto tractatu.

80. Impedimenta impedientia non invalidum sed illicitum reddunt matrimonium (3); sunt autem hodie Ecclesiae vetitum, tempus feriatum, sponsalia, votum, quae et ipsa quibusdam versiculis comprehendi solent. Nonnulli impedientis quoque impedimenti appellationem inutiliter et immerito reprehenderunt.

81. 2° Impedimenta alia sunt *juris naturalis*, alia *juris positivi*, ideoque alia juris *naturalis*, alia juris *divini positivi*, alia juris

(1) Vid. inf. c. 10, c. 34 § 2.

(2) Criticum asperum et morosum, uti solet, agit Car. Sob. Berardi in versiculorum illorum incompleta et inconcinna, ut vocat, compositione redarguenda; *Comment. in jus eccl. univ.* Venet. 1778, t. 3, dissert. 4, q. 1. Apud Knopp autem l. c. § 4 et alios, inadvertenter S. Thomae et Scoto adscribuntur versiculi comprehendentes clandestinitatem, et raptum, ut is nunc existit.

(3) Vid. sup. n. 1.

humani, nempe *ecclesiastici*, juris autem *civilis* in opinione eorum qui civili principi potestatem agnoscunt constituendi impedimenta pro matrimoniis infidelium (n. 67 sqq.). Impedimentum jure naturali constitutum pressius ab ipsa rei substantia repetitur; talia autem certo sunt defectus consensus, impotentia, et conditiones substantiae matrimonii adversantes. Quae autem juris naturae sunt, ea hoc ipso sunt et merito passim dicuntur juris divini, seu juris divini non positivi sed naturalis. Juris positivi sive divini sive humani sunt quae expressam legislatoris sive divini sive humani voluntatem pro causa habent. Juris positivi divini communius dicitur impedimentum ligaminis; ita tamen prope est connexum cum jure naturae atque ab eo derivatur, ut juris naturae potius sit dicendum (1). Communissime quoque docetur impedimentum consanguinitatis in primo gradu lineae rectae esse juris naturae; reliqua fere omnia certo sunt juris ecclesiastici; de nonnullis tamen disputari suo loco notabitur.

82. In consensum naturalem longe alius est effectus impedimenti juris naturalis vel divini, quam impedimenti juris ecclesiastici. Quando ipse consensus deest, de effectu consensus naturalis sermo esse nequit. Si vero agatur de alio impedimento juris naturae vel divini, consensus quidem naturalis exstat, sed nullus est quoad omnem effectum etiam futurum, quia aut agitur de re contraria substantiae matrimonii, aut non est in terris potestas quae effectum consensui tribuere possit. Quando autem impedimentum est juris ecclesiastici, nullum quidem effectum habet consensus naturalis dum praestatur, sed potest, si perseveret, effectum habere postea, quando per sanationem in radice (2) tollitur impedimentum.

85. 3° Impedimenta *absoluta* et *relativa* (respectiva). Illa reddunt inhabilem respectu omnium, ex. gr. votum, ordo, ligamen;

(1) Cf. Ben. XIV, *De syn. dioec.* l. 13, c. 21, n. 9, Carriere, *De matr.*, n. 175 sqq., Kutschker, *Das Eherecht der katholischen Kirche*, t. 1, Vindobon. 1856, § 30.

(2) Vid. inf. c. 35 § 3.

haec vero respectu certarum tantum personarum; ex. gr. crimen, cognatio, raptus. Confundi non debet haec partitio cum ea, qua nonnulli distinguunt dirimentia impedimenta in absolute dirimentia seu quae solvi nequeunt, et relative dirimentia seu quae aut renovato consensu aut obtenta dispensatione possunt auferri.

84. 4°. Impedimenta *antecedentia* et *supervenientia*. Illa existunt ante matrimonii celebrationem, haec oriuntur eo contracto. Immerito pauci aliqui carpunt receptissimam hanc et nequaquam inutilem divisionem. Vis quidem dirimendi impedimento regulariter non est nisi matrimonium antecedat; si tamen superveniat, notabiles quosdam, licet diversos, effectus habet. Tres certo casus sunt in quibus matrimonium valide contractum dissolvitur, professio religiosa per vota solemnia emissa matrimonio nondum consummato (1), dissolutio matrimonii non consummati facta a Rom. Pontifice (2), et casus Apostoli (3); sunt autem qui Romano Pontifici potestatem etiam esse dicant dissolvendi matrimonium consummatum infidelium, sed plerique negant (4). In diversis vero aliis casibus impedimentum superveniens valde notabiles effectus habet; ex. gr. privationem juris petendi vel reddendi debitum conjugale, vel privationem utriusque.

85. 5° Impedimenta *publica* et *occulta*. Maxime notanda est haec partitio pro dispensationibus, praesertim ut sciatur ad quem et quomodo pro impedimenti relaxatione recurri debeat, et utrum confessarius teneatur poenitentem remittere ad parochum, an vero ipse recurrere queat.

Non est autem haec partitio confundenda cum alia ab aliquibus, praesertim recentioribus in Germania, facta in impedimenta publica et privata. Impedimenta publica vocant, quae finem habent ipsam Sacramenti sanctitatem vel puritatem matrimonii chri-

(1) Vid. inf. c. 22.
(2) Vid. inf. c. 30 § 1.
(3) Vid. inf. c. 20.
(4) Vid. inf. c. 30 § 1.

stiani, quaeque igitur ut existant ipsius Ecclesiae maxime interest; privata vero, quae fundamentum unice habent bonum singularium personarum. Practicam hujus partitionis utilitatem hanc assignant, unumquemque teneri auctoritati competenti manifestare impedimentum publicum, et postulare declarationem nullitatis matrimonii cum ejusmodi impedimento contracti; parochum etiam et judicem ex officio debere inquirere et reliqua praestare ac pronuntiare, quae ad casus solutionem et decisionem pertinent. Privata vero non posse urgeri nisi ab iis quorum proxime interest, et qui idcirco juri suo renuntiare possunt. Privata dicunt impedimenta erroris, vis et metus, conditionis, impotentiae; reliqua publica.

Facile tamen haec ansam praebent erroneis notionibus; nam 1° nullum impedimentum propter solum bonum particulare fuit constitutum; 2° juri in solum bonum particulare constituto renuntiari potest. In casu autem matrimonii propter privatum, quod vocant, impedimentum invalidi numquam ita juri suo renuntiare quis potest ut vitae conjugalis officiis utatur; sed eatenus tantum ut nullitatis declarationem non petat, et sive, circumstantiis id permittentibus, vivat cum comparte tamquam frater et soror, sive nuptias sua voluntate validas reddat. Imo postremum hoc interdum ne fieri quidem potest, ex. gr. si agatur de impotentia. Unde praefatae partitionis fundamentum non est illud quod assignatur; sed res tota sita est in eo, quod alii ne possint quidem accusare matrimonium, quia aut scire impedimentum nequeunt, aut saltem scire non possunt an is qui sic nuptias inivit, sua voluntate eas non validaverit.

86. Ad intelligendam vim divisionis in impedimenta publica et occulta necesse est indagare, quid in jure et in praxi Sedis Ap. **publicum, quid occultum dicatur.**

Imprimis quidem certum est numquam esse occultum illud, in quo est una ex triplici illa specie publici, quae vocantur famosum, manifestum, notorium. Has cum Pauwels aliisque sic expo-

nit Carr. (1) : « *Famosum* dicitur, quando est fama in majori parte civitatis, viciniae, vel collegii, orta non ex scientia, sed ex indiciis et praesumptionibus : unde ratio famosi in eo proprie sita est, quod non exigat scientiam sive ipsius communitatis, sive magnae hujus partis, sive etiam unius individui hominis. *Manifestum* est, quod, etsi non sit evidens respectu communitatis aut potioris ejusdem partis, est tamen pluribus evidenter cognitum, sic ut facile probari possit : unde duo requiruntur : primum, ut aliqui sciant, seu evidenter cognoscant factum vel delictum; secundum, ut ab illis per simplicem divulgationem pervenerit ad notitiam communitatis. *Notorium* est, quod evidenter constat majori parti communitatis, parochiae, civitatis, etc., vel per sententiam juridicam aut confessionem judicialem, et tunc dicitur notorium *jure*, vel quia se offert oculis omnium, et dicitur notorium *facto*. Ad hoc autem sufficit ut notum sit majori parti communitatis : communitas vero ex jure requirit saltem decem personas. »

87. Occultum ergo certo quidem requirit ut nulla hujusmodi species publici adsit; praeter has tamen etiam fieri potest ut aliquid non sit occultum sed publicum. Quum igitur accuratior occulti descriptio prorsus sit necessaria, et plurimum disputent auctores tam de numero personarum scientiam impedimenti habentium, qui non noceat naturae occulti, quam de nonnullis circumstantiis in quibus dubia res videri potest; idcirco, missis auctorum disputationibus, testis omni exceptione major sit Ben. XIV, haec de sententia S. Poenitentiariae scribens (2) : « Ut occultum impedimentum dignoscatur, parum conferre putamus, si illorum sententiae tantum investigentur, qui nulla experientia praediti Sac. Poenitentiariae, de hac re temere scripserunt; sed necessarium ducimus perscrutari, quid hoc vocabulo occulti impedimenti ab eodem Sac. Tribunali intelligatur. Haec autem cognitio ab illis

(1) *De matr.* n. 1127.
(2) *Inst. eccl.* 87, n. 43.

solum comparari potest, qui munus aliquod in ipso Tribunali gesserunt. »

88. Proprie occultum simpliciter est « quod nullo pacto demonstrari potest, et Dei solum judicio permittitur; » hoc autem occultum intendit S. Poenitentiaria per verba *omnino occultum*; publicum in hoc casu est quod potest per duos testes probari (1). Sunt qui putent requiri ut non sit notum nisi partibus et ad summum insuper confessario (2); nituntur autem verbis Ben. XIV modo citatis. Sed ex eo ipso loco Benedicti ejusque comparatione cum doctrina Fagnani (3), quam ibi Benedictus adoptat, colligitur omnino occultum esse quod probari non potest per duos saltem testes (4). Naturae igitur omnino occulti non nocet si unus praeter partes et confessarium rei notitiam habeat; suadendum tamen ut in libello supplici exprimatur.

89. Quasi occultum est quod paucis est notum, et hoc occultum intendit S. Poenitentiaria per verbum *occultum*, ita ut practica haec dici debeat occulti significatio in praesenti materia. Verum illico quaestio oritur, quot personis notum esse possit, et nihilominus manere occultum.

90. Prudentis arbitrio id est relinquendum (5); sunt tamen adminicula quibus ejus arbitrium facile dirigatur, et solutio multum pendet a loci ac personarum qualitate.

Quod spectat ad locum, non sufficit impedimentum latere majorem partem incolarum (6). Occultum tamen dicitur si quinque vel sex personis in oppido, vel septem aut octo in civitate res

(1) Cf. Ben. XIV ib. n. 44. Fagn. n. 127 ad c. *Vestra*, De cohab. cler. et mul.

(2) Knopp, op. cit. § 46. Carrière, *De matr.* n. 1127, *Compend. de matr.* ed. cit. n. 234, Kutschker, op. cit. t. I § 31.

(3) N. 120 sqq. ad cit. c. *Vestra*.

(4) Cf. etiam S. Alph. De matr. n. 1111, Panzuti, *Casus eorumque resolutiones*, t. 2, Neap. 1842, p. 204.

(5) Cf. Ben. XIV l. c. n. 40.

(6) Cf. Ben. XIV ib.

nota sit, dummodo ab eis non fuerit divulgata (1); in postremo enim casu adesset manifestum. Carrière (2) affirmat generatim ex mente auctorum occultum non esse quod plusquam decem aut duodecim innotescit. Sed num occultum erit quod decem aut duodecim notum est? S. Alphonsus (3) scribit se scire S. Poenitentiariam dispensasse in impedimento consanguinitatis noto decem circiter personis. Ex circumstantiis, loci amplitudine, qualitate personarum res judicanda est, et quum pro occulto requiratur periculum non esse, ne in foro externo detegatur, ratio habenda est qualitatis personarum aliarumque circumstantiarum a quibus id periculi posset oriri. Quare merito notat Reiffenstuel (4) : « Hinc in praxi omnino attendi debet, non tantum quot personis, sed etiam qualibus impedimentum sit notum, quia bene fieri potest ut respectu quinque prudentum, et timentium Deum, qui impedimentum norunt, prorsus nullum sit periculum ulterioris divulgationis, et econtra respectu duorum vel trium v. g. garrulorum, aut inimicorum etc. divulgationis periculum revera adesse videatur, praesertim, si etiam aliae circumstantiae tale periculum minentur. »

Quum itaque testibus iis, qui tribunalibus Romanis operam suam impenderunt, generatim occultum maneat impedimentum quod in oppido notum est quinque vel sex personis, in civitate vero septem vel octo, in his casibus tuto procedatur tamquam pro occulto, si non sit prudens conjectura futurum esse publicum quod a paucis antea noscebatur (5). Si vero pluribus sit notum, non tot tamen ut certo dici debeat publicum, procedi potest tamquam pro occulto; sed ita ut in libello supplici indicentur numerus incolarum aliaeque circumstantiae ad rem facientes, ac numerus et qualitas eorum quibus impedimentum innotuerit.

(1) Cf. Ben. XIV ib. n. 45.
(2) *De matr.* n. 1127 sub 4, et *Compend, de matr.* ed. cit. n. 234.
(3) L. c.
(4) *Append. de disp. super impot.* (ad calcem t. IV) n. 46.
(5) Cf. Ben. XIV l. c. n. 45.

91. Sunt autem circumstantiae in quibus novum oritur dubium. Quid enim 1° si impedimentum sit publicum alibi, sed occultum ubi degunt qui volunt matrimonio jungi? In libello supplici circumstantia illa exprimenda est; si vero non fuit expressa, hortandus est orator ut rursum confugiat ad Poenitentiariam eique rem patefaciat (1).

92. Quid 2° si impedimentum antea publicum diuturnitate temporis factum fuerit occultum? Fieri hoc posse negari nequit, et testatur Marcus Paulus Leo (2), pluries suo tempore hoc genus occulti fuisse admissum, sed non eodem modo in omnibus casibus : in dispensationibus matrimonialibus per decennium, in irregularitatibus per viginti et triginta annorum spatium. Adjuncta omnia in libello supplici memorentur.

93. Quid 3° si factum sit publicum, sed non innotuerit ut criminosum? Occultum censetur impedimentum (3).

94. Si vero 4° crimen sit publicum, sed omnes fere ignorent poenam ei impositam vel impedimentum ei annexum, non aderit occultum. Qua de re haec scribit Benedictus (4) : « Nos ipsi jurejurando affirmare possumus per tot annos, quibus sacrae Poenitentiariae addicti fuimus, suffragiumque nostrum, cum res ejusmodi proponerentur, scriptum, seu voce tenus dedimus, semper in more positum fuisse, ut impedimentum publicum *materialiter* spectaretur, et nunquam eo nos devenisse, ut examen fieret, an impedimentum *formaliter* occultum censendum esset. » Ex quo patet hac in re recedendum esse a doctrina quam exhibet S. Alphonsus (5).

(1) Cf. Ben. XIV ib. n. 46.

(2) Ap. Ben. XIV l. c. n. 47.

(3) Cf. Ben. XIV ib. n. 48, Caillaud, *Manuel des dispenses,* ed. 4. Bituric. 1873, n. 161.

(4) Ib.

(5) L. c. in fine. Ibi praeterea S. Doctor Benedicto adscribit doctrinam directe oppositam ei quam is expresse tradit. Citat S. Alphonsus Benedicti *Inst. eccl.* 87 n. 42, ubi is aliorum opinionem, non vero n. 48, ubi propriam doctrinam contrariam exponit.

95. Etiamsi impedimentum sit ejusmodi ut, spectatis circumstantiis hucusque expositis, occultum dici queat, fit tamen publicum, si in forum contentiosum fuerit deductum; quod locum habet quando delatum est judici et haec delatio fuit reo intimata. Occultum vero dein habetur, si reus per sententiam judicis fuit absolutus, sive fuerit absolutus tamquam repertus innocens, sive fuerit absolutus a processu ex hactenus deductis seu tamquam non probatus culpabilis; publicum vero manebit si non obtinuit definitivam ejusmodi sententiam, sed tantum fuit libertati redditus interposita conditione vel cautione de se repraesentando (1). Ex hisce liquet nimis generaliter accipiendum non esse quod dicunt S. Alphonsus (2) aliique (3), occultum non fore quod saltem per unum testem fuerit probatum; etenim, si sententia absolutoria definitiva supervenerit, occultum aderit. Neque ex eo loco S. Alphonsi deducatur probationem per unum saltem testem esse necessariam ut res dicatur ad forum contentiosum deducta (4).

96. Nec potest procedi tamquam pro occulto impedimento, si facile sit deducendum ad forum externum, vel debeat prudenter conjici futurum publicum quod paucis notum est. Istud periculum non est timendum a personis discretis, amicis, religiosis, neque etiam a complicibus (5), sed a garrulis, inimicis cet., imo nonnumquam ab ipsis circumstantiis, cujusmodi ex. gr. non semper est, esse tamen potest graviditas brevi futura manifesta (6). Quae quidem circumstantia hic memoratur non solum pro casu quo impedimentum ex copula oritur, sed pro casu etiam quo independenter ab ea existit impedimentum, pro cujus dispensatione praxis Sedis Ap. exigit ut in libello supplici exprimatur

(1) Cf. Ben. XIV l. c. n. 49, Fagn. l. c. n. 130 sqq.
(2) De censur. n. 76.
(3) *Mélanges théol.*, ser. 4, Leod. 1850 sq., p. 614.
(4) Cf. *Mélang. théol.* l. c.
(5) Cf. Fagn. l. c. n. 141 sqq.
(6) Cf. Caillaud, l. c. n. 156, Bangen, *Instr. practica de spons. et matr.* tit. 2, Monast. 1860, p. 168 sq.

copulam intercessisse. Ea enim omnia quae de publico et occulto dicta fuerunt, debent applicari tum impedimentis tum circumstantiis necessario exprimendis.

97. Ea igitur est ex praxi Sedis Ap. notio publici et occulti in praesenti materia. Verumtamen quaedam impedimenta independenter ab expositis et ipsa sua natura sunt publica, nempe consanguinitas, affinitas ex copula licita, cognatio spiritualis, et publica honestas. Quare pro iis regulariter debet procedi tamquam pro publicis, etiamsi per accidens sint occulta; cujus rei ulterior explanatio fiet ubi de facultate dispensandi competente S. Poenitentiariae (1) vel episcopis (2).

CAPUT III.

DE FINE IMPEDIMENTORUM ET QUINAM IIS LIGENTUR.

98. Plures a pluribus explicandi rationes afferuntur ubi in finem impedimentorum dirimentium inquirunt. 1° Juxta nonnullos alia finem habent reverentiam debitam personis, scilicet cognatio, affinitas, votum, Ordo ; alia uniformitatem actus, ut est clandestinitas ; alia perfectam matrimoniorum libertatem, ut raptus, vis et metus, cet. ; alia ut puniatur vel praeveniatur crimen. 2° Juxta alios alia finem habent paritatem inter socios (conditio) ; alia reverentiam debitam personis (cognatio, honestas, affinitas) ; alia ut praeveniantur delicta (crimen) ; alia matrimonii libertatem (raptus); alia ejus legitimitatem (clandestinitas); alia ejus sanctitatem (disparitas cultus). 3° Juxta alios alia finem habent interni consensus integritatem (error, conditio, vis, raptus) ; alia libertatem externam (votum, Ordo, ligamen) ; alia qualitatem personarum

(1) Inf. c. 30 § 1.
(2) Inf. c. 30 § 2.

(impotentia, aetas, cultus disparitas, crimen, cognatio, affinitas, honestas publica) ; alia solemnitatem (clandestinitas). Alii alia proferunt (1).

99. Pro diverso autem modo assignandi impedimentorum finem, dirimentia dicuntur matrimonium reddere irritum vel 1° ex defectu aut consensus (error, conditio, vis, raptus), aut libertatis externae (votum, Ordo, ligamen), aut habilitatis personae (impotentia, aetas, cultus disparitas, crimen, cognatio, affinitas, honestas publica), aut solemnitatis (clandestinitas). Vel 2° ex defectu aut consensus (error, conditio, vis, raptus), aut solemnitatis (clandestinitas), aut habilitatis (reliqua). Vel 3° ex defectu aut consensus (error, conditio, vis, raptus, clandestinitas), aut habilitatis (reliqua). Quum vix possit ab initio systematica partitio proponi in re tot adjunctis rationibusque circumdata, peculiari singulorum impedimentorum explicationi hoc negotium reservatur, eo magis quod absoluta ejusmodi de impedimentorum fine doctrina facile laqueum mentibus injiciat, et falsarum notionum ac sequelarum periculo exponat.

100. Hic itaque sufficiant quae de impedimentorum dirimentium fine scribit Martin (2) : « Finis impedimenti dirimentis seu propter quem istud constituitur, est generatim, ut recte condigneque matrimonium componatur pro sua honestate, sanctitate, finibus, bonis, obligationibus, etc. ; pro contrahentium societatisque humanae utilitate atque bono : speciatim vero, ut certa avertantur efficaciterque impediantur mala atque incommoda, quae ex quibusdam conjugiis aut ex eorum contrahendorum spe nascerentur imminerentve contra matrimonii honestatem, sanctitatem, fines, bona, obligationes, etc. ; aut contra conjugum societatisve bonum. Et tandem impedimentum illud propter hunc finem immediatum, per quem obtineatur finis ille specialis, statuitur,

(1) De fine impedimentorum nonnulla reperire est ap. *Mél. théol.*, ser. 1 ed. 2, Leod. 1851, p. 9 sqq. ; ser. 5, Leod. 1851 sq. p. 507 sq.

(2) Op. cit. part. I, n. 149.

ut certa matrimonia, sublata ea contrahendi facultate ac potentia, efficaciter impediantur. Unde finis impedimenti dirimentis legisve ipsum constituentis est, ut roboretur et ad effectum certo perducatur quorumdam conjugiorum contrahendorum interdictio. Etenim varias inter rationes ex necessitate praedicta mala et incommoda et matrimonium ipsum impediendi desumptas, quibus auctoritas competens movetur ad certa conjugia interdicenda, multae occurrunt graviores, quae postulant ut absolute et quam efficacissime conjugium contrahendum impediatur, proindeque ut interdictio effectum suum absolute certoque obtineat. Porro ad effectum hunc sic obtinendum necessaria est conjugii diremptio. »

101. Impedimentis juris naturae vel divini ligantur omnes sive baptizati sive infideles ; impedimentis vero juris ecclesiastici soli baptizati. Quid autem sit dicendum de infideli converso quoad impedimenta juris ecclesiastici, quae pro fundamento habent factum, quod locum daret impedimento si contigisset post conversionem, sed contigit ante eam, id occasione quorumdam impedimentorum patebit. Eadem occasione indicabitur vis nonnullorum impedimentorum in matrimonium personae christianae cum infideli (1).

102. Quamquam haeretici impedimentis ab Ecclesia statutis ligantur, sunt tamen qui scribant eos, sive ex voluntate Ecclesiae, sive ob contrariam consuetudinem, iis non ligari. Aliqui non eo progrediuntur, sed docent (2) ex voluntate Ecclesiae haereticos non obligari iis, quae statuta fuerunt post separationem factam saeculo XVI ; ex. gr. clandestinitatis impedimentum nullatenus posse applicari nuptiis acatholicorum.

103. Haereticos revera ligari impedimentis juris ecclesiastici,

(1) Interim vid. Perrone, *De matr. christ.* ed. cit. tom. 2, p. 330 sqq.. Carrière, *Compend. de matr.* n. 140, van de Burgt, *Tract. de matr.*, ed. 2. Ultrajecti 1875, n. 47 sq.

(2) Inter hos erat Knopp op. cit. edit. a. 1850 t. I, p. 181 ; qui tamen in secunda editione a. 1854, p. 114, doctrinam illam oxpunxit.

hancque esse voluntatem Ecclesiae certum est, nec contrarium efficere potuit consuetudo, quae rebellio potius erat, et a qua supremus legislator aperte se dissentire manifestavit. Etenim etiam hodie concedit Sedes Apostolica quasdam Episcopis facultates dispensandi cum haereticis conversis (1). Et quando Ben. XIV valida esse declaravit matrimonia inter haereticos in locis foederatorum ordinum dominio in Belgio subjectis contracta absque forma Tridentina, hanc adjecit clausulam « dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum (2). » Idem Pontifex in aliis constitutionibus indubitanter invalida dicit haereticorum matrimonia cum canonico aliquo impedimento inita (3). Hoc pariter faciunt Pius VI (4) et Gregorius XVI (5). His omnibus documentis, de quibus aliquantum fusius in alio opere egimus (6), accedant verba Pii VII in brevi 8 oct. 1803 ad archiep. Moguntinum : « Sed quid dicendum erit de illorum sententia, qui jactant, haereticos Ecclesiae legibus nequaquam subjici, atque inde posse illos novo conjugii foedere copulari, si primum publicae auctoritatis judicio solutum fuerit, praepostere inferunt ? Adversus illam clamant Scripturae, Concilia, traditio denique universa. Omnium

(1) Cf. inf. c. 30 § 2.

(2) Const. *Matrimonia* 4 nov. 1741 *(Bullar. Ben. XIV*, t. I, const. 34, ed. Mechl. vol. 1, p. 178 sqq.).

(3) Const. *Magnae Nobis* 29 junii 1748 (*Bullar. Ben. XIV*, t. 2, const. 51, ed. cit. vol. 6, p. 67 sqq.), const. *Ad tuas manus* 8 aug. 1748 (Ib. const. 59, ed. cit. vol. 6, p. 228 sqq.), const. *Singulari Nobis* 9 febr. 1749, § 1, 11 sq. 14, 16, 18 sq., (Ib. t. 3, const. 2, ed. cit. vol 7, p. 10 sqq.), et litt. 12 sept. 1750 ad ep. Vratislaviensem, quae citantur in Pii VI rescripto 13 jul. 1782 ad cardin. de Frankenberg, ap. Moser, Append. n. 11.

(4) In cit. rescr. ad card. de Frankenberg, in litt. 11 jul. 1789 ad archiep, Pragensem (ap. Moser. Append. n. 14) et per S. Congr. Conc. in litt. ad ep. Rosnaviensem in Hungaria 20 aug. 1780, n. 2, 4 sq. (ap. de Roskovany, *Monumenta catholica pro independentia potestatis ecclesiasticae*, t, 2, p. 540 sq.).

(5) Ad finem Brevis 27 maii 1832 ad epp. Bavariae.

(6) *De matr. mixtis*, Lovan. 1847, p. 89 sqq

instar sit Tridentina Synodus, quae sess. 24 cap. II non baptizatos a baptizatis distinguens, illos tantum Ecclesiae judicio proindeque legibus non subjici affirmat, cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus. Hi baptizati Ecclesiae filii, quamquam rebelles et transfugae, ejusdem Ecclesiae legibus subjiciuntur. » Neque excipiendum esse impedimentum clandestinitatis, sed ab eo in determinatis tantum circumstantiis haereticos esse liberos, ostendetur ubi de hoc impedimento sermo erit (1).

104. Quum omnia impedimenta dirimentia veram contrahendi inhabilitatem inducant, eorumque nullum solius poenae causa constitutum fuerit, ignorantia etiam invincibilis aut optima fides efficere nequit valere matrimonium, cui dirimens impedimentum obstat. Utrum autem idem sit affirmandum de impedimento criminis, an vero hoc saltem excipi cum nonnullis scriptoribus possit, vide ubi de hoc impedimento dicetur (2).

CAPUT IV.

DE IMPEDIMENTO ERRORIS.

105. Praenotanda : 1° Error in contractibus aut est *substantialis*, qui versatur circa objectum substantiale, aut *accidentalis*, qui versatur circa accidentia et circumstantias objecti. 2° Uterque est aut *antecedens* seu *dans causam contractui*, quo praecognito contractus non fuisset initus, aut *incidens* seu *concomitans*, quo praecognito nihilominus initus fuisset. 3° Error in contractu matrimonii cadit aut in personam, ita ut contrahatur cum alia persona quam cum qua putatur contrahi, aut in personae quali-

(1) Inf. c. 11.
(2) Inf. c. 19.

tatem, ita ut quis putet se contrahere cum divite, nobili, virgine cet., et qualitas hujusmodi revera non adsit. Qualis autem error est impedimentum dirimens matrimonii?

106. Error circa ipsam personam semper irritat matrimonium jure naturae. Est enim error substantialis seu circa substantiam contractus; quo fit omnino deesse consensum, sine quo nullum est matrimonium. Idque sive error sit antecedens sive concomitans (deest enim voluntas contrahendi cum persona praesenti (1); et sive error sit invincibilis sive vincibilis. Validum quidem foret matrimonium si errans nihilominus vere haberet intentionem contrahendi cum persona praesenti quaecumque illa esset; sed de facto ejusmodi intentio numquam habetur.

Si contrahatur cum persona praesenti seu de persona constet, sed erretur in ejus nomine, non est error personae, et valet matrimonium (2).

107. Error in qualitate, qui est accidentalis, regulariter non irritat matrimonium. Irritat tamen in triplici casu, scil. tum si est qualitas proprie dictae conditionis servilis, quo casu adest illud impedimentum juris ecclesiastici, de quo in cap. sq., tum si qualitas fuit praecise posita tamquam conditio consensus, quo casu adest impedimentum juris naturae, sed non ex errore, verum ex non impleta conditione posita in matrimonio conditionate inito, tum si est qualitas redundans in personae substantiam. Haec paucis ita contracta nunc singula exponentur.

108. Error itaque in qualitate regulariter non irritat matrimonium (3), licet provenerit ex dolo alterius partis, et etiamsi sit antecedens seu dans causam contractui; vid. c. 18 *De spons. et matr.*, et S. C. C. in *Valachien. Matrimonii* 20 dec. 1862 (4).

(1) Vid. S. Thom. *Suppl.* q. 51, art. 1 et 2.

(2) Vid. S. C. C. in *Compostellana seu Lucen. Matrimonii* 29 aug. et 19 sept. 1744 (*Thes. S. C. C.* t. 13), et *Romana Nullitatis matrimonii* 9 aug. 1817, 27 maii 1820. (Ib. t. 77 et 80).

(3) Vid. S. Thom., l. c. art. 2.

(4) *Thes. S. C. C.* t. 121 et in op. *Acta S. Sedis*, t. 1. Rom. 1865 p. 257 sqq. coll. p. 371 sqq.

Ne autem pro dolo afferas aut paritatem cum matrimonio inito ex metu gravi injuste incusso, aut jure ipso irrita esse, vel saltem rescindibilia, sponsalia ceterosque contractus, quibus dolus et error ex eo ortus causam dederint. Etenim quod de metu jus statuit, hoc non constituit de dolo; et merito, quia metus facile potest probari, non ita dolus, et gravia nascerentur incommoda et scandala, si idem pro dolo fuisset admissum. Quoad reliqua vero discrimen facile indicatur, quum sponsalia et alii contractus sint natura sua dissolubilia, matrimonium vero sit indissolubile.

Dolus igitur per se non est impedimentum dirimens matrimonii. Potest quidem ex dolo oriri error in persona, vel redundans in substantiam personae, vel error conditionis servilis: potest quoque invaliditas adesse propter non impletam conditionem consensui appositam, vel propter metum gravem injuste incussum qui sit cum dolo conjunctus; verum in his omnibus invaliditas non est ex dolo, sed ex alio capite.

109. Error autem in qualitate ne tum quidem irritat matrimonium quando qualitas est ejusmodi, ut ex gravissimis rationibus affirmari possit partem errantem nequaquam voluisse matrimonium inire, si qualitatem illam novisset; ex. gr. graviditas ex alio, condemnatio ad poenam infamantem, permanens animi imbecillitas (1).

110. Quamquam error in qualitate regulariter non irritat matrimonium, irritat tamen 1°, si qualitati consensus est alligatus, seu qualitas est vera conditio consensui apposita. At in eo casu proprie non agitur de impedimento erroris, sed de matrimonio inito sub conditione, qua deficiente deficit consensus ideoque matrimonium. Illicitum quidem universim est conditionem appo-

(1) Graviter errat Walter, ubi contrarium propugnat in op. *Lehrbuch des Kirchenrechts*, ed. 12, Bonn. 1856, § 305, et aliquantum moderatius eod. loco ed. 13 a. 1861. Numquam error circa praedictas qualitates fuit admissus; ex. gr. de casu graviditatis ex alio vid. S. C. C. in *Novarien* 24 febr. 1720 (*Thes.* t. 1).

nere consensui matrimoniali; si tamen deest qualitas, cui tamquam conditioni consensus vere fuit alligatus, matrimonium irritum est coram Deo, quoquo modo, etiamsi mere interno, consensus fuerit sub ea conditione praestitus. Sed in foro externo validum censebitur matrimonium, quamdiu non fuerit plene probatum conditionem fuisse appositam et defecisse; partium enim dicta non sufficiunt. Neque agi poterit de nullitate, si, cognito errore, vel cognito defecisse conditionem appositam, consensus fuerit sive expresse sive tacite renovatus. Fusius de hujusmodi revalidatione matrimonii ob defectum consensus irriti dicetur infra (1).

111. 2° Si persona libera contrahit cum persona in proprie dicta servitute existente, quam putat esse liberam, hic error conditionis servilis irritat matrimonium; sed de hoc agetur in cap. sequenti.

112. 3° Error irritat matrimonium, si objectum erroris est qualitas redundans in substantiam personae, sive error sit antecedens sive concomitans, sive invincibilis sive vincibilis. Sed merito scribit Clericatus (2) : « Verum ad cognoscendum, quando error redundet in substantiam personae, adeo confusi et discordes sunt Doctores in assignanda regula, ut illi, qui se profitentur faciliores, in effectu obscuriores evadant, et quod multi asserunt de nullitate matrimonii circa errorem qualitatis, alii affirment de validitate. » Et paulo post (3) : « Illud autem est notandum, quod in foro fori difficillimum est obtinere sententiam nullitatis matrimonii ob errorem in qualitate personae; ea ratione, quia, ut scribit Emin. Cardin. de Lurea... juste et prudenter decrevit Ecclesia, ut legitur in cap. unic. 29, quaest. 1, quod error in qualitate non invalidet matrimonium, ne confunderetur societas fidelium,

(1) C. 35 § 1.
(2) Decis. 19 *De Sacr. matr.*, n. 27.
(3) N. 33.

pax communis turbaretur, et familiae remanerent expositae odiis, et rixis, prout incessanter contingeret, si super hoc impedimento qualitatis non cognitae dissolverentur conjugia; quilibet enim post initas nuptias, facti poenitens, assereret, se credidisse in corde suo qualitatem aliquam in conjuge, quam adesse non reperit, et ex ejus defectu praetenderet ob errorem qualitatis a matrimonio resilire. Quamvis autem in fori poli esse possit irritum matrimonium ob defectum qualitatis, cujus intuitu quis consensit in illud; aliter tamen sententiandum est in foro fori ob motiva praedicta. » Idem observandum esse in casu conditionis consensui appositae supra patuit (1).

115. Quandonam igitur qualitas dicenda erit redundare in substantiam personae? Conantur auctores vario modo hoc indicare. S. Thomas his verbis utitur : « Error nobilitatis, in quantum hujusmodi, non evacuat matrimonium eadem ratione, qua nec error qualitatis : sed si error nobilitatis vel dignitatis redundat in errorem personae, tunc impedit matrimonium : unde si consensus mulieris feratur in istam personam directe, error nobilitatis ipsius non impedit matrimonium : si autem directe intendit consentire in filium regis, quicumque sit ille : tunc si alius praesentetur ei quam filius regis, est error personae, et impedietur matrimonium (2). »

114. Consideratis iis quae apud diversos traduntur, quaedam praecipue consideranda sunt :

a) An qualitas sit ejusmodi ut personam distinguat a qualibet alia, eamque pro errante veluti individuet.

b) An erranti persona non sit nota nisi sub qualitate in qua errat, vel saltem haec sit praecipua notitia. Nisi enim ita se res habeat, facile potuit aliis personae qualitatibus captus esse errans. Utile praesertim est scire an persona fuerit nota erranti, ante-

(1) N. 110.

(2) L. c. art. 2 ad 5. De hoc textu vid. S. Alph. De matr., n. 1015.

quam hujus menti obversaretur qualitas in qua errat, et an errans jam antea statuerit matrimonium cum illa inire.

c Utrum intentio principaliter ac directe cadat in qualitatem in qua erratur, an vero principaliter ac directe cadat in personam, quae per errorem creditur eam qualitatem habere. Prius locum habet, quando ex. gr. quis intendit contrahere cum primogenita comitis A, hanc autem qualitatem credit esse Mariae praesenti; posterius vero, quando intendit contrahere cum Maria praesenti, quam credit esse primogenitam comitis A.

115. Quoties autem non agitur de qualitate personam omnino determinante et veluti individuante, intentio qualitatis, ut dicatur principalis et directa, atque ita quidem ut error obstet validitati matrimonii, videtur reducenda ad casum conditionis consensui alligatae; si vero agatur de qualitate personam ipsam determinante et veluti individuante, hoc ipso ordinarie aderit ejusmodi principalis et directa intentio qualitatis valori matrimonii obsistens. Attende tamen ad vocem *ordinarie;* nam fieri potest qualitatem quidem talem esse ut universe personam ab alia quacumque distinguat eamque determinet, sed de facto ejus personalitatem non determinet atque individuet in mente ipsius errantis, verum in hac personalitas non mutetur per absentiam qualitatis. Hoc autem ex circumstantia indicata n. 114 sub *b*, aliisque dignoscendum est (1).

116. Minus vero accurate scribunt nonnulli, errorem redundare in substantiam quando qualitas est finis matrimonii, ita ut matrimonium sit unicum medium finem hunc assequendi seu

(1) Cf. Boeckhn, n. 45, *De spons. et matr.* Qui diversam auctorum expositionem perpendere cupit, eam reperiet inter alios ap. Boeckhn l. c., Clericatum l. c., S. Alph. De matr. n. 1013 sqq., Carrière, *De matr.* n. 635, *Compend. de matr.* n. 143, Knopp, op. cit § 7, Kutschker, op. cit. t. 4, Vindob. 1857 § 231, Bangen, op. cit. tit. 2, p. 83 sqq., van de Burgt, *Tract. de matr.* n. 91 sqq., Schulte (tunc cath.), *Handbuch des kath. Eherechts*, Giessen 1855, part. 1 § 19, sub. II, Weber, *Die kanonischen Ehehindernisse*, Frib. in Brisg. 1883, p. 7 sqq.

obtinendi illam qualitatem. Melius dicunt alii errorem redundantem in personam esse errorem in tali alterius contrahentis qualitate, quae conceptum ejus personalitatis seu individualitatis ita limitet et determinet, ac pro errante ita eam individuet, ut ea deficiente pars altera fiat alia persona. Revera ex omnibus hucusque dictis colligitur debere esse errorem, quo personae identitas tollatur, adeo ut tandem res fere reducatur ad errorem in persona, vel ad conditionem consensui appositam.

117. In praxi vix umquam locus est errori qualitatis redundantis in personam; casu autem occurrente dirigitur quidem judicium per tres regulas allegatas, sed partium animus omnesque circumstantiae penitus debent investigari et expendi, et decisio semper peti ab auctoritate competente. Quantumvis dura interdum videri possit conditio errantis si pronuntietur pro validitate, praevalent hujusmodi incommodis publici boni ratio et gravissimum momentum stabilitatis vinculi matrimonialis. Quia autem materia hoc capite tractata, praesertim quoad ultimam partem, a circumstantiis fere tota pendet, utile est expendere causas tractatas in S. C. C. (1).

118. Matrimonium ex errore irritum convalescit accedente consensu (2). An autem et quandonam requiratur ut consensus renovetur in forma Tridentina seu coram parocho et testibus, in fine hujus tractatus dicetur (3). Si vero nolit errans renovare consensum, quoad torum quidem possunt partes se propria auctoritate separare, sed regula est auctoritate ecclesiastica fori externi eas indigere ad solvendam cohabitationem (4).

(1) Ex. gr. in *Frisingen.* 7 et 28 aug. 1745 (*Thes. S. C. C.* t. 14), et in *Romana* ac *Valachien.* citatis sup. n. 106 et 108.

(2) Vid, sup. n. 110, inf. c. 35 § 1.

(3) C. 35 § 4.

(4) Vid. inf. c. 27 et 29.

CAPUT V.

DE IMPEDIMENTO CONDITIONIS SERVILIS.

119. Sunt qui occasione impedimenti conditionis tractent de ea quoque nullitate, quae oritur ex non impleta conditione sub qua consensus fuit praestitus; ejus interdum tantum fit mentio in isto libro; nam plenior ejus expositio pertinet ad theologicam tractationem de consensu in matrimonium. Hic igitur impedimentum conditionis non intelligitur nisi illud quod proprie ita appellatur, et de quo in Decretalibus exstat titulus *De conjugio servorum*.

120. Irritum est matrimonium cum persona in proprie dicta servitute constituta contractum a persona libera, quae illius servilem conditionem ignorabat (c. 2 et 4 h. t.), licet, si scivisset, voluisset tamen contrahere, et probabilius etiam quamvis ignorantia fuerit crassa; sufficit enim error, et ignorantia crassa non aequiparatur scientiae (1). Ea tamen sola conditio servilis intelligenda hic est quae est stricte dicta servitus, qua servi sunt mancipia, quae vendi et locari a domino possunt cet. Nullatenus igitur hoc impedimentum respicit famulos domesticos, nec homines glebae addictos (homines proprios, colonos, *Leibeigene*), sive adscriptitios sive originarios (2), nec servos poenae, i. e. damnatos ad carcerem perpetuum vel triremes (3).

121. Impedimentum conditionis servilis non potest repeti a defectu veri consensus; consensus enim vere existit; quare hujus

(1) Vid. S. Alph. de matr. n. 1019.

(2) Contrarium erronee tradunt P. Paludanus, *In* 4^m *sent.* dist. 36, q. 1, art. 2, Walter op. cit. ed. 13 § 305 not. 11.

(3) Errat contrarium cum Mastrio docens Clericatus, decis. 20 *De sacr. matr.* n. 12.

defectui aliqui nimis insistunt (1). Neque esse errorem personae vel qualitatis redundantis in personam (2) ex dictis in cap. praec. manifestum est. Ex eo igitur saltem capite impedimentum hoc juri naturae adscribi non potest; sed nec ideo id faciendum quod conditio servilis repugnet bonis substantialibus matrimonii; nam quoad solam executionem in ejusmodi conjugio difficultatem patiuntur. Si ipsis hisce bonis adversaretur conditio servilis, irritum etiam foret conjugium scienter contractum a persona libera cum serva, vel, sive scienter sive ignoranter, inter servum et servam; hujusmodi tamen conjugia certo valida sunt.

122. Hoc itaque impedimentum ortum est a positiva voluntate legislatoris volentis errorem hunc, licet qualitatis, esse impedimentum dirimens matrimonii; non divini autem, sed ecclesiastici juris impedimentum est (de civilis principis pro matrimoniis infidelium potestate ultra non loquimur; cf. n. 67 sqq. 81). Quamquam enim in jure Romano jam viguisse docetur, a sola tamen Ecclesia impedimentum agnoscente vim dirimendi potuit obtinere et obtinuit; sed initium hujus disciplinae ab Ecclesia inductae indicari nequit. Quum autem S. Thomas expresse doceat (3) hoc impedimentum esse juris positivi, rationes jus naturae tangentes, quas S. Doctor allegat (4), ab eo allegantur tamquam rationes a natura petitae, propter quas Ecclesia hoc impedimentum induxerit, non vero ut rationes e quibus ipso jure naturae sequatur matrimonii nullitas.

Et revera hoc impedimentum induxit Ecclesia propter motiva gravissima a jure naturae suadente deprompta, propter quae noluit Ecclesia personam liberam ignoranter conjugium subire, in quo tanta est inaequalitas, tanta incommoda, tanta quoad executionem bonorum matrimonii difficultas, sed ejus consensui

(1) Inter quos Knopp, op. cit. § 6.
(2) Cum nonnullis aliis contrarium ponit Bangen, op. cit. tit. 2, p. 98 sq.
(3) *Supplem.* q. 52, art. 1 ad 3.
(4) Ib. q. 51, art. 2 corp., et ad 4, et q. 52, art. 1 corp. et ad 1, 4, 5, 6.

hoc relinquere voluit. Atque haec ratio est, ob quam istud impedimentum absque dispensatione tolli potest per consensum errantis.

123. Ex dictis intelligitur 1° valere matrimonium a persona libera scienter contractum cum serva.

2° Absque dispensatione posse matrimonium validari per consensum, cognito errore, datum sive expresse sive tacite ; c. 2 et 4 h. t. ; ea de re plura alibi (1), uti etiam de quaestione quandonam novus consensus debeat praestari in forma Tridentina, id est coram parocho et testibus (2). Porro pars serva, si partem liberam fraude decepit, tenetur, hac volente, (id enim in isto casu semper est in hujus arbitrio), manere in conjugio, quum injuria aliter reparari nequeat ; secus vero si bonae fidei et ipsa fuerit (3). Quod si pars libera nolit consentire, probatio ignorantiae ipsi incumbet, quando compartis conditio servilis erat communiter nota ; secus vero parti servae incumbet probatio scientiae partis liberae (4). Quamquam autem quoad torum se possunt partes separare propria auctoritate, pro separatione tamen quoad cohabitationem regula est, requiri auctoritatis ecclesiasticae fori externi declarationem (5).

3° Si post contractum matrimonium libera facta fuerit pars serva antequam pars libera errorem suum cognoverit, nondum idcirco convalescere matrimonium (6).

4° Valere matrimonium etiam ignoranter contractum inter servum et servam (7).

(1) C. 35 § 2.

(2) Ib. § 4.

(3) Cf. Clericat. l. c. n. 8.

(4) Cf. S. Alph. n. 1021. Clericat. l. c. ubi consulit ut utrique parti assignetur onus probandi, quo melius veritas a judice cognoscatur.

(5) Vid. inf. c. 27 et 29, et S. Alph. n. 1020, Schmier, *Jurisprud. canonico-civ.* l. 4, tr. 3, c. 2, n. 177.

(6) Erronee contrarium ponit Knopp, l. c. sub. 4. Vid. potius inf. c. 35 § 2.

(7) Cf. S. Alph. n. 1018, coll. n. 1017, Bangen l. c. p. 99, qui tamen

5° Valere matrimonium personae liberae cum libera, quam putat esse servam.

6° Valere matrimonium si per hoc ipsum pars serva reddatur libera; non vero si postea, etiamsi brevi post, futura sit libera (1).

7° Valere matrimonium invito domino contractum inter personas serviles, vel scienter inter liberam et servam; c. 1 h. t. Antiquitus quidem aliquando invalida fuisse videntur ejusmodi matrimonia; sed jamdiu dominorum in matrimonium servorum consensum ad valorem non requiri Ecclesia voluit (2). An autem licite ineant servi matrimonium invito domino, pendet e circumstantiis; quemadmodum enim domini est eos non impedire a fine matrimonii, ita servorum est non inferre notabile praejudicium domino, nec impedire solita servitia; vid. c. 1 h. t. in VI.

124. Impedimentum conditionis servilis hodie in plerisque regionibus occurrere nequit; ejus tamen notitia necessaria est tam pro matrimoniis contractis in regionibus, in quibus adhuc servitus existit, vel contractis in aliqua regione ante abrogatam ibi servitutem, quam pro contractis in regione, in qua non acquiritur libertas per ipsum accessum ad eam (3).

CAPUT VI.

DE IMPEDIMENTO VIS ET METUS.

125. Proprie dicta coactio, quae nonnisi in actum externum cadere potest, ex. gr. physice coacta capitis inclinatio, efficit

immerito hanc allegat rationem, quod tunc error non redundet in personam; cf. sup. n. 121.

(1) Cf. S. Alph. n. 1022.

(2) Cf. Ben. XIV, *De syn.* l. 9, c. 11. n. 2 sqq.

(3) Ff. Kenrick, *Theol. mor.* ed. Mechl. 1860, t. 2, tract. 21, n. 140 sqq., card. archiep. Viennensis litt. past. 21 dec. 1856 § 6, ap. von Moy, *Archiv fuer katholisches Kirchenrecht*, t. I, p. 242, et Konings, *Theol. mor. S. Alph. in compendium redacta*, ed. 5, Neo-Ebor. 1882, n. 1577 sub 4°.

nullum ex actu consensum posse erui; actus enim ita coacti non sunt voluntarii. Quando igitur sermo instituitur de impedimento vis et metus, sub priori voce non intelligitur illa coactio seu violentia, sed ea quae consistit in inferendo metu, seu quae actus internos, voluntatem metum patientis, afficit et voluntarium non tollit sed minuit. Hoc itaque loco vis confunditur cum metu, suntque correlativa ita ut *vis* dicatur hoc impedimentum quatenus prae oculis habetur metum inferens, *metus* vero quatenus consideratur is cui metus infertur. Quamquam igitur per se et stricto sensu differunt vis seu violenta coactio et metus, in hac tamen tractatione vis ac metus confunduntur, quia vis non intelligitur in stricta vocis significatione (1).

126. Metus quidem voluntarium tollit, quando ita mentem perturbat ut usum rationis auferat eo momento quo actus ponitur, sed nec de ejusmodi metu hic agitur; nam invaliditas matrimonii tunc provenit ex alio capite, defectu nempe usus rationis, quum ejusmodi metus voluntarium omnino tollat. Impedimentum metus respicit casum, quo metus non abstulit usum rationis. Metus autem ejusmodi non tollit voluntarium nec consequenter consensum, sed minuit voluntarium, minuit libertatem consensus; actus ex metu positus est simpliciter voluntarius, et nonnisi secundum quid, ut aiunt, involuntarius.

127. Quia tamen matrimonium res est gravissima, individuam vitae consuetudinem exigens, et coactae nuptiae infelicem habent exitum, maxima consensui libertas vindicanda est, et procul abigenda injuria huic libertati inferenda. Merito igitur in gravibus quibusdam circumstantiis irritum est matrimonium propter metum. Verumtamen ex alia parte postulat necessitas stabilitatis vinculi matrimonialis, ut invaliditas locum non habeat nisi propter metum gravibus quibusdam circumstantiis stipatum.

128. Scilicet 1° debet esse metus incussus a causa libera seu

(1) Vid. S. Thom. *Suppl.* q. 47 art. 1.

ab extrinseco; nulla enim injuria infertur, si ab intrinseco seu a causa necessaria metus proveniat; una autem e conditionibus necessariis est ut metus sit injuste incussus (1).

129. 2° Metus debet esse gravis, id est cadens in constantem virum, vel resp. feminam; vid. c. 15 *De spons. et matr.* Levis enim metus facile superatur, et non infert injuriam tanta sanctione repellendam, ac facile plurium matrimoniorum nullitas allegaretur, si metus levis sufficeret.

Gravitas autem illa judicis aestimatione saepe erit ponderanda. Sunt quaedam mala absolute seu omnibus metum gravem incutientia, quaeque igitur a parte ipsius objecti metum gravem causant (2). Possunt etiam mala quaedam non absolute gravia neque per se metum gravem incutientia, esse tamen respective gravia et gravem metum inferentia propter qualitatem et conditionem personae aliasve circumstantias. Ita etiam metus reverentialis per se quidem levis est; attamen spectatis circumstantiis gravis esse potest (3).

130. Ad metum itaque gravem requiritur gravis mali comminatio; sed plurimum gravitas pendet tum a natura mali seu objecti, tum a subjecto cui metus infertur et personis quibus malum imminet, tum a subjecto metum incutiente, tum a circumstantiis in quibus metus incutitur. Ea omnia perpendet judex, et judicium efformabit juxta ea quae communiter, ponderatis omnibus praedictis, metum gravem causant. Si vero ob peculiares omnino circumstantias communiter non sufficientes nullum praetendatur matrimonium ob metum, nullitatem non pronuntiabit nisi illae ita fuerint probatae, ut metus gravis existentia sit manifesta.

(1) Cf. Clericat, decis. 27 *De Sacr. matr.* n, 30 sq., Bus. ap. S. Alph. De matr. n. 1045 sub 1-7, coll. S. Alph. n. 1053.

(2) Cf. Clericat. l, c. n. 16 sq., S. Alph. n. 1048.

(3) Cf. Cleric. l, c. n. 23-29, S. Alph. n. 1056, van de Burgt, *De matr.* n. 99 in fine, et vid. S. C. C. in *Eystetten et Ratisbonen. Matrimonii*, 23 januar. 22 maii 1875 (*Thes.* S.C.C. t. 134, *Acta S. Sedis* t.8 p.577 sqq.).

151. Ut gravis metus vere dicatur exstitisse, praeterea requiri solet ut metum incutienti sit et esse credatur minas exequendi potestas, et ut metum passus non possit facile minas evitare et malum quod comminantur fugere. Hae quidem aliaeque ejusmodi circumstantiae regulariter considerandae sunt pro efformando judicio; sed prae ceteris explorandum est quid ea, quae acciderunt, operari potuerint et operata sint in animum metum passi (1).

152. Necesse non est ut grave malum, quod quis comminatur, immineat ipsi contrahenti, sed sufficit ut immineat personis tam arcte ei conjunctis, ut malum iis imminens graviter percellere debeat illius animum (2).

153. 3° Requiritur ut metus fuerit injuste incussus; non enim infertur injuria, quando metum incutiens jure suo utitur. Sed quandonam erit metus injuste, quandonam juste incussus? Discrepant auctores (3), sed duo videntur esse consideranda : *a)* an metum incutiens sive publica sive privata persona jus habeat hoc matrimonium exigendi; *b)* an jus ei sit minandi et exequendi quod minatur. Ex his igitur juste incussus metus erit, quando metum incutiens jus habet tum exigendi matrimonium tum minandi et exequendi quod minatur; injuste vero incussus erit quando alterutrum deest. Quo posito, sponte sua fluit ad matrimonii invaliditatem non sufficere metum per se injuste incussum, sed requiri eum qui ad extorquendum matrimonium fuerit incussus, et de hoc ipso nunc dicendum est.

(1) De praefatis circumstantiis maxime in foro externo ponderandis cf. Clericat. l. c. n. 19 sqq., S. Alph. n. 1047, Knopp, op. cit. § 8 p. 44 sq., van de Burgt, op. cit. n. 99

(2) Cf. Clericat. n. 17, S. Alph. n. 1047, Knopp. p. 48 sq., van de Burgt, l. c.

(3) Cf. Clericat. n. 31-35, S. Alph. n. 1049 1053, Knopp. p. 42. 51 sq., Bangen, tit. 2 p. 95 sq., Kutschker. t. 4 § 235. p. 197, § 236, p. 200 sqq., van de Burgt, n. 100 sq., alium ap. von Moy op. cit. t. 2 p. 78, t. 3 p. 56 sqq. et S. C. C. in *Callien. Matrimonii* 25 maii 1867 (*Thes.* S. C. C. t. 126, *Acta S. Sedis*, t. 3, p. 225 sqq.)

134. 4° Revera videtur omnino requiri ut metus fuerit incussus ad extorquendum matrimonium.

Sunt qui putent (1) hoc non requiri, sed sufficere metum gravem injuste incuti et inde occasionem dari matrimonio, quod metum injuste passus contrahat ut minarum executionem avertat. Communiter tamen docetur requiri ut metus fuerit incussus ad extorquendum matrimonium, et valere matrimonium initum ex metu, alia de causa incusso, mali pro quo vitando metum passus sponte obtulit matrimonium (2).

Verumtamen quamquam metum alia de causa incutiens, sed proposito matrimonio a metu incutiendo cessans, non hoc ipso dici potest metum ad extorquendum matrimonium incutere, nonnumquam ex ejusmodi circumstantiis argumentum potest oriri metus revera incussi ad extorquendum matrimonium.

135. Si quatuor expositae conditiones adsunt, invalidum est matrimonium, etiamsi verus internus consensus non defuerit, et licet metum passus propria culpa in eum casum inciderit (c. 15 *De spons. et matr.*); licet etiam juramento fuerit munitus consensus (3), et sive cum persona determinata, sive ex. gr. cum una filiarum Petri, contrahere metuens fuerit coactus; sive etiam metus fuerit incussus ab ipso contrahente, sive a tertio, aut absque aut ex mandato illius; sive demum tertius ille utilitatem ex eo matrimonio referat sive non referat. Metus tamen ab ipso contrahente vel a tertio ejus mandato incussus facilius probabitur incussus ad extorquendum matrimonium, quam si a tertio absque illius mandato inferatur.

136. Disputatur inter auctores utrum impedimentum metus sit jure naturae, an vero jure ecclesiastico constitutum. De jure positivo divino sermo esse nequit. In praefata autem disputatione non

(1) Inter eos sunt Schmier, l. c. n. 42, et lib. 3, tr. 3, c. 1, n. 367 sqq., Boeckhn, n. 51 sqq. *De spons. et matr.*, Maschat, n. 69 cod., Wiestner, n. 229 sqq. eod., *Rev. théol.* ser. 4, p. 321 sqq.

(2) Cf. Pichler, n. 112 *De spons. et matr.*, Reiff. n. 328 eod.

(3) Cf. Clericat. n. 36, van de Burgt, n. 104.

quaeritur an suadeat jus naturae ut statuatur nullitas, sed an ex ipso jure naturae haec proveniat et ab eo constituatur ; prius enim illud affirmant ii etiam omnes, qui dicunt esse impedimentum juris ecclesiastici.

137. Non pauci opinantur hoc impedimentum esse juris naturae ; quorum argumenta haec sunt : 1° Jus canonicum in omnibus capitulis de hac nullitate agentibus non irritat matrimonium, sed sumit esse irritum, nec exstat jus antiquius hoc impedimentum inducens. Imo jus ipsum ponit metum irritare propter defectum consensus ; c. 14 *De spons. et matr.* 2° Matrimonii et status matrimonialis naturae incussio metus repugnat, videlicet conjunctioni animorum et corporum, individuae vitae consuetudini, quae omnimodam libertatem exigunt in iis qui contrahunt. Ad matrimonium igitur ex jure etiam naturae non sufficit consensus simpliciter voluntarius, sed requiritur omnino liber. 3° Secus jus naturae non consuluisset indemnitati innocentis, per metum injuste incussum coacti ad contractum indissolubilem, eique nulla foret contra tantam injuriam in integrum restitutio. Certo autem hoc absurdum sequeretur, matrimonia infidelium ex metu inita esse valida.

138. Sed cum multis aliis juris ecclesiastici impedimentum esse dicatur, quamquam ex rationibus allatis intelligitur eas suadere ut jure positivo statuatur. Si esset juris naturae, nullitas oriretur aut ex defectu consensus, aut ex defectu libertatis in consensu, aut ex injuria illata. At jus naturae imprimis quidem non statuit nullitatem in eo casu ob defectum consensus. Hic enim adest simpliciter voluntarius ; nam metus etiam injuste a causa libera incussus voluntarium non tollit sed minuit ; quod idem facit metus incussus juste vel a causa necessaria ; nihilominus hic fatentibus adversariis non reddit matrimonium irritum. Ex his patet verba c. 14 *De spons. et matr.* non posse sensu deficientis veri consensus accipi et urgeri. Nec jus naturae statuit nullitatem ob defectum libertatis in consensu ; nam libertas non tollitur sed minuitur per metum ; si ergo ea ratio esset, sufficeret metus incussus a causa

necessaria seu ab intrinseco, vel a causa libera sed juste, quod tamen et adversarii negant. Nec demum a jure naturae statuitur nullitas propter injuriam ; nam adsunt omnia substantialia, quae jure naturae ad valorem sufficiunt. Num forte dicendum, omnem actum ad quem cum gravi injuria quis compellitur, jure naturae esse irritum ? Negant omnes. At repones ita esse si secus injuria sit irreparabilis. Hac de re illico.

139. Ut absoluta sit argumentatio, rationibus oppositis haec sit responsio.

Ad 1 : Sunt plura tum impedimenta tum alia disciplinae capita, quae ut existentia ponuntur in jure, et quorum prima constitutio nequit indicari, ac niholominus absque dubio juris ecclesiastici sunt.

Verba vero c. 14 *De spons. et matr.* non posse accipi de defectu veri consensus, id est voluntarii, supra patuit, neque ipsi adversarii admittunt voluntarium et consensum deesse quoties ex metu aliquid fit ; quod tamen admittere deberent si vellent adeo rigorosum verbis illis subjicere sensum. Restat ergo Pontificem de eo consensu loqui, qui revera nunc requiritur ad matrimonium, non vero de eo qui ex jure naturae sit necessarius. Hujusmodi usus loquendi aliud exemplum evidens est in c. 2 *De despons. impub.* Exigit profecto jus naturae libertatem in consensu matrimoniali, sed probari nequit jus naturae pronuntiare nullitatem, si consensus voluntarius quidem sit, sed non omnino liber. Suasioni autem juris naturae satisfecit Ecclesia omnimodam libertatem pro valore requirens propter circumstantias in aliis prioris opinionis argumentis allatas, et quia ex invitis nuptiis tristes solent exitus provenire. Iisdem motivis innititur Trid. sess. XXIV c. 9 de ref. matr. Eo sensu de necessariis ad consensum loquitur c. 14 cit.

140. Ad 2 : Ratio ea est quae ostendit expediens fuisse, ut jure positivo statueretur impedimentum ; sed non probat, si adsit metus, destrui substantiam. Incommoda magna metus ille causat, sed non tollit conjunctionem animorum ad validum contractum matri-

monialem necessariam, nec destruit aptitudinem conjunctioni corporum substantialem aut bona substantialia.

141. Ad 3 : Idem valeret contra matrimonium dolo obtentum, ex quo non fuit ortus error substantialis vel in substantialem redundans ; nihilominus, fatentibus adversariis, nemini licet dolum per se habere ut impedimentum dirimens. Nec dicas cum Schmier (1) duplicem esse disparitatem. Imprimis enim dolum latere, ideoque non expedire ut matrimonium sit irritum propter dolum, praesertim cum deceptio possit ab industrio et perspicaci praecaveri ; metum vero ex parte inferentis patere ; nec posse ita praecaveri a metum passo ; magis igitur consultum fuisse matrimonium coactum quam dolose obtentum valore suo privare. Ad primam hanc disparitatis rationem respondetur metum quoque posse animo forti despici et superari, imo dolum difficilius praecaveri quam metum. Alteram disparitatem affert Schmier dicendo, metum adimere libertatem consensus circa personam versarique circa objectum substantiale ; dolum vero non solere adimere libertatem consensus circa personam vel objectum substantiale, sed circa qualitates et objectum accidentale ; quodsi dolus versetur circa personam et objectum substantiale, vel etiam circa praedicatum accidentale redundans in personam aut in conditionem deductum, tunc matrimonium infringi ; atque sic ex dolo muniri potius opinionem eorum, qui impedimentum metus juri naturae attribuunt. At neque haec ratiocinatio infirmat responsionem initio hujus numeri datam. Etenim metus versatur quidem circa personam, quia huic infertur ; sed non afficit personae substantiam vel objectum substantiale ; et quando nullum est matrimonium, quia adfuit dolus ex quo ortus est error vel aliud ipsam substantiam personae vel objecti afficiens, nullitas illa non ex dolo, sed ex alio capite repetitur (2). Manet igitur responsio supra instituta ex paritate cum dolo.

(1) Op. cit. l. 4 tr, 3 c. 4. 64 sq.
(2) Cf. sup. n. 108.

142. Insuper jus naturae contrahentem ex metu non obligat ad verum praestandum consensum; remedium ergo obvium habes. Quod si objicias fideli propter Sacramenti reverentiam non licere fictum dare consensum, reponitur fideli remedium esse in impedimento juris ecclesiastici, et, si forte luculenter probari metus non possit, in dispensatione Pontificia in matrimonio rato, non consummato. Infidelem autem nihil cogit ut interne consentiat; quod si fecerit, non juri naturae sed sibi imputet.

143. Quamquam matrimonium contractum ex metu supra descripto invalidum est, memineris tamen eorum quae notata jam fuerunt (1) de separatione cohabitationis, declaratione nullitatis in foro externo, et necessitate ut postea non fuerit validatum matrimonium per consensum metu cessante libere praestitum. Etsi enim juris ecclesiastici hoc impedimentum esse censeatur, ex rationibus tamen, propter quas fuit constitutum, liquet matrimonium posse absque dispensatione validari per consensum metum passi, dummodo metus cessaverit. Quo cessante, matrimonium validatur per consensum animo maritali renovatum sive verbo vel signo sive facto; sed de hujusmodi revalidatione postea agetur uberius (2); item postea exponetur quandonam consensus renovatio in forma Tridentina fieri debeat (3). Pars illa, quae metu extorsit nuptias, tenetur non retractare consensum, si aut sponsalia praecesserint, aut aliter reparari injuria nequeat, quod ordinarie continget.

144. Notitia hujus impedimenti practica est etiam in regionibus, in quibus viget lex Tridentina de clandestinitate, et in his quoque illud, licet aliquantum difficilius quam in aliis, occurrere potest (4); idque constat ex poena, quam Trid. sess. 24 c. 9 de

(1) NN. 110, 118, 123 sub 2°; cf. etiam card. archiep. Viennensis litt. 21 febr. 1857 ad ep. Transsilvanensem, ap. von Moy, op. cit. t. 1 p. 495 sqq.
(2) C. 35 § 2.
(3) Ib. § 4.
(4) Cf. Knopp. p. 56 sqq.

ref. matr. comminatur temporalibus dominis et magistratibus libertatem matrimonii violantibus; quae tamen poena juxta declarationem S. C. C. (1) non afficit privatos. Idem etiam ostendunt multae causae in S. C. C. tractatae (2).

CAPUT VII.

DE IMPEDIMENTO RAPTUS.

145. Quia maxima libertati matrimonii infertur injuria, si ejus intuitu mulier abducatur seu rapiatur, graves poenae semper fuerunt raptoribus inflictae, ac labente tempore nullitas etiam matrimonii cum rapta contracti fuit inducta. Ante Conc. Trid. raptus non videtur fuisse, in universali saltem disciplina, impedimentum dirimens; si vero alicubi hoc exstiterit, certo tamen ibi valebat matrimonium, si raptae consensus absque gravi metu praestitus accessisset. Haec autem statuit Concilium, sess. 24, c. 6 de ref. matr. : « Decernit sancta Synodus, inter raptorem, et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto, et libero constituta, illum in virum habere consenserit; eam raptor in uxorem habeat, et nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium, et favorem praebentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum in-

(1) Ap. Fagn. n. 4 ad c. *Insinuante*, 7, Qui cler. vel vov.

(2) Ex. gr. *Cenomanen. Matrimonii* 10 junii 1865 (*Thes. S. C. C.* t. 124. *Acta S. Sedis*, t. 2, p. 6 sqq.), *Neten. Matrimonii* 10 junii 1876, 15 junii, 24 aug. 1878 (*Thes. S. C. C.* t. 135 et 137, *Acta S. Sedis* t. 11. p. 338 sqq.), *Matrimonii* 17 maii 1879, 3 febr. 1880 (Congr. part.; *Acta S. Sedis* t. 12. p. 403 sqq.), *Ebroicen. Matrimonii* 26 jul. 1879, (*Thes. S. C. C.* t. 138. *Acta S. Sedis* t. 13, p. 206 sqq.), *Nullitatis Matrimonii* 9 jul. 10 sept. 1881 (*Acta S. Sedis* t. 14 p. 466 sqq., *Anal. jur. Pont.* ser. 21 col. 108 sqq.), *Matrimonii* 16 dec. 1882 (*Acta S. Sedis* t. 15, p. 434 sqq.).

capaces; et, si clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur praeterea raptor mulierem raptam, sive eam in uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare. »

146. Nequaquam potest raptus cum metu confundi; nam 1°, vi étiam cessante, irritum est matrimonium non obstante raptae consensu, quamdiu haec est in raptoris potestate; 2° excommunicatio ipso jure incurritur a raptore ejusque fautoribus; in casu autem metus non incurritur a privatis, sed ab illis tantum quos indicat Trid. sess. 24, c. 9 de ref. matr. (1); 3° aliae insuper poenae in raptum statutae fuerunt.

147. Distinguere solent auctores raptum *violentiae*, quem communiter ita describunt ut sit violenta de loco ad locum abductio matrimonii ineundi causa, a raptu *seductionis*, quo persona consentiens, sed blanditiis similibusve artibus seducta, invitis praesertim vel insciis parentibus aut tutore, abducentem matrimonii ineundi causa sequitur. Priorem omnes dicunt esse impedimentum dirimens; de posteriori vero disputant. Ex praxi Ecclesiae deprehendendum est an et quatenus stricte urgeri debeant verba, quibus raptus violentiae describi solet, et quid de raptu seductionis sit dicendum. Antequam autem exponantur ea, quae ad impedimenti dirimentis existentiam sunt necessaria spectato modo quo raptus committitur, indicandum est quid requiratur spectato fine propter quem hoc facinus perpetratur.

148. Sunt qui doceant sufficere raptum qui fiat explendae libidinis causa; alium autem finem quam duos illos indicatos excludunt omnes. Qui opinantur sufficere raptum libidinis explendae causa perpetratum, haec proferunt argumenta. 1° Concilium voluit innovare poenas ab antiquis canonibus in raptores positas; ii autem comprehendunt raptum propter explendam libidinem factum. 2° Concilium de raptu loquitur generaliter, causas non distinguens. 3° Mens Concilii deprehenditur ex eo quod loquitur de clericis.

(1) V. sup. n. 144.

149. Communem tamen doctrinam contrariam sequentia probant. 1° Ex textu Concilii constat Patres Tridentinos voluisse libertatem matrimonii tueri, et pro hac tuenda impedimentum constituisse. 2° S. C. C. 23 januar. 1586 declaravit raptum ex alia quam matrimonii ineundi causa commissum non comprehendi Concilii decreto (1). 3° Inde a cit. declaratione a. 1586 praxis Sedis Ap. est, ut in dispensatione super aliquo impedimento formula « dummodo mulier rapta non fuerit » expressius ita ponatur : « dummodo mulier *propter hoc* rapta non fuerit (2). »

150. Facile autem satisfit rationibus pro priori opinione allatis. Respondetur ad 1 : Non voluit Concilium poenas ab antiquis canonibus in *crimen* raptus positas innovare, sed poenas ponere et impedimentum dirimens statuere contra violantes matrimonii libertatem, atque ita simul causam raptus determinavit. Hinc sequitur responsio ad 2, ac praeterea secunda illa ratio infirma est ideo, quia ex ea sequeretur impedimentum existere, quoties ex quavis etiam alia quam matrimonii ineundi causa raptus locum habet ; quod quidem nemo admittit ; cf. n. 148. Ad 3 : Nihil illa ratio valet. Nonne clerici quoque, etiam in sacro Ordine constituti, possunt esse fautores raptus, imo rapere ad matrimonium de facto attentandum ? Nonne posset tam clericus non constitutus in sacro Ordine, quam laicus, valide matrimonium inire, si Tridentinum non statuisset hoc impedimentum ? Num, constituto hoc impedimento, clericus nullo sacro Ordine insignitus valide contrahere potest, si causa matrimonii ineundi rapuerit ? Patet itaque tam clericum quam laicum dici posse rapere matrimonii ineundi causa. Ipsi quoque laici, quamquam non possunt, impedimento raptus

(1) Ap. Pyrrhum Corradum, *Prax. disp. Ap.* l. 7 c. 6 n. 48, Gallemart, ad Trid. l. c., Rigantium, *Comment. in regulas Cancell.* ad reg. 49, n. 54, juxta quem idem declaravit S. C. C. in *Brugnaten.* 14 nov. 1648.

(2) Cf. Corrad. l. c. n. 55 sqq., Rigant. l. c. n. 46 sqq. 92 sqq., de Justis, *De disp. matr.* l. 2 c. 18 n. 32 sqq., Clericat. Decis. 33 *De Sacr. matr.* n. 25, Giovine, *De disp. matr.* t. 2, Neap. 1866, p. 54.

existente, valide nubere raptae, nihilominus rapere possunt matrimonii ineundi causa.

151. Si dubium est fueritne raptus causa matrimonii ineundi perpetratus, circumstantiae ponderari debent. De his scribit Boeckhn (1) : « Si quis nuptias jam antea ambiverit, ac repulsam passus ad raptum deveniat, matrimonii causa fecisse censetur ; secus si prius animum mere impurum ostenderit. » Si ex circumstantiis deprehendi nihil possit, generaliter statuunt multi (2), in dubio praesumi raptum matrimonii ineundi potius quam libidinis explendae causa factum ; sed Boeckhn (3) hoc facile quidem admittit pro eo qui nescit raptum dirimere matrimonium ; difficultatem vero sentit quod spectat ad eum qui id novit, quum in eo gravius et geminatum delictum ita praesumeretur ; quare aliis rem judicandam relinquit. Favor libertatis matrimonii generaliter exigit illam praesumptionem ; ac praeterea in foro externo argumentum duci practice nequit ex ignorantia vel scientia impedimenti, et juris ignorantia non admittitur. In § 173 instructionis pro judiciis ecclesiasticis imperii Austriaci in causis matrimonialibus a card. archiep. Viennensi compositae, et ubique in Austria adoptatae, haec habentur : « De rapta quae cum raptore, dum in ejus potestate permaneret, matrimonium contraxit, praesumendum est, quod matrimonii ineundi causa rapta sit. Quodsi contrarium plene probatum fuerit, consistit nihilominus praesumtio, eam violentia injusta ad consentiendum adactam esse. Haec ipsa praesumtio adversus omne matrimonium militat, quod a quacunque persona quacunque ex causa rapta, antequam libertatem penitus recuperaverit, contractum fuerit. »

152. Quamquam ex supra disputatis solus raptus matrimonii ineundi causa patratus inducit impedimentum dirimens, gravis tamen est ac difficilis quaestio de poenis in raptum statutis. In

(1) N. 50, *Qui cler. vel vov.*
(2) Cf. Knopp, § 29, p. 278, Kutschker, t. 3, § 161 p. 463 sq.
(3) L. c. n. 51.

eum enim etiam raptum, qui non fit intuitu matrimonii, vel in quo non adsunt conditiones quae hoc capite exponuntur, non solum a jure civili Romano, sed ab Ecclesia quoque poenae constitutae sunt, de quibus scribi solet ad tit. *De raptoribus*. Concilium vero Tridentinum l. c. peculiariter posuit poenas in eum raptum qui hoc capite describitur, nempe matrimonii ineundi causa commissum. Juxta Concilium raptor, et omnes ei consilium, auxilium et favorem praebentes, sunt ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, et, si clerici sint, vult Concilium, ut de proprio gradu decidant. Excommunicatio illa est latae sententiae, sed non reservata Sedi Ap. (1); reliquae poenae sunt ferendae sententiae. Poenis autem illis non afficiuntur qui, completo raptu, matrimonio cooperantur; quare parochus etiam assistens matrimonio, quod a raptore contrahitur cum rapta manente in ejus potestate, si raptui non favit, ex. gr. promittendo se adstiturum, poenas a Concilio indicatas non incurrit, licet graviter peccet et aliis poenis plecti possit (2).

153. Communius notant auctores duas modo recensitas poenarum species non esse confundendas, nam poenas a Trid. statutas non incurri nisi propter eum raptum, in quem ad tuendam matrimonii libertatem Concilium animadvertit, ideoque in raptum matrimonii ineundi causa commissum (3). Sed sunt magni etiam nominis auctores qui putant impedimentum quidem dirimens non oriri nisi ex raptu intuitu matrimonii facto; poenas tamen a Concilio impositas per alium quoque raptum incurri. Prioris, non vero posterioris opinionis fautores sibi constare videntur; nam Tridentinum Concilium in suo decreto libertatem matrimonii prae oculis habuit (4), nec potest ei alius de impedimenti, alius de poe-

(1) Cf. tamen inf. n. 187.

(2) Cf. Clericat. l. c. n. 24.

(3) Cf. Pyrrh. Corrad. l. c. n, 48, 60, 62, Reiffenst. n. 10 *De rapt.* coll. n. 379 *De spons. et matr.*, Leuren. *For. eccles.* l. 5. q. 313, Maschat n, 4 *De rapt.*, Giovine l. c.

(4) Cf. sup. n. 149 sq.

narum existentia sensus attribui. Sed omnes forsitan conciliantur, si attendas ex supra dictis raptum semper praesumi factum intuitu matrimonii. Quo fit poenas a Concilio positas debere in foro externo applicari, et haec etiam videtur esse praxis Sedis Ap. At per se, ideoque si probatum esset raptum non fuisse intuitu matrimonii commissum, applicandae forent aliae poenae, non vero eae quas statuit Tridentinum.

154. Dummodo raptus locum habuerit intuitu matrimonii seu ad hoc extorquendum, nihil refert utrum raptum quis fecerit ipse, an vero per alium; ei existit impedimentum cui rapitur. Nihil etiam refert qualis femina rapiatur, honesta vel inhonesta, virgo, vidua cet., et impedimentum existit, licet raptor eam carnaliter non cognoverit.

155. Sunt tamen qui dicant non existere impedimentum si sponsus rapiat sponsam, sed plerique (1) merito censent eo quoque casu illud existere; nam nullibi casus iste excipitur, et libertas matrimonii laeditur. Ipsi prioris opinionis fautores id admittere solent pro casu quo sponsa habeat legitimam causam a sponsalibus recedendi; sed nonne ipsa injuria per raptum illata causam ejusmodi praebet, et consequenter evanescit jus sponsi e quo contraria ab iis deducitur solutio? Textus autem S. Thomae, 2. 2. q. 154, art. 7, ad 3, non solum urgeri non potest, utpote conscriptus ante severissimum decretum Trid. de impedimento dirimente raptus; sed nec agit de impedimento, verum de crimine raptus, seu de raptu qui est species luxuriae, nempe qui causa explendae libidinis committitur. Dicit autem poenas huic crimini positas non incurri a sponso. Simul autem observa, tempore S. Thomae pro foro externo sponsalia per copulam transiisse in matrimonium.

(1) Inter quos Clericat. l. c. n. 18, Boeckhn 1, c. n. 53 sqq., S. Alph. De praec. decal. n. 444, de matr. n. 1108, Carrière, *De matr.* n. 909, *Compend. de matr.* n. 179, Scavini, *Theol. mor.* ed. Par. 1863, t. 4 n. 567, Knopp, p. 280 sq., Kutschker, t. 3 p. 476 sq., Bangen, tit. 2 p, 144.

156. Existimant plures (1) impedimentum etiam existere si vir rapiatur a femina; sed cum communi doctrina videtur negandum (2).

157. Quoad raptum violentiae (3) propius inspiciendum est qualis abductio qualisque violentia requirantur. Diversam viam auctores ingrediuntur.

Alii enim insistunt notioni verae abductionis ac strictius dictae violentiae, et tradere solent non sufficere abductionem ex uno cubiculo in aliud ejusdem domus; abductionem etiam in domum vicinam, vel e loco publico in occultum, eorum non pauci excludunt; maxime vero excludunt meram detentionem qua mulier sive in propria, sive in alterius domo tam arcte custodiatur ut inde exire nequeat. Eamdem autem quoad violentiam procedendi rationem servant. Cum omnibus quidem admittunt non semper requiri physicam coactionem, sed sufficere moralem illam violentiam, qua per gravem metum mulier cogatur sequi, ut dein detineatur vel sub raptoris potestate degat. Sed existimant multi non sufficere, ut dolo vel blanditiis decepta et illecta ad eum locum venerit, in quo detinetur vel in raptoris potestate existit.

Alii vero abductioni aequivalere censent detentionem, multoque magis sufficere abductionem e loco parum distanti factam. Violentiam quoque moralem reperiunt in dolosa vocatione; imo sunt qui blanditiis illectam mulierem, quae deinde detineatur, vere raptam opinentur.

In his autem omnibus, quum de raptu violentiae agatur, semper ponitur sequi violentam detentionem, aliamve sub potestate raptoris constitutionem. Inter ipsos utriusque opinionis auctores

(1) Inter quos Boeckhn 1, c. n. 56 sqq., Schmier, l. 4, tr. 3, c. 4, n. 85 sqq., Pichler, n. 120 sq, *De spons. et matr.*, Carrière, *De matr.* n. 910 et *Compend.* n, 179; iis favere videtur Clericat. l. c. n. 23.

(2) Cf. S. Alph. De matr. n. 1107, Knopp. p. 278 sq., Kutschker, t. 3 § 162, p. 459, Bangen, tit. 2 p. 145.

(3) Cf. sup. n. 147.

de una alterave facti specie dissensio reperitur. Dummodo curetur ne raptus confundatur cum metu, universe cum posteriori potius auctorum classe sentiendum videtur.

158. Ordinarie quidem certius erit mulier in potestate raptoris si fuerit in locum aliquantum distantem abducta, absolute tamen necessarium hoc non est; si enim reliqua adsint quae requiruntur, nulla cernitur ratio, cur raptum non induceret abductio in domum vicinam, vel e via publica in locum occultum. Difficilius etiam raptus reperietur in abductione ex uno cubiculo in aliud ejusdem domus, existere tamen potest. Nimis enim insistendum non est in eo quod saepe dicitur, debere esse abductionem e loco in locum vel ex solita mulieris habitatione, cet.; sed potius consideranda abductio e loco seu statu tuto, in quo mulier non est in potestate raptoris, in locum vel statum in quo sub hujus potestate degit.

159. Communius negatur (1), probabile tamen est detentionem abductioni aequivalere, sed inter ipsos hujus opinionis auctores dissensio est. Sunt enim qui nullo facto discrimine ita docent (2); sunt vero alii qui cum illis sentiunt pro solo casu quo per dolum mulier ad locum, in quo detinetur, vocata fuerit (3). Ut universe videtur favendum illis qui sup. n. 157 vs. *Alii vero* memorantur, ita praesertim detentio post dolosam vocationem sufficere videtur, idque firmari per causam *Parisien. Matrimonii*, tractatam in S. C. C. 25 junii et 27 aug. 1864 (4).

(1) Ex recentioribus cf. Knopp. p. 275, 277, Kutschker, t. 3 § 162, p. 467, van de Burgt, n. 116.

(2) Inter quos Clericat. l. c. n. 20, 22, Boeckhn l. c. n. 47, Schmier l. c. n. 91, Carrière *De matr.* n. 906, *Compend.* n. 197, auctor tract. de spons. et matr., Mechl. 1872, n. 85; aliquatenus favere videtur Bangen, tit. 2 p. 144 sq.

(3) Inter hos sunt Rigant. n. 85 ad reg. 49 Canc., de Justis, n. 69, Giovine l. c., cit. Instr. pro judiciis matrimonialibus in Austria, § 19, quam sequuntur plerique nunc in Austria scriptores.

(4) *Thes. S. C. C.* t. 123; cf. etiam *Anal. jur. Pont.* ser. 7, col. 1108 sqq., et *Acta S. Sedis.* t. 1, p. 15 sqq. atque editoris adnotationes ib. p. 23 sq. et p. 54 sqq.

Quod si mulier ad locum in quo postea detinetur venerit, non quidem vocata per dolum, sed blandis artibus seducta, quum tamen secuturam detentionem non praevideret, diversa est sentiendi ratio de impedimento, prout auctores aut priorem aut posteriorem ex modo indicatis opinionibus amplectuntur. Quum autem sequatur detentio, rursus videtur pronuntiandum pro existentia impedimenti; nam praesumitur dissensus ideoque violentia.

160. At si nihil hujusmodi contingat, sed abductioni vel detentioni mulier consentiat, tunc non infertur injuria aut violentia, ideoque impedimento locus non est, dummodo iste consensus non raptui solum, sed huic tamquam intuitu matrimonii facto datus fuerit. Quoad utramque autem hanc partem probari consensus debet, ut censeatur exstitisse, nec umquam praesumitur. E contra propter maximum libertatis matrimonii favorem praesumitur dissensus; imo probato consensu in raptum, nempe in abductionem vel detentionem, nihilominus non praesumitur intuitu matrimonii praestitus. Quare postremum etiam hoc debet probari, ut in foro externo censeatur impedimentum non existere. Non autem concipitur illud posse probari nisi per sponsalia seu praecedentem de matrimonio tractatum.

Porro sequitur ex dictis impedimento locum non esse, si mulier, quae quoad utramque partem abductioni vel detentioni consensit, deinceps in alium locum abducta vel in loco detenta voluntatem mutet et retineatur invita, vel etiam carnaliter cognoscatur. In delictis enim respicitur initium; abductio autem vel detentio locum jam habuit absque violentia aut injuria mulieri illata. In ejusmodi igitur casu valide matrimonium contrahitur, si mulier, quamquam constituta in potestate raptoris, absque gravi metu consensum praestet.

161. Hactenus de raptu violentiae. Quod si non fuerit injuriose abducta nec detenta mulier, sed omnino sponte secuta, etiamsi blanditiis illecta, de solo raptu seductionis tunc agitur; is autem numquam inducit impedimentum dirimens nec poenas; praesu-

mitur tamen raptus violentiae quoties non praecesserunt sponsalia seu tractatus de matrimonio.

Speciatim scribitur de casu quo puella adhuc constituta sub potestate parentum vel tutoris, his insciis vel invitis aut abducatur detineaturve consentiens in raptum, eumque intuitu matrimonii ineundi praestitum, aut nulla facta abductione nec detentione e domo paterna vel tutoris aufugiat virumque sponte sequatur.

162. Communior doctrina est non existere impedimentum, quia ejusmodi puellae libertas nullam a seducente patitur injuriam, imo potius ab invitis parentibus vel tutore eam peteretur (1). Verum sunt graves auctores qui illud idem sentiunt pro casu quo sponsalia praecesserint, sed extra hanc hypothesim impedimentum existere tradunt (2), et eorum aliqui ita loquuntur ut rei pondus videantur reponere in raptu commisso in parentes vel tutorem.

(1) Ita inter alios de Justis, l. c. n. 56 sqq., Giraldus, *Expos. jur. Pont.* P. 1 sect. 840. S. Alph. n. 1107, Boeckhn, l. c. n. 46, Wiestner, n. 11 *De rapt.*, Reiff. n. 374 *De spons. et matr.*, Knopp, p. 275 sq., Bangen. l. c. p. 143 sq.; quibus favet Carrière, *De matr.* n. 913, *Compend.* n. 180 coll. n. 311 sq. 319 sqq. Opiniones mere exponit van de Burgt, n. 116.

(2) Citantur praecipue Navarrus, *Respons.* l. 5, consil. 2, card. de Luca, disc. 5 *De matr.* (*Theatr. verit. et just.* t. 2) et disc. 28 *Annot. ad S. Conc. Trid.* (Ib.), Rigant. n. 68 sqq. ad reg. 49 Canc.; quibus videtur accensendus Pyrrh. Corrad. op. cit. l. 7 c. 6 n. 55 sqq. Hanc doctrinam habet etiam § 19 cit. Instr. pro judiciis matrimonialibus Austriae, cujus sensum non eum esse immerito putat Bangen. l. c. p. 145; nam vide card. archiep. Viennensis, illius Instr. auctoris, literas 21 dec. 1856 ad clerum parochialem suae dioecesis, § 8, ap. von Moy, *Archiv*, t. 1 p. 243 sq. Eamdem doctrinam sequuntur Kutschker. t. 3, § 163, p. 467 sqq., Phillips, *Lehrbuch des Kirchenrechts*, t. 2, Ratisbon. 1862, § 289, Ginzel, *Oesterreichisches Kirchenrecht*, t. 2, Vindobon. 1859, § 329, Binder, *Prakt. Handb. des kath. Eherechtes*, fasc. 3, S. Hippol. seu S. Poelten 1858, p. 46 sq., Papp-Szilagyi, *Enchirid. jur. eccl. orient. cath.*, Magno-Varadini 1862, part. 2 § 99, et *Analecta juris Pontificii*, ser. 4. col. 1848 sq.

Nonnulli quidem pro solo casu quo parentes vel tutor sint inviti hanc opinionem propugnant, aut excludentes aut non tangentes casum quo inscii tantum sint; sed quia plerique utramque hypothesim comprehendunt, et revera aut utraque aut neutra est propugnanda, de utraque simul disserendum nunc est.

163. Absque dubio improbandi sunt illi auctores qui, praesertim in Gallia, olim propugnarunt rationem nullitatis hujusmodi matrimonii esse dissensum parentum; hos enim ipsum Conc. Tridentinum refellit ubi damnat eos, qui « falso affirmant, matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse (1). » His itaque exclusis, audiantur argumenta ab aliis adducta, ut pateat quid de proposita quaestione sit judicandum; an pro raptus existentia pronuntiari debeat, et utrum hujusmodi solutionis ratio ex raptu commisso in parentes vel tutorem, an vera aliunde sit repetenda.

164. Primo quidem allegantur SS. Congregg. Romanarum declarationes.

1° Laicus viris armatis associatus e domo tutoris puellam consentientem eduxerat et matrimonium cum ea contraxerat. « Quaeritur, an stante ipsius Orsettae consensu dictus Felix poenis adstrictus existat, dictumque matrimonium subsistat, dictaque dos ei assignari debeat? » Responsum autem fuit : « S. C. Cardinalium Conc. Trid. interpretum censuit, hujusmodi raptorem secundum ea, quae proponuntur, comprehendi tam quoad poenas, quam matrimonii prohibitionem decreto d. cap. 6 Sess. 24 de reform. matr. Hieronymus Card. Pamphilius (2). »

165. 2° Propositum fuit in S. C. C. dubium : « An raptores mulierum, quae raptui consenserint, comprehendantur quoad poenam, et matrimonii prohibitionem decreto Conc. Trid. c. 6

(1) Sess. 24 c. 1 de ref. matr.

(2) Hanc declarationem refert Rigant. l. c. n. 70 ex l. 75 Memorialium S. C. C. p. 781; est autem indubitata, et refertur etiam in mox citanda attestatione 11 januar. 1671.

Sess. 24 de reformat. matrim.? » Jamvero : « Die 24 januarii 1608 habita est Congr. Concilii domi Ill. D. Card. Camerinensis, cui interfuerunt Ill. Cardinales Camerinen. Montep. Paravic. Aquaviva, Mantica, Pamphilius, Montis Regal. Maff., qui omnes senserunt, Concilium procedere etiam in muliere volente, dum tamen sit raptus juxta terminos juris civilis. Unus Card. Montis Regalis existimavit, Concilium procedere quoad nullitatem matrimonii, non autem quoad poenas; sed ceteri omnes putarunt, Concilium sibi vindicare locum etiam quoad poenas (1). »

166. Votum pro hac causa conscriptum affirmabat raptum in casu mulieris etiam volentis existere ob rationes quae sequuntur. *a*) Ex jure tum civili tum canonico mulier rapta semper praesumitur seducta et decepta. *b*) Propter omnimodam matrimonii libertatem Concilium decrevit nullum esse matrimonium cum raptore quamdiu rapta est in ejus potestate; haec autem ratio militat, sive mulier raptui consenserit, sive non consenserit, quia utroque casu subest probabile dubium, ne propter metum, vel illatum, vel qui sibi, dum cum raptore moratur, posset inferri matrimonio consentiat. *c*) Ex c. *Cum causam*, De raptor., manifesto probatur raptum committi etiam cum muliere volente, dum ad excludendum raptum requirit ut ante de nuptiis actum sit, et ita non sufficit consensus puellae, nisi praecedat tractatus de matrimonio.

Objicit sibi Votans, Concilium respexisse libertatem puellae, hanc autem rationem cessare si puella raptui consenserit. Respondet autem duplici modo, nempe consensum puellae in raptum praesumi extortum a viro per dolum juxta l. un. C. *De rapt. virgin.*; deinde, aliud esse raptui consentire, aliud consentire matrimonio, et propterea ex consensu in raptum non inferri consensum in matrimonium, atque ita non cessare ratio-

(1) Ita refertur decretum ap. card. de Luca cit. disc. 5 *De matr.* n. 34, Rigant. l. c. n. 84 ex l. c. Memorial. S. C. C. et in mox citanda attestatione 11 januar. 1671.

nem Concilii in ea quae assentitur raptui, cum possit postea dissentire matrimonio.

Concludit denique Votans videri respondendum, raptorem mulieris volentis includi decreto Concilii, sicuti in specie etiam sensit Navarr. cons. 2 tit. *De raptor.* I. 5, in hanc sententiam citans S. Thomam, quem ait esse receptum. Quod autem dictum est de matrimonio, ob easdem rationes dicendum est etiam de poenis.

Tandem notat : « Haec autem omnia ita sunt intelligenda, cum vere raptus intervenit, qui requirit aliquam violentiam, adeo ut raptus non tollatur, cum adest violentia et abductio per consensum mulieris; secus, si violentia non intercederet, et mulier esset sui juris, id est neque in potestate parentum, neque tutoris, neque similium, neque promissionibus vel aliis artibus esset seducta, ut bene per Mascard. *De probationibus*, vol. 3, conclus. 1253, in verb. *Rapina*, n. 30. »

167. 3° Comes de Duras per nuntium cum barone de Fraipont concluserat tractatum de matrimonio cum hujus filia incundo, dissentiente tamen puella quae virum desiderabat quemdam conjunctum, cum quo tractatus adeo invaluerat, ut etiam pro Ap. dispensatione obtinenda mandatum editum esset. Pater igitur ut filiam ad matrimonium cum comite de Duras contrahendum induceret, statuit, communicato consilio cum dicto nuntio, puellam recludere in monasterio Bruxellensi, cui praerat amita comitis de Duras. Itaque, alia sumpta occasione, iter arripuit Bruxellas, et, dum essent in transitu Leodii, pater, qui alibi hospitium destinaverat, inductus fuit a nuntio ut in domo cujusdam huic conjuncti hospitaretur. In hac autem nuntius verum finem itineris puellae manifestavit, eam in aversione erga comitem de Duras confirmavit, et pro se ipso tractare coepit. Die sequenti iterum collocuti sunt, et conclusa fuit fuga in proxima nocte capienda. Capta autem fuga, nuntius duxit puellam in domum alterius sui conjuncti, et, ad aliquot dies conducta quadam domo, coram

hujus parocho matrimonium inter puellam et nuntium fuit celebratum. At pater fugae notitiam habuit ipsa qua contigit die, recurrit ad superiores loci, post aliquod tempus obtinuit ut filia in loco tuto reponeretur, et introducta fuit lis super matrimonii nullitate coram S. Rota.

S. Rota die 18 junii 1666 in favorem puellae pro nullitate respondit ex duplici fundamento; primo ex causa raptus; secundo ex causa clandestinitatis, quia parochus S. Remacli Leodii neque erat parochus nuntii, qui domicilium habebat Staboleti, neque puellae, quae domicilium habebat in castro Fraipont.

Secundam sententiam tulit S. Rota 27 mart. 1667, per quam confirmavit primam. Pro eadem confirmatione resolutum fuit 13 junii 1670; sed contra hanc resolutionem nova audientia fuit concessa.

Ante hanc autem card. de Luca, qui in hac causa multum laboraverat pro nullitate, curavit ut inveniretur supra n. 165 citata declaratio S. C. C. 24 januar. 1608; quae reperta fuit in antiquis libris S. C. C., eamque authenticam esse testatus est secretarius S. C. C. in ea forma, quam legimus communicatam a Fessler ap. von Moy et Vering, *Archiv*, t. 7, Mogunt. 1862, p. 109 sqq. Utraque enim n. 164 sq. citata S. C. C. resolutio, simul cum memorato Voto, jam erat nota ex Rigantio: illa autem anni 1608, absque tamen Voto, etiam ex card. de Luca; sed nunc habentur tria illa documenta, indicatis, ut apud Rigantium, locis Memorabilium S. C. C., authentica declarata in folio impresso Romae typis Rev. Cam. Ap. a. 1671. Attestatio autem secretarii S. C. C., tria illa documenta continens, et manifesto facta pro memorata causa S. Rotae, est diei 11 januar. 1671 et subscripta legitur: « S. Archiepiscopus Brancaccius Ep. Viterb. Secretarius. »

Denuo itaque proposita causa in S. Rota, exhibita fuit dicta S. C. C. resolutio 24 jan. 1608, seu potius totum folium communicatum a secretario S. C. C., et die 11 mart. 1671 S. Rota perstitit in decisis. Expedita fuit tertia sententia; et postquam

nuntio bina resolutione negata fuisset restitutio in integrum a Signatura Justitiae, et negatus etiam recursus ad Signaturam Gratiae, causa finem habuit, et puella alium sibi placitum virum duxit.

Laborem a se huic causae impensum narrat card. de Luca, cit. disc. 5 *De matr.*; testatur autem majorem et pene totam quaestionem fuisse super raptu.

168. 4° In supra n. 162 citt. litt. card. archiep. Viennensis 21 dec. 1856 dicitur eodem sensu saepius dein resolvisse S. C. C., eamque continuo eamdem normam sequi, quam exhibet ejus resolutio 24 januar. 1608. Nonnulli alias indicant resolutiones. Rigantius (1) citat S. C. C. in *Ruben. Rapt. et censurarum* 5 mart. 1714. Recentiores resolutiones aliqui allegant, *Olomucen. Nullit. matr.* 29 jul., 26 aug. 1769, 14 mart. 1772 (2) et *Herbipolen. Matrim.* 24 apr. 1858, 18 junii et 27 aug. 1859 (3), quibus adde *Parisien. Matrim.* 25 junii et 27 aug. 1864 (4). Nonnulli autem auctores ex praefatis documentis non solum concludunt raptus impedimentum existere in casu proposito, sed praecise id faciunt propter raptum commissum in parentes vel tutorem.

169. Secundo allegant auctores rationem expressam in cit. resolut. S. C. C. anni 1608, scilicet raptum existere quando existit juxta jus civile Romanum. Hoc autem in casu nostro raptum adesse statuit.

170. Tertio afferunt nonnulli auctoritatem S. Thomae, 2. 2. q. 154 art. 7 in corp. : « Violentia quandoque infertur tam ipsi virgini, quam patri : quandoque autem infertur patri, sed non virgini : puta, cum ipsa consentit ut per violentiam de domo patris abstrahatur... Qualitercumque enim violentia adsit, salvatur ratio raptus. »

(1) L. c. n. 84.
(2) *Thes. S. C. C.* t. 38 et 41.
(3) Ib. t. 117 et 118.
(4) Ib. t. 123, et ll. cc. sup. n. 159 not. 4.

171. Quid igitur ex documentis et rationibus indicatis concludendum? Eritne raptus commissus in parentes vel tutorem, an aliter res explicanda? Omnia explicantur per qualitatem consensus a femina praestiti ejusque probationis necessitatem. Etenim ut femina censeatur non rapi violenter sed consentiens, requiritur ejus consensus et in raptum et in matrimonium, id est in raptum intuitu matrimonii. Ejusmodi autem consensus plene probari debet, et quamdiu non probatur, femina censetur rapta absque hujusmodi consensu. Iste autem probari nequit nisi per sponsalia seu praecedentem de matrimonio tractatum (1). Quae quidem maxime vera sunt de constituta sub potestate patria vel tutela; nam haec ipsa circumstantia efficit eam, nisi praecesserint sponsalia, multo magis quam aliam mulierem praesumendam esse debitum consensum non praestitisse. Quare ejusmodi puella, etiamsi sponte, invitis tamen insciisve parentibus vel tutore, sequatur, semper praesumenda erit non consensisse, nisi sponsalia praecesserint. Et haec rei explicatio sequenti modo fulcitur.

172. 1° Concilium hoc impedimentum unice constituit pro tuenda libertate ipsius feminae; parentum vero dissensum nullatenus consideravit ut impedimentum dirimens. Res igitur tota est in ipsius feminae consensu vel dissensu; ea consentiente, non erit impedimentum raptus. Sed quandonam consensus iste aderit? Quando non simpliciter consensit raptui, sed praecise raptui qui, ea sciente, ordinabatur ad matrimonium (2). Atque ita explicatur quare, omnibus fatentibus, impedimentum non adsit, quando puella consensit et simul sponsalia praecesserunt. Tunc enim adest probatio consensus intuitu matrimonii in raptum praestiti; qui casus erat c. 6 *De raptor.*, in quo femina talem praecise consensum dederat. Haec igitur omnia excludunt ali-

(1) Cf. sup. n. 160.
(2) Cf. ib.

quorum loquendi modum, quo dicunt raptum committi in parentes vel tutorem. et hoc sufficere ad inducendum impedimentum. Et revera ipsi card. de Luca et Rigantius continuo insistunt huic rationi, consensum in raptum simpliciter nondum importare consensum in matrimonium, id est in raptum intuitu matrimonii, praestitum. Atque idem fit in iis quae in SS. Congregationum Romanarum causis supra indicatis exposita leguntur.

173. 2° Conc. Trid. ad cessationem impedimenti tantum requirit ut femina fuerit constituta in loco tuto ac libero extra potestatem raptoris. In casu igitur puellae, non praecedentibus sponsalibus, raptae insciis vel invitis parentibus vel tutore, sed in raptum intuitu matrimonii consentientis, sufficit ut conditio a Trid. posita impleatur. Sponsalia igitur praecedentia sunt tantum probatio consensus requisiti a parte puellae. Si enim ob raptum in parentes vel tutorem, ut aliqui loquuntur, impedimentum oriretur, ne sufficeret quidem collocatio extra potestatem raptoris, sed non posset umquam matrimonium esse validum nisi restituta fuisset puella parentibus vel tutori, vel saltem hi, puella extra potestatem raptoris posita, consensissent.

174. 3° Sponsalia possunt parentibus vel tutori esse ignota. Attamen si sponsalia praecesserunt, non censetur existere impedimentum, quia censetur puella consensum raptui dedisse intuitu matrimonii. Tota igitur res est in hoc ipsius puellae consensu, non vero in ratione quae petatur a parte parentum vel tutoris. Secus enim dicendum foret sola sponsalia de consensu parentum vel tutoris inita excludere impedimentum. Sed ut hoc diceretur, necesse foret propugnare invaliditatem sponsalium initorum a filiis familias absque consensu parentum vel tutoris. Sunt autem qui eam propugnent; sed longe communior doctrina est eorum qui illicita tantum et rescindibilia hujusmodi sponsalia dicunt, invalida vero ea non habent nisi in casu, quo ne per parentum quidem vel tutoris consensum cohonestari possent.

175. Ex hucusque disputatis colligitur unice posse esse quae-

stionem de qualitate consensus a puella praestiti ejusque probatione. Fieri igitur interdum potuit nullum declarari matrimonium, quia non constabat de consensu hujusmodi, non vero propter raptum in parentes vel tutorem commissum.

Non probat contrarium resolutio primo loco citata (1); nam nulla ibi mentio est sponsalium, ideoque ipsius puellae consensus non fuit probatus talis, qualis esse debet ad excludendum impedimentum. Praeterea, non praecedentibus sponsalibus, matrimonium fuerat contractum, puella existente in raptoris potestate.

176. Resolutio etiam anni 1608 (2) potius probat explicationem modo datam (3).

Imprimis quidem ipsum dubium propositum non loquitur de puella quae non sit sui juris, sed generaliter de raptoribus mulierum raptui consentientium. Resolutio quoque generaliter loquitur de muliere volente. Additur autem « dum tamen sit raptus juxta terminos juris civilis, » et haec ipsa additio firmat quod supra traditum fuit (4).

Auctores enim nonnulli de hac re scribentes putant jus civile Romanum eam constituere pro feminis quae non sint sui juris, sed jus Romanum diserte loquitur de quacumque femina. Ita enim habet ipsissima lex Romana, quae a Votante in hac causa a. 1608 citatur, nempe l. un. C. *De rapt. virg.* : « Nec sit facultas raptae virgini vel viduae, vel cuilibet mulieri raptorem suum sibi maritum exposcere... Huic poenae omnes subjaceant, sive volentibus, sive nolentibus virginibus, sive aliis mulieribus tale facinus fuerit perpetratum. Si enim ipsi raptores metu vel atrocitate poenae ab hujusmodi facinore se temperaverint, nulli mulieri sive volenti, sive nolenti peccandi locus relinquetur : quia

(1) N. 164.
(2) N. 165.
(3) N. 171.
(4) Ib.

hoc ipsum velle mulierum ab insidiis nequissimi hominis, qui meditatur rapinam, inducitur. Nisi etenim eam solicitaverit, nisi odiosis artibus circumvenerit, non faciet eam velle in tantum dedecus se prodere. »

Ex posterioribus hisce verbis patet quamcumque feminam abductam censeri non praestitisse consensum, unde etiam in Decretalibus sola sponsalia praecedentia hunc consensum dicuntur probare, de quacumque femina agatur. Dicitur enim rursus generaliter in c. *Cum causam,* De raptor. : « Cum ibi raptus dicatur admitti, ubi nil ante de nuptiis agitur : iste raptor dici non debet, cum habuerit mulieris assensum, et prius eam desponsaverit, quam cognoverit, licet parentes reclamarent, a quibus eam dicitur rapuisse. » Et quamquam ibi nomine desponsationis intelligitur matrimonium, quod tunc valebat clandestinum, nihilominus post Conc. Trid. eumdem effectum excludendi raptum habent sponsalia, ut omnes admittunt. Propter circumstantiam autem potestatis patriae vel tutelae fortior etiam est praesumptio dissensus, adeo ut, nisi praecesserint sponsalia, puella hujusmodi etiam sponte sequens et aufugiens nec detenta censeatur dissentire.

177. Ipse etiam Votans in hac causa a. 1608 ita rationem ponit (1) in qualitate consensus ipsius feminae, ut ea quae dicit non sint unice propria puellae constitutae sub potestate parentum vel tutoris. Praeterea loquitur generaliter de muliere volente, et allegat modo citatam legem Romanam. In fine autem mentionem quidem facit distinctionis inter feminam sui juris et non sui juris, sed in casu abductionis priorem etiam posteriori aequiparat si fuerit seducta, unde manifesto sentit in casu abductionis priorem quoque raptam censeri, si debitus consensus non probetur per sponsalia praecedentia. Manifestius hoc redditur per immediate ab eo citatum Mascardum, quem dicit bene hac in re scribere. Quid enim Mascardus? Scribit feminam tam sui quam

(1) Sup. n. 166.

non sui juris semper praesumi non dedisse consensum, sed seductam. Unde semper reduceris ad necessitatem plenae probationis consensus, ut raptus excludatur. Quae quidem plena probatio ex solis praecedentibus sponsalibus seu tractatu de matrimonio haberi potest. Praecise autem citat Votans Mascardi numerum 30, in quo iste notat feminam etiam sui juris censeri raptam, si in casu abductionis fuerit allicita promissionibus et seducta.

178. Pariter in causa Rotae (1) non erat probatus consensus puellae in raptum intuitu matrimonii. Non praecesserant sponsalia cum nuntio. Consenserat puella in fugam, sed non intuitu matrimonii contrahendi cum nuntio; verum, ut passim notat ipse card. de Luca, ne collocaretur in monasterio. Continuo insistit card. de Luca qualitati consensus, dicens raptum non excludi nisi consensus in raptum praestitus fuerit intuitu matrimonii. Ex quo patet ad explicandas S. Rotae pro nullitate decisiones opus non esse diversis rationibus, quas exhibet Girald. l. c. ubi dicit : « Procedunt ex praesumptione quod puella fuerit ad fugam violentata, vel de ea loquuntur quae adhuc est sub potestate raptoris, aut quando adhuc durat causa metus, vel illi nubere nequit ob aliud impedimentum dirimens. » Sola prima ratio sufficit.

179. Nulla quoque difficultas est in *Ruben. Rapt. et censur.*, (2). Rapta fuerat puella, reclamante matertera, ipsa vero nihil reluctante. Raptor ab Ordinario declaratus fuit censuris a Trid. latis illigatus. Eo autem confugiente ad S. C. C. pro opportuna absolutione, ut matrimonium posset inire cum praedicta puella, S. C. C. rescripsit episcopo, ut is procederet prout de jure ad declarationem praetensi impedimenti raptus. Coram Ordinario igitur raptor deposuit se raptum commisisse consentiente, immo proponente puella, quo libere exoptatum matrimonium contrahere possent, vel invitis puellae consanguineis, qui tractatum sponsalium con-

(1) Sup. n. 167.
(2) Cf. sup. n. 168. Est in *Thes. S. C. C.* t. 9.

stanter rejecerant. Puella, in loco tuto collocata, et ipsa deposuit se oratorem induxisse ad raptum. His perspectis, vicarius generalis definitive pronuntiavit non existere impedimentum raptus, quo matrimonium eis prohiberetur. Quum autem non fuisset interlocutus super censuris fulminatis, iterum orator rediit ad S. C. C. Die autem 3 mart. 1714, ad dubia : « I. An obstet praetensus raptus ad contrahendum matrimonium in casu. II. An censurae sustineantur in casu, » resolutum fuit : « Ad I. Non obstare. Ad II. Esse absolvendum ad cautelam. »

Resolutio ad I optime intelligitur; nam non solum videntur sponsalia praecessisse, sed praeterea jam fuerat puella collocata in loco tuto extra potestatem raptoris. Cur autem resolutum fuit oratorem esse absolvendum ad cautelam? Varia potuit esse causa; ex. gr. ipsum dubium an sponsalia allegata revera exstitissent, per quae debiti consensus adfuisset probatio. Quum autem et puella jam esset in loco tuto, et utraque pars vellet matrimonium inire, ulteriorem de subsistentia censurarum discussionem S. C. C. judicavit non faciendam, et maluit, ea non facta, ad cautelam absolvi oratorem.

180. Causa *Olomucen.* (1) non probat sufficere raptum in parentes vel tutorem patratum. Non solum enim fuit declaratum non constare de nullitate, sed et disputatio potissima fuit de puellae ipsius consensu vel dissensu. Ipse secretarius in prima causae propositione 29 julii 1769 exponit disciplinam ante-Tridentinam circa raptum, refert Concilii decretum, et auctorum de puella non sui juris diversam opinionem. His praemissis, dicit inquirendum esse an constet de sponsalibus ante abductionem initis, et utrum invita an vero voluntarie abducta puella fuerit. Numquam de hujus matrimonii nullitate fuisse dubitatum ex capite raptus, sed unice ex defícientia proprii parochi; in hanc igitur esse inquirendum. Ad dubium autem : « An constet de nullitate matrimonii in casu, » eadem die S. C. C. respondit : « Negative. »

(1) Cf. sup. n. 168.

Reproposita causa 14 mart. 1772, post partium allegationes secretarius, relatis iterum progressu disciplinae et discrepantia opinionum, haec notat : « Caeterum dissimulari non debet, quod ad excludendum raptum non sufficit, ut puella in illum consentiat, nisi simul probetur, quod consenserit in matrimonium cum raptore. Fieri enim potest, ut puella consentiat in raptum, sed in matrimonium dissentiat; neque enim ex consensu in raptum inferri necessario debet consensus in matrimonium. Oportet itaque, ut copulative evincatur consensus ad utrumque, et hac forsan deficiente probatione factum est, ut S. Congr. decerneret, raptores mulierum, quae in raptum tantummodo, non vero in matrimonium consenserunt, comprehendi quoad poenam, et matrimonii prohibitionem sub decreto Conc. Trid. c. 6 de ref. matr. » Addit autem consensum etiam in matrimonium potissimum erui debere ex iis quae raptum praecesserunt, cujusmodi sunt praevii de matrimonio ineundo tractatus; rursus autem disputare auctores, quales hi esse debeant. « Ponderandum proinde, an baronissa de Poppen consenserit tum in raptum tum in matrimonium cum comite Giannini : an consensus in matrimonium desumi possit ex iis, quae raptum praecesserunt, vel ex iis saltem, quae in suis familiaribus colloquiis eadem baronissa testata est. Caetera videnda in folio dici 29 julii 1769. » Proposito autem dubio : « An sit standum, vel recedendum a decisis in casu, » die 14 martii 1772 responsum fuit : « In decisis. »

Post haec parum refert cur S. C. declaraverit non constare de nullitate. Diversa causa esse potuit; ex. gr. quod probatus fuerit feminae in raptum intuitu matrimonii praestitus consensus, probata sponsalia, vel quod postea in loco tuto ac libero extra raptoris potestatem constituta matrimonium validaverit per novum consensum.

181. Neque in *Herbipolen.* (1) perspicitur nullitas declarata ob

(1) Cf. sup. n. 168.

raptum in parentes vel tutorem; potuit enim declarari alia de causa; ex. gr. quod non esset probatus debitus ipsius puellae consensus, non probatis sponsalibus seu praecedente tractatu de matrimonio, vel quod probata fuerit vere violenta abductio. Postrema haec ex tota causae discussione videtur probari, et praeterea constare mulierem neque fuisse in loco tuto ac libero quando celebratum fuit matrimonium, neque dum per quinquennium et aliquot menses cohabitavit. Accedit impedimentum publicum efficere, nonnisi renovata forma Tridentina convalidari matrimonium.

182. In causa vero *Parisien.* (1) vides puellam fraude vocatam in domum, in qua detinetur a viro, sub cujus deinde aut immediata aut mediata potestate remanet usque ad momentum, quo aufugit et post quod ad virum non rediit. Nullo dato consensu aut in raptum aut in hunc intuitu matrimonii patrandum, dolo vocata fuerat. Deerat igitur consensus ipsius puellae, quae deinde manens in raptoris potestate nuptias cum eo iniverat, quas nec postea, libertatem assecuta, validaverat.

183. Ratio ex declaratione a. 1608 a pluribus auctoribus allegata (2), nempe raptum existere quando existit ad terminos juris civilis Romani, rite intelligi debet neque absolute urgeri. Non enim potest ita accipi ac si toties adesset impedimentum raptus, quoties ex jure civili Romano raptus existit. Ex hoc raptus aderat, etiamsi libidinis causa, non vero matrimonii, locum habuisset. Mulieris vero inhonestae violenta abductio raptus non erat. Invalida erant matrimonia filiorum familias absque patriam potestatem habentis consensu contracta. Idcirco ipsi auctores praefatae rationi insistentes eam non absoluto sensu intelligunt; sed ex. gr. impedimentum excludunt a raptu solius libidinis causa patrato (3).

Revera in causa a. 1608 illius rationis significatio ad consensus

(1) Cf. sup. n. 168.
(2) Cf. sup. n. 169.
(3) Cf. Rigant. l. c. n. 53 sqq.

probationem limitatur; nam comprehendit mulierem volentem sive sui sive non sui juris, quia numquam censetur (et quoad hoc remittitur ad jus civile) consensisse, nisi (et haec est correctio jure canonico inducta) id fuerit lucalenter probatum ex praecedente de matrimonio tractatu seu sponsalibus.

184. De textu S. Thomae (1) scribit Giraldus l. c. : « S. Thomam ita fuisse loquutum conformiter ad jus antiquum quod suo tempore adhuc vigebat; cum solum post fere trecentos annos editum fuerit, ac caeperit obligare jus novum Conc. Trid. pro valido statuens matrimonium a filiis familias, libere, ac sponte contractum insciis, ac etiam invitis parentibus, ut ex cit. 6 [1] Sess. 24 de Ref. matr. aperte colligitur. » Sed fallitur Giraldus; nam S. Thomas aperte tradit valere matrimonia a filiis familias invitis parentibus contracta; vid. 2. 2. q. 104, art. 5 in corp., et P. 3, q. 68, art. 10 in corp. Vera responsio est, S. Thomam ibi loqui non de impedimento sed de crimine raptus, nempe quatenus hic est species luxuriae et specialibus poenis plectitur. In cit. art. S. Thomas expresse dicit se non loqui nisi de eo raptu qui est species luxuriae, et vult ostendere hunc raptum esse speciem luxuriae distinctam a stupro, et esse defloralionem illicitam violenter factam; cum stupro tamen in unum concurrere raptum dicit, quando violentia infertur ad virginem illicite defloranda. Eam autem speciem luxuriae adesse sive virgini et patri, sive huic soli violentia inferatur, et sive puella violenter fuerit abducta et violenter deflorata, sive violenter fuerit abducta sed de suo consensu deflorata. In omnibus his casibus leges infligebant poenas illi raptui, qui est species luxuriae. Sed aliud est de hoc raptu disserere, quem ipsi etiam auctores, in praesenti quaestione rei rationem ponentes in raptu contra parentes vel tutorem commisso, dicere solent bene esse discernendum ab impedimento dirimente raptus; aliud vero est disserere de eo

(1) Cf. sup. n. 170.

raptu, quem ad libertatem matrimonii vindicandam Conc. Trid. voluit esse impedimentum dirimens. Verba S. Thomae legi debent conjuncta cum iis, quae in eadem periodo praecedunt, et cum iis quae intermedia apud S. Doctorem habentur.

185. Omnia itaque reducuntur, idque juxta ipsos etiam card. de Luca et Rigantium, ad probationem consensus tum in raptum, tum in raptum quatenus intuitu matrimonii ineundi patratum. Quae quidem probatio plene haberi non potest nisi ex praecedentibus sponsalibus seu tractatu concluso de matrimonio. His itaque non probatis, in foro externo semper censebitur adesse raptus violentiae; atque sic verum est hunc solum inducere impedimentum dirimens. Animadvertatur autem ad hoc excludendum non sufficere probationem sponsalium, sed praeterea debere probari in ipsum etiam raptum mulierem consensisse.

186. Quando rapta in loco tuto ac libero extra potestatem raptoris fuit collocata, manent quidem poenae per raptum contractae, sed cessat impedimentum, et potest rapta, si velit, matrimonium cum raptore contrahere. Per se quidem sub nulla tunc poena prohibita est parochi et testium assistentia; neganda tamen est et pro illicita habenda, quamdiu non intervenerit actus Ordinarii, quo constiterit de collocatione raptae in loco tuto ac libero. Idem aliunde colligitur; nam juxta Concilium Ordinarius curare debet ut raptor dotem raptae constituat; idque nullo umquam casu licet omittere, etiamsi rapta sit dives vel doti renuntiet; quamquam, his duabus circumstantiis concurrentibus, dos minor constitui potest (1).

187. Licet impedimentum raptus sit juris ecclesiastici, per se tamen intelligitur numquam dispensari ut matrimonium contrahi valeat, quamdiu rapta manet in potestate raptoris; quemadmo-

(1) Cf. Pyrrh. Conrad. l. c. n. 66 sqq., Knopp, p. 282, Giovine, t. 2 p. 140, Bangen, p. 145, qui merito etiam scribit p. 144, in casu quoque raptae quae in raptum consensit illicitam esse assistentiam, quamdiu non intervenit Ordinarii arbitrium.

dum numquam dispensatur in impedimento metus, etiamsi hoc quoque juris ecclesiastici esse ponatur. Imo adeo detestatur Ecclesia raptum, ut in quavis super alio impedimento dispensatione addatur, et, licet omissa forte fuerit, ex stylo Curiae semper subintelligatur clausula, ut rapta mulier non fuerit (1). Quare in libello supplici, quo alterius impedimenti dispensatio petitur, sub poena nullitatis exprimi raptus debet. In dispensatione autem addere solet Sedes Ap. tum clausulam de dote constituenda, tum illam de loco tuto ac libero, tum aliam ut raptor post mortem raptae absque spe conjugii maneat. Delegatus igitur exequi dispensationem nequit, nisi prius curaverit duas priores clausulas impleri; tertia autem licitam tantum matrimonii celebrationem impedit. Et licet excommunicatio a Trid. inflicta non sit reservata (2), nihilominus post petitam dispensationem episcopus propter appositionem manus Pontificiae ab ea absolvere amplius non potest. Quare si ipsi episcopo committatur dispensationis executio, is absolvet tamquam delegatus Sedis Ap.; si vero alteri, absolutio ad hunc delegatum, non ad episcopum pertinet. Idem dicito de reliquis poenis, postquam de his lata sententia fuit (3).

CAPUT VIII.

DE CLANDESTINIS NUPTIIS UNIVERSIM.

188. Clandestinae nuptiae olim dici solebant, quae sive absque consensu parentum, sive sacris ceremoniis omissis, sive coram sacerdote quidem sed non publice seu coram populo, sive absque publica matrimonii denuntiatione, sive absque sacerdotis praesentia contrahebantur. Magis tamen proprie in duobus posteriori-

(1) Vid. reg. 49 Cancell., et cf. sup. n. 149.

(2) Vid. sup. n. 152.

(3) Cf. Pyrrh. Corrad. l. c. n. 59 sqq., Rigant. l. c. n. 92 sqq., Clericat. l. c. n. 25 sq., Giovine, p. 140 sq.

bus casibus, et praesertim in postremo, clandestinarum nuptiarum appellatio adhibebatur. Quovis autem tempore Ecclesia nuptias clam initas improbavit propter gravia mala, quibus per eas exponuntur sanctitas et stabilitas ac bona matrimonii, pax familiarum, bonum Ecclesiae et societatis. Malis vero ejusmodi avertendis diversa media labente tempore fuerunt adhibita.

189. Ac primo quidem in nonnullis regionibus inductum fuit, ut matrimonium celebrandum prius publice annuntiaretur populo. Quae quidem disciplina ab Innoc. III in Conc. Later. IV fuit lege universali praescripta hisce verbis (1) : « Praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerendo, clandestina conjugia penitus inhibemus : prohibentes etiam, ne quis sacerdos talibus interesse praesumat. Quare specialem quorumdam locorum consuetudinem ad alia generaliter prorogando, statuimus, ut, cum matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesiis per presbyteros publice proponantur, competenti termino praefinito, ut intra illum, qui voluerit et valuerit, legitimum impedimentum opponat : et ipsi presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat. Cum autem apparuerit probabilis conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expresse, donec, quid fieri debeat super eo, manifestis constiterit documentis. Si quis vero hujusmodi clandestina vel interdicta conjugia inire praesumpserit in gradu prohibito, etiam ignoranter, soboles de tali conjunctione suscepta prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium : cum illi taliter contrahendo non expertes scientiae, vel saltem affectatores ignorantiae videantur. Pari modo proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum, praeter omne interdictum, etiam in conspectu Ecclesiae contrahere praesumpserunt. Sane, si parochialis sacerdos tales conjunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam regularis, qui eis praesumpserit interesse, per

(1) C. ult. *De cland. despons.*

triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpae qualitas postulaverit. Sed his, qui taliter praesumpserint etiam in gradu concesso copulari, condigna poenitentia injungatur. Si quis autem ad impediendam legitimam copulam malitiose impedimentum objecerit, canonicam non effugiet ultionem. »

190. Verumtamen, ut validum semper fuit matrimonium contractum absque consensu parentum (1), vel sacris ceremoniis omissis, ita haec lex de denuntiandis matrimoniis contrahendis non erat statuta sub poena nullitatis matrimonii. Validum etiam erat, quamvis illicitum, matrimonium absque praesentia sacerdotis, vel alio quovis modo non publice sed clam contractum. Ingentia autem mala ex hujusmodi matrimonio passim oriebantur; nam quum probari illud plerumque non posset, non raro ad alias nuptias conjuges transibant (2), praesertim si non existebat proles. Interdum etiam maritus ad sacros Ordines ascendebat, et aut solus aut cum uxore reditibus beneficii ecclesiastici fruebatur (3). Quapropter Concilium Tridentinum, sess. 24 c. 1 de ref. matr. tum, vestigia sequens Concilii Lateranensis IV, magis determinavit legem de matrimonio publice nuntiando, tum nova lege constituit impedimentum dirimens clandestinitatis, quo post triginta dies a decreti in parochia publicatione numerandos irrita forent matrimonia aliter quam coram parocho proprio et duobus saltem testibus contracta.

191. Praescriptionum suarum motiva his verbis Patres Tridentini exponunt : « Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata, et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit : et proinde jure damnandi sint illi, ut eos sancta synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant; quique falso affirmant,

(1) Vid. sup. n. 163, inf. c. 23.

(2) Cf. Trid. inf. n. 191.

(3) Cf. Ben. XIV const. *Paucis abhinc* 19 mart. 1758 (*Bullar. Ben. XIV*, t. 4, Append. alt.; ed. Mechl. vol. 12. p. 397).

matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata, vel irrita facere posse; nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. Verum, quum sancta synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse; et gravia peccata perpendat, quae ex eisdem clandestinis conjugiis ortum habent; praesertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum, priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Cui malo quum ab Ecclesia, quae de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur; » cet.

192. Propter exposita motiva imprimis quidem Conc. Trid. innovavit magisque determinavit legem de denuntiando matrimonio contrahendo : « Iccirco, sacri Lateranensis concilii sub Innocentio III celebrati vestigiis inhaerendo, praecipit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter missarum solemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum : quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie ecclesiae procedatur... Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denuntiationes; tunc vel una tantum denuntiatio fiat; vel saltem parocho, et duobus, vel tribus testibus, praesentibus matrimonium celebretur. Deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant; ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur; nisi ordinarius ipse expedire judicaverit, ut praedictae denuntiationes remittantur : quod illius prudentiae, et judicio sancta synodus relinquit. » Haec pars decreti, quae est de denuntiationibus, licitam tantum, non vero validam matrimonii celebrationem concernit.

193. In ea vero parte, qua novum impedimentum dirimens

constituitur, haec decernuntur : « Qui aliter, quam praesente parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt; eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit : et hujusmodi contractus irritos, et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit, et annullat. Insuper parochum, vel alium sacerdotem, qui cum minore testium numero, et testes, qui sine parocho, vel sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, necnon ipsos contrahentes graviter arbitrio ordinarii puniri, praecipit. — Praeterea eadem sancta synodus hortatur, ut conjuges ante benedictionem sacerdotalem, in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent; statuitque benedictionem a proprio parocho fieri; neque a quoquam, nisi ab ipso parocho, vel ab ordinario licentiam ad praedictam benedictionem faciendam alii sacerdoti concedi posse : quacumque consuetudine, etiam immemorabili, quae potius corruptela dicenda est, vel privilegio, non obstante. Quod si quis parochus, vel alius sacerdos, sive regularis, sive saecularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiae sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. »

Finem autem procurandi contracti matrimonii certitudinem prosequens, illico addit Concilium : « Habeat parochus librum, in quo conjugum, et testium nomina, diemque, et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat. »

194. Tandem post pauca alia totum decretum, in quo de denuntiationibus et forma contrahendi statuerat, Concilium ita concludit : « Ne vero haec tam salubria praecepta quemquam lateant, ordinariis omnibus praecipit, ut, quum primum potuerint, curent hoc decretum populo publicari, ac explicari in singulis suarum

dioecesum parochialibus ecclesiis; idque in primo anno quam saepissime fiat, deinde vero quoties expedire viderint. Decernit insuper, ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primae publicationis, in eadem parochia factae, numerandos. »

195. Tantam disciplinae mutationem induxit novi hujus impedimenti dirimentis constitutio, ut, licet etiam post Tridentinum appellatio clandestini matrimonii aptari possit matrimonio non publice nuntiato, consulendum tamen sit ut appellatio illa unice propria habeatur matrimonio absque forma Tridentina contracto. Ut autem pateat quanta sit et quam salubris praefata disciplinae mutatio, comparationem instituere oportet inter modum, quo ante Tridentinum Concilium de matrimonio vere contracto constare censebatur, atque eum quo post Tridentinum de eo constat.

196. Ante constitutum a Concilio dirimens impedimentum clandestinitatis, cum valeret matrimonium clam et nemine licet praeter partes praesente contractum, necessario debuerunt duae sequentes regulae servari, nec alia media suppetebant, ut matrimonium revera existere censeretur (1). Iis autem regulis locus etiam nunc est in locis, ubi non viget dirimens illud impedimentum a Concilio constitutum (2).

197. Prima regula haec erat. Si aut utraque pars aut alterutra inficiaretur matrimonium fuisse initum, et hujus existentia aliunde probari non posset, in foro externo non censebantur matrimonio junctae, etiamsi vera copula carnalis locum habuisset. Si tamen post inita valida sponsalia habita fuisset vera copula carnalis, aderat matrimonium praesumptum, id est, praesumptio juris et de jure erat matrimonium existere, et sponsalia censebantur per copulam transiisse in matrimonium (3), nisi probaretur aliud ma-

(1) Cf. Fagn. n. 4 sqq. in c. *Quod Nobis*, 2, De cland. despons.

(2) Vid. inf. n. 199 sqq. et c. 11, et cf. de Angelis, *Prael. jur. can.* t. 3, part. 1, Rom. 1880, p. 21 sqq. 79.

(3) C. *Is qui*, 30, De spons. et matr., coll. c. *Adolescens*, 32, eod.

trimonium ante hanc copulam contractum. Quum enim delictum non sit praesumendum, Ecclesia praesumebat et praesumere debebat sponsos non fornicario, sed conjugali affectu se cognovisse, ac sibi mutuo dedisse consensum in matrimonium de praesenti eos, qui hoc jam ante sibi promiserant. Erat autem haec praesumptio juris et de jure, scilicet non admittebatur probatio copulam non habuisse locum animo conjugali, sed is non aliunde quam probatione alterius matrimonii ante illam copulam contracti excludi poterat.

198. Fori externi regula haec erat; nam si revera consensus, ad matrimonium ipso jure naturae necessarius, defuisset, in foro interno seu coram Deo matrimonium non existeba'; et nihil aliud remanebat ejusmodi partibus, nisi aut suo consensu matrimonium efficere validum, aut humiliter subire poenas forte inflictas a judice ecclesiastico, cui in foro externo jus erat cogendi partes ac si matrimonio essent conjunctae, licet hae coram Deo jure conjugii absque mortali culpa uti non possent.

199. Passim Sedes Ap. haec omnia declaravit esse observanda etiam post Tridentinum in regionibus, in quibus hujus decretum non viget; cujus rei unum sit exemplum e multis. In S. C. de Prop. Fide proposita inter alia fuerant haec dubia : « I. An in Chinae, Cochinchinae, et Tunchini utriusque regionibus, in quibus Tridentinum de matrimonio decretum nondum promulgatum est, copula sponsalia subsequens verum matrimonium inducat, etiamsi sponsi inter coeundum non maritali affectu, sed libidine moti, existiment, se in illicitum ac fornicarium actum irruisse, matrimonio justo constituendo imparem, ac propterea non sibi creptam facultatem existiment ad alia vota transeundi, cum haec apud eas gentes persuasio vigeat?... II. Quale consilium dandum Missionariis earum regionum circa modum servandum, praesertim in poenitentiae Sacramenti administratione, cum iis fidelibus, qui post sponsalia et copulam habitam cum una muliere, nuptias

publice cum alia contraxerunt, quas ipsi bona fide justas existimant validasque » (1)?

Et S. C. ad primum dubium respondendum censuit : « Si in praefatis regionibus ubi publicatum non fuit decretum S. Conc. Trid. duo sponsi carnalem inter se deinde habeant copulam, eam tamen non ex affectu maritali, sed affectu illicito ac fornicario; haec eorum copula minime transire facit praecedentia eorumdem sponsalia in verum matrimonium coram Deo : seu in foro conscientiae liberi manent, atque poterunt, si praedicta eorum sponsalia ex aliqua legitima causa dissoluta fuerint, nuptias alias licite inire. Nihilominus si eorum copula in foro externo et judiciali probetur, poterunt iidem ex praesumptione *juris et de jure*, contra quam non admittitur probatio, per ecclesiasticam potestatem adigi ad se habendos tamquam veros conjuges, quibus, vivente consorte, quodvis connubium interdictum sit ex cap. 30 *De sponsalib. et matrim.* »

Ad secundum sic respondit S. C. : « Si quis fidelium post sponsalia et copulam dein habitam cum una muliere, cum altera muliere publice matrimonium contrahat, atque in hoc statu ad Missionarium aliquem in tribunali Poenitentiae accedat, debebit eum interrogare, an copulam istam cum illa prima muliere habuerit ex affectu maritali, an vero ex affectu illicito et fornicario. Si alterum hoc respondebit, nullum de validitate praesentis sui matrimonii dubium ei movebit. Sin autem primum respondebit, graviter ipsum commonebit, eum maritum esse non secundae sed primae mulieris, ad eamque redire omnino debere. Additur vero ad eorumdem Missionariorum instructionem, quod si forte homo iste probare non valens in foro externo carnalem copulam

(1) Vid. S. C. de Prop. Fide Instruct. 17 januar. 1821, a Pio VII approbata, ad Vicarios Apostolicos in imperio Sinarum eique adjacentibus regnis atque provinciis, in op. *Acta S. Sedis*, t. 6, p. 446 sqq., coll. de Angelis l. c. p. 22 sqq., et Vecchiotti, *Tract. canonicus de matr.* Taurin. 1868, § 20, ubi citat etiam duo alia responsa S. C. de Prop. Fide 5 mart. 1816.

ab se habitam cum prima illa muliere, cogeretur hinc per ecclesiasticam potestatem cum altera muliere remanere quacum publice matrimonium contraxit, deberet is poenam quamlibet, ipsamque excommunicationem humiliter potius sustinere, quam cum altera hac muliere carnale commercium exercere non sine lethali culpa ex cap. 44 *De sent. exc.* »

200. Secunda ex regulis quae ante constitutum dirimens impedimentum clandestinitatis in foro externo observari debebant ad dijudicandam matrimonii existentiam, et etiam nunc observari debent in locis ubi illud impedimentum non viget, est ea quae sequitur. Utraque parte matrimonii existentiam affirmante, haec pro certa habebatur. Si tamen pronuntiandum esset inter matrimonium quod partes olim initum asserebant, et aliud publice contractum ac plene seu per duos testes probatum, pro posteriore hoc matrimonio judicium ferebatur, quoties non afferretur plena matrimonii prioris clandestini probatio.

201. Magna igitur mutatio facta est per constitutionem dirimentis impedimenti clandestinitatis. In locis enim in quibus illud viget, nullus matrimoniis praesumptis, seu supra indicatis fori externi regulis, locus est; sed neganda est matrimonii existentia nisi probetur contractum in forma Tridentina, id est coram parocho proprio, aliove ab eo vel Ordinario deputato sacerdote, et duobus saltem testibus, vel in casu impossibilis ad eum recursus (1), coram duobus saltem testibus. E contra, ubi praefatum impedimentum non viget, locus etiam nunc est matrimoniis praesumptis, et duae regulae supra indicatae observari debent. De casu autem quo altera pars est catholica, altera haeretica, cf. n. 319, not.

202. Optimum igitur medium pro avertendis malis, quae e clandestinis nuptiis oriuntur, est decreti Tridentini publicatio, eamque locorum Ordinarii facere tenentur, nisi circumstantiae

(1) Cf. inf. c. 11.

peculiares prudenter ab ea abstinendum esse jubeant; qua quidem in re nonnisi consulta S. Sede procedere oportet. In citata (1) S. C. de Prop. Fide Instructione anni 1821 tertium dubium sic efformatum fuisse legitur : « Vicariis Apostolicis ac Missionariis remedium flagitantibus aptum ad cohibenda conjugia clandestina, et avertenda damna ex iisdem funestissima suboritura, quid consilii dandum aut praescribendum sit? » Respondit autem S. C. : « Certe negari non potest, maximam ad clandestinas conjunctiones praecidendas medelam ac praesidium in celebris Tridentini de matrimonio Decreti promulgatione ab Ecclesia collocari : et Apostolica quidem Sedes, quotiescumque conducere ea promulgatio Episcopis atque Apostolicis Vicariis visa est, nihil reliqui fecit, quo facilem iisdem se praeberet, atque hujusmodi medicinam tali consentaneam morbo praescriberet, quod fecit in Archiepiscopatu Kioviensi... Verum de Kioviensi exemplo, quod ad rem nostram maxime facit, legendum est praeclarum Benedicti XIV P. M. opus *de Synodo Dioecesana* lib. XII cap. V. §§ 8, 9, 10 et 11 ; ac legenda ita ejusdem Pontificis Constitutio *Etsi Pastoralis* § 8 de Sacram. Matrim. n. 1 = Curent Ordinarii locorum, ut Decretum S. Concilii Tridentini de reform. matrim. in locis et parochiis Graecorum et Albanensium, quoties expedire viderint, evulgetur et publicetur =. Sed certum quoque est, sicubi promulgatum id Decreti fuerit, ibique de praesentia parochi praescriptum observari omnino minime potuisset, quod vel parochus deesset omnino vel difficile adiri posset, Apostolicam Sedem declarasse, iis in locis testium praesentiam satis esse ad valide matrimonia constabilienda, quo si integrum Decretum observari non posset, quoad tamen posset, observaretur. Jam vero Emi Patres in hujusmodi prudentem Apostolicae Sedis oeconomiam animum intendentes; itemque considerate ac meditato animo perpendentes litteras a Vobis Ven. Fr. iterato ad S. C. hac super re datas; cir-

(1) Sup. n. 199.

cumspectantes etiam civiles, sacrasque rationes et faciem ipsam Imperii Sinarum quaeque eidem junguntur provinciarum atque regnorum, censuerunt si id SSmo D. N. placuerit, ut quibus in locis id expedire maturo consilio judicaveritis, in iis Concilii Decretum integrum rite promulgandum curetis, aut saltem, quoad fieri licuerit, juxta regulas paulo ante traditas. Quamobrem omnia et singula matrimonia, quae posthac celebrari contigerit apud Sinas, ut valida nominentur et sint, ineunda erunt coram parocho aut missionario, aut alio quovis legitime designato, ac duobus vel tribus testibus, iisque quoad licuerit, christianis. In iis vero locis in quibus integrum non posset promulgari Decretum, vel si promulgatum sit parochus tamen, vel alius rite designatus absit, vel faciles ad eundem aditus non sint, iniri quidem possint conjugia, etsi absque parocho, coram duobus saltem testibus, iisque si fieri possit christianis; ita tamen contrahentes, ne Sacramenti dignitas vilescat, obligentur lege sistendi se coram missionario vel parocho quandocumque reduci, ut rite ab eo benedictionem accipiant. Missionarius autem vel parochus redux, quando sibi de consensu conjugum constiterit, antequam conjuges benedicat, eos condocefaciat, ejusmodi benedictionem ad ritum unice, non ad validitatem pertinere conjugii; ac propterea non committet ille ut rursus consensio per nova verba exprimatur. Tandem ne Decreti memoria, jusque obsolescat, cupit S. Congregatio, ut quoties se dederit occasio, missionarii illud popularibus sibi commissis explicent, ac juxta regulas modo expositas declarent. Expedit enim, ut ipsae maxime adolescentulae virgines id perceptum habeant, ne in fraudem induci, et occultis, vimque nullam habituris nuptiarum promissis, se ad ullam pellici turpitudinem patiantur. Atque haec via et ratio est, quam retinendo existimat S. Congregatio inordinatas ac clandestinas conjunctiones praefocari Deo dante posse, ac *Magno sacramento* suum honorem, unde apud plures deciderat, redintegrari. » Quum deinde illi Vicarii Apostolici exposuissent gravissimas ex publicatione decreti Tridentini diffi-

cultates esse timendas, S. C. de Prop. Fide 23 junii 1830 eam singulorum Vicariorum prudenti consilio commisit, suasitque ut ab ea abstinerent ubi in destructionem potius fore judicarent (1).

CAPUT IX.

DE PAROCHO PROPRIO, DE NOTIONE DOMICILII ET QUASIDOMICILII, ET DE VAGIS.

203. Tam in ea parte decreti Tridentini quae agit de matrimonio publice nuntiando, quam in ea quae sub poena nullitatis formam celebrationis matrimonii praescribit, sermo est de parocho proprio. Ad dignoscendum autem cujusnam ecclesiae parochialis rectorem quis pro parocho proprio habeat, seu cujusnam parochiae et parochi sit parochianus, consideranda non est ejus origo, sed habitatio, ideoque non locus in quo natus est, sed ille in quo habitat, parochianum facit; neque etiam sola bonorum possessio absque mora in loco hanc qualitatem tribuit (2). Porro juxta leges canonicas, e quibus solis, non vero ex legibus civilibus, quaestio haec ecclesiastica determinanda est, habitatio, pro diversis ejus circumstantiis, aut *domicilium* (3) aut *quasidomicilium* appellatur. Priusquam igitur exponatur disciplina ecclesiastica de denuntiationibus matrimonii et de impedimento dirimente clandestinitatis, accurata tenenda est notio domicilii et quasidomicilii, ac parochi proprii in re matrimoniali. Observandum tamen est, per ea quae de parocho proprio tradentur, nequaquam excludi Romanum Pontificem et Ordinarios locorum; sed salvam eorum quoque po-

(1) Cf. Vecchiotti l. c.

(2) Cf. secretarium S. C. C. in *Jadren.* 24 aug. 1720 (*Thes. S. C. C.* t. I).

(3) Sensu nempe proprio; nam interdum haec vox latius accepta comprehendit tam domicilium verum seu proprie dictum quam quasidomicilium.

testatem manere. Insuper tractatio de parocho proprio et qualitate parochiani numquam spectat exemptos; hi enim propriis suis superioribus subjacent, et eorum exemptio impedit quominus per quamvis habitationem parochiani fiant illius parochiae, intra cujus fines habitant.

204. Jure canonico qualitas parochiani imprimis acquiritur per domicilium, quae vox hic juxta paulo ante dicta significat habitationem seu domicilium habitationis, non vero originem seu domicilium originis. Qui sui juris non est, is retinet domicilium patris vel tutoris, donec sui juris effectus illi domicilio sive verbis sive factis renuntiet. Ad ejusmodi tamen renuntiationem non sufficit in filiis famulatui se addicentibus supponere intentionem interpretativam amplius non redeundi ad domicilium parentum, vel eos simpliciter non cogitare de redeundo ad illud, cessante famulatu. Uxor etiam retinet domicilium defuncti mariti, donec ei renuntiet, nisi tamen in casu legitimae separationis jam ante mariti mortem id praestiterit. Si maritus, pater, tutor, domicilium mutet, novum ejus domicilium sequitur qui sui juris non est. Quamquam autem filius, qui sui juris non est, nequit verum habere domicilium diversum a domicilio patris vel tutoris, quasi-domicilium tamen proprium habere potest.

Voluntate vero propria illius qui sui juris est domicilium ex duobus momentis coalescit, nempe simul conjunctis facto seu habitatione, et animo semper manendi. Factum commorationis oculis patet, sed quod ad animum spectat, tres hypotheses distinguendae sunt. Aut enim verbis declaratus fuit animus, aut factis fuit proditus, aut neque ex verbis neque ex factis argumentum sufficiens eruitur. Numquam vero domicilium contrahitur, si aut verbis aut factis seu conjecturis ac circumstantiis excludatur animus perpetuo manendi.

205. 1° Ut domicilium non contrahit, etiamsi longissimo tempore in loco degens, cum translatione licet majoris partis bonorum suorum, is qui verbis expressis declarat animum postea rece-

dendi; ita domicilium acquirit ille, qui expresse declarat animum perpetuo manendi in loco ad quem se transtulit. Illico a primo momento, quo una cum facto commorationis in loco conjunctim existit ejusmodi animi expressa declaratio, domicilium acquisitum est, etiam absque majoris partis bonorum translatione, et licet quis ejusmodi sit conditionis, quae per se spectata seu absque praefata expressa declaratione excluderet animum perpetuo manendi, ex. gr. si sit scholaris vel professor, seu aliud quodvis officium habens temporaneam potius moram indicans (1).

206. 2° Factis etiam domicilium acquisitum censetur, quando talia concurrunt quae animum perpetuo manendi significant; ex. gr. si quis ita degat in loco ut eo familiam traduxerit, majorem fortunae partem eo transtulerit, bona ibi acquisiverit, sepulturam familiae construxerit, cet. (2). Non tamen unum alterumve hujusmodi factum sufficit, sed ex variis concurrentibus judicium efformandum est. Praeterea requiritur ut animus perpetuo manendi per alias circumstantias non excludatur; ad quod tamen non semper sufficit personae conditio ejusmodi, de qua sermo fuit in fine numeri praecedentis, dummodo ex validioribus tunc factis concurrentibus deduci debeat animus perpetuo manendi. Altero etiam hoc modo seu per facta sola censetur acquisitum domicilium inde a primo momento, quo illa simul cum habitatione in loco concurrunt.

207. 3° Si neque verbis neque factis quidquam, ut supra, declaratum fuit, dubia res est; ex decennali tamen habitatione animus perpetuo manendi praesumitur ita, ut nulla alia conjectura vel adminiculo opus sit; secus enim non exigeretur decennium. Verum cessat haec praesumptio, quando constat aliquem coepisse commorari in loco ob causam accidentalem temporaneam, qua cessante discessurus videbatur (3). Causae hujusmodi accidentales

(1) Cf. Rigant. ad. reg. 24 Cancell. § 3, n. 34 sqq.
(2) Cf. Rigant. ib. n. 38 sqq.
(3) Cf. Rigant. ib. n. 41 sqq.

sunt ex. gr. si quis alio se conferat causa studiorum, vel ad obeundum officium professoris aliudve quodvis animum prae se ferens manendi quamdiu durabit ejusmodi conditio. Verumtamen ut is qui habet domicilium in loco, illud non amittit si superveniat officium ejusmodi seu conditio, ita etiam, non obstante commorationis propter accidentalem hanc circumstantiam initio, domicilium contractum censebitur, si, cessante praefata conditione seu officio, eo modo quis pergat in loco habitare, qui ex circumstantiis prudenter dici debeat probare animum manendi perpetuo (1); imo jam ante, si verbis vel factis certus fiat animus perpetuo manendi.

Insuper causae accidentales praefatae non in omnibus regionibus sunt eaedem, sed in singulis peculiariter ponderandae. Ex. gr. quando mercatoris et medici officia scriptores iis annumerant (2), non absque distinctione ubique id applicari potest, sed tantum mercatori qui solet, diuturniori licet hic illic tracta mora, diversa adire loca; sic etiam illi tantum civili medico applicanda erit praefata observatio, qui non ut in hisce regionibus, sed temporanea cum municipio aliisve inita conventione, ut saepe fit in oppidis Italiae, officium suum exercet.

208. Hujus loci non est explicare aliud praeterea in domicilio requiri ad Ordines recipiendos ab episcopo domicilii. Pro parochiani autem qualitate acquirenda sufficit domicilium juris communis modo descriptum; necessarium tamen non est, cum sufficiat quasidomicilium. Porro ad amittendum domicilium non sufficit actualis discessus, nec diuturna absentia; sed sive verbis sive factis debet constare de animo valedicendi domicilio, et quamdiu de eo non constat, illud conservatur.

209. Secundo parochianus quis fit per quasidomicilium. Vox haec non occurrit apud antiquiores auctores; voce habitationis hi uti solebant (3). Quum autem habitatio illa quoque, quae non est

(1) Cf. Rigant. l. c. n. 44.
(2) Cf. Rigant. l. c. n. 43.
(3) Cf. Fagn. ad c. *Significavit*, 5, De parochiis et alienis parochianis.

per modum veri domicilii, huic ad parochialitatem acquirendam aequivaleat, coeperunt eam passim auctores appellare quasidomicilium, et hanc appellationem usu quoque suo Sedes Apostolica firmavit. Aliqui tantum auctores distinxerunt, immerito tamen, ut postea patebit, quasidomicilium a simplici, ut vocant, habitatione, priori voce intelligentes habitationem per majorem vel dimidiam anni partem vel saltem cum intentione tamdiu manendi in loco; posteriori vero intelligentes commorationem quae neque est majoris vel dimidiae partis anni, neque cum hujusmodi intentione. Non eadem vero est omnium auctorum sententia de iis quae requiruntur et sufficiunt, ut parochianus quis fiat per habitationem, quocumque demum nomine dicatur, non habentem veri seu proprie dicti domicilii qualitates.

210. Plerique ad hoc exigunt habitationem per majorem ideoque integram saltem dimidiam anni partem, vel saltem cum intentione tamdiu locum inhabitandi. Si alterutrum adsit, juxta ipsos habetur quasidomicilium, et in posteriori quidem casu inde a primo commorationis momento. Quasidomicilium autem in hac sententia acquiritur, etiamsi commoratio locum habeat solo fine matrimonium ineundi et post majorem vel dimidiam anni partem in loco transactam discedendi, et licet agatur de parochia rurali, in qua quis recreationis vel rusticationis causa commoretur, dummodo more civium seu vere habitantium, non vero more vagorum aut hac illac in regione itinerantium, in loco degat. Juxta hanc sententiam decreta Sedis Ap., quibus parochus ruralis excluditur, non respiciunt nisi illam moram, quae neque est majoris vel dimidiae partis anni, neque cum hujus saltem intentione.

211. Decreta illa haec sunt. In *Urbinaten. Nullitatis matrimonii* 1 dec. 1640 (1) S. C. C. declaravit ; « Sacra etc. inhaerendo declarationibus alias factis, respondit, parochum ruralem non

(1) *Thes. S. C. C.* t. 2, et ap. Secret. S. C. C. in *Comen. seu Mediolan. Nullit. matr.* 5 dec. 1863 (*Thes.* t. 122); item ap. Ben. XIV, *Inst. eccl.* 33, n. 7.

esse proprium, et verum parochum, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis, ideoque matrimonium valide coram hujusmodi parocho celebrari non posse. Partibus tamen dentur declarationes antiquae, scil. In una *Florentina* Sacra etc. censuit, quod parochus ruralis non est verus parochus, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis. In *Florentina* similiter respondit, parochum ruralem non esse proprium parochum, ideoque matrimonium coram eo celebratum fuisse nullum. In una *Abulen.* Sacra etc. censuit non valere matrimonium contractum coram parocho loci, ubi contrahentes reperiuntur non animo ibi domicilium (1) contrahendi. » Jam in Decretalibus similis erat dispositio c. 3 *De sepult.* in VI : « Is qui habens domicilium in civitate vel castro, quandoque ad villam ruralem se transfert recreationis causa, vel ut ruralia exerceat in eadem, si non electa sepultura decedat ibidem, non in ecclesia dictae villae, sed in sua parochiali, vel in ea potius, in qua majorum ipsius ab antiquo sepultura extitit, sepeliri debebit : dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari. » Ratio, quam praefati auctores declarationibus hujusmodi attribuunt, ea est quod commoratio ruralis non soleat esse majoris vel dimidiae, sed minoris partis anni.

212. Quod in cit. *Abulen.* resolutum a S. C. C. legitur, id plenius reperitur expressum in *Colonien.* 5 sept. 1626, cujus resolutio fuit ab Urb. VIII munita speciali brevi *Exponi Nobis* 14 aug. 1627 (2). Dubia proposita erant : « Primo : An incolae tam masculi, quam foeminae loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto matrimonii est promulgatum, transeuntes per locum, in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine parocho, et testibus contrahere? Secundo : Quid, si eo praedicti incolae

(1) Cf. sup. n. 203 not. 3.

(2) Illud vid. in Bullario Ben. XIV, t. 4. App. alt., ed. Mechl, vol. 12, p. 400 sq.

tam masculi, quam foeminae, solo animo sine parocho, et testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutantes? Tertio : Quid, si iidem incolae tam masculi, quam foeminae, eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque parocho, et testibus contrahant? » Responsum fuit : « Ad primum, et secundum, non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes, ac transeuntes cum fraude : ad tertium vero..., si domicilium (1) vere transferatur, matrimonium esse validum (2). »

213. Undenam autem in hac sententia animus saltem per integrum semestre manendi in loco probabitur seu potius praesumetur, quoties agitur de breviori habitatione cum ejusmodi animo facta? Si nihil expresse fuit declaratum, eruendus est ex circumstantiis moram integri saltem semestris secum ferentibus, quales esse solent quaedam officia vel negotia gerenda, ex. gr. commoratio causa studiorum vel muneris professoris alteriusve officii vel famulatus. Imo praecipua aliqua circumstantia erit unius saltem mensis commoratio in loco, simul tamen spectatis adjunctis in quibus contigit. Sic accepta commoratio per mensem ab ipsa S. Sede agnita saepe fuit tamquam quasi domicilii praesumptionem inducens, et tamquam praecipuum aliquod animi indicium habetur a Ben. XIV in Const. *Paucis abhinc* 19 mart. 1758 (3). Etiamsi vero non adfuerit intentio manendi dimidia saltem anni parte, sufficit pariter realis commoratio integri semestris. Mensem itaque saltem unum completum haec doctrina non considerat tamquam per se solum sufficientem, sed tamquam meram circumstantiam, eamque unam tantum e diversis, e qua praesumi possit, et spectatis quidem adjunctis, animus manendi per dimidiam saltem anni partem.

214. Neque excludunt auctores illi a sufficienti quasidomicilio, imo admittunt quosdam casus, in quibus animus manendi per

(1) Cf. sup. n. 203, not. 3.
(2) Verba desumpta sunt ex cit. brevi *Exponi Nobis*.
(3) Vid. inf. n. 219.

dimidiam saltem anni partem est necessitatis potius quam voluntatis. Sunt enim quidam casus necessitatis, in quibus commorans recessurus quidem est simul ac cessabit causa coactae commorationis, sed haec ejus mens suppletur per causam manendi talem, quae non possit probabiliter brevi postea cessare, sed sit duratura vel possit durare saltem integro semestri, ut fit in relegatis. Locum idem potest interdum habere ex causa fugiendi bellum vel pestem, quando non videtur brevi cessatura, sed possit durare etiam integro semestri. Verumtamen solent sedulo iidem auctores in quasidomicilio exigere commorationem more civium seu vere habitantium, et excludere eam quae fit more vagorum vel itinerantium (cf. n. 210).

215. Secunda de quasidomicilio opinio est eorum, qui non requirunt commorationem majoris vel integrae dimidiae partis anni, vel cum ejus intentione; sed, nullo praefinito tempore, exigunt habitationem per tempus aliquod notabile, quae tamen non habuerit locum solo animo matrimonium ineundi et dein recedendi, nec causa recreationis, rusticationis, aliave hujusmodi transitoria. Notant autem unum saltem mensem completum, non materialiter tantum sed libratis circumstantiis spectatum, fuisse passim pro sufficienti habitum a Sede Apostolica. Haec opinio attribuitur etiam Fagnano l. c., qui, post rejectam inter alias antiquiores opinionem, juxta quam postulabatur habitatio per majorem anni partem (1), cum aliis tradit « sola habitatione quem effici parochianum alicujus ecclesiae, dummodo non sit ibi recreationis gratia, vel ad ruralia exercenda, aut ex alia brevi causa statim reversurus ad propriam parochiam (2). » Hanc opinionem Fagnanus dicit magis communem, veriorem, et saepius applicatam a S. C. C. in casibus contingentibus. Horum autem aliquos citat (3). « Cum olim juvenis nobilis, et meretrix Senensis cupe-

(1) N. 23 sqq.
(2) N. 27.
(3) N. 36 sqq.

rent invicem matrimonio copulari, et dubitarent ne si matrimonium in civitate Senarum contraherent adhibendo Concilii Tridentini solemnitates, juvenis parentes impedimento essent, Romam accesserunt, ibique aliquantisper commorati, coram parocho et testibus S. Anastasiae, in cujus parochia tunc habitabant, matrimonium per verba de praesenti contraxerunt. Et cum de ejus validitate dubitaretur, S. Congreg. censuit matrimonium esse validum ea ratione, quia is est proprius parochus, in cujus parochia habitabant contrahentes tempore contractus (1).... Atque ad exemplum decisionis editae in d. causa Senensi, alias censuit valere matrimonium scholaris, qui Patavii quinque, vel sex menses moratus timens impedimentum a parentibus, ibi duxit mulierem plebejam coram parocho loci, et testibus. Idemque respondit de matrimonio alterius, qui ob eandem causam se in Angliam contulit, et ibi aliquantisper moratus, coram parocho habitationis cum meretrice contraxit matrimonium. Quinimo cum vir, et mulier Trajectenses timentes impedimentum a parentibus, ad vicinam urbem Aquisgranensem se contulissent, et ibi aliquandiu morati matrimonium contraxissent : S. Congreg. consulta super validitate censuit exprimendum tempus, quo contrahentes Aquisgranae manserunt. Quod si fuerit saltem unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate, alias de novo referendum in Congregatione. » Has resolutiones citat Fagnanus occasione causae alicujus mulieris, quae a principe ad submovenda scandala in aliquem locum relegata donec aliter princeps ordinasset, post quartum mensem in eo loco contraxerat matrimonium cum aliquo ibi non habente parochialitatem; refert Fagnanus S. C. C. pronuntiasse pro hujus quoque matrimonii validitate (2).

216. Supra dixi secundam hanc opinionem attribui Fagnano. Notandum tamen est eum expresse quidem rejicere antiquam

(1) Juxta card. de Luca, Disc. 1 de matr, n. 9 (*Theatr. ver. et just.* t. 2) haec causa *Senen.* est anni 1600, et reputatur in materia magistralis.

(2) Cf. ib. n 19 sqq. et 39.

opinionem illam, quae requirebat realem habitationem per majorem anni partem, nullibi tamen dicere se rejicere eam quae una cum breviori mora postulat sed sufficere dicit intentionem manendi per majorem vel dimidiam anni partem. Hac de re nihil habet, et totus est in rejiciendis nonnullis antiquis opinionibus, in propugnanda sufficientia habitationis quae de facto seu realiter non sit majoris partis anni, et in vindicanda tamquam sufficienti coacta illa habitatione mulieris a principe relegatae; in quo non pugnat ejus doctrina cum ea, quae postulat habitationem per dimidiam saltem anni partem vel cum hujus intentione (1). Mirum tamen est eum nullibi memorare intentionem manendi per majorem vel dimidiam anni partem. Sed quidquid sit de Fagnani sententia, manifestum est eum non sumere minorem anni partem mere materialiter, seu independenter a quibusvis circumstantiis; nam occasione mulieris a principe relegatae sibi objiciens eam non habuisse animum perpetuo in loco manendi, hoc fatetur, sed respondet sufficere ejus intentionem manendi quamdiu duraret necessitas seu coacta residentia, et quod causa submovendi scandala, propter quam fuerat relegata, non fuerit talis, ut potuerit probabiliter brevi postea cessare. Cur autem vel minimam intentionis aut circumstantiarum mentionem fecisset, si putasset sufficere ejusmodi residentiam per minorem anni partem in quibuscumque circumstantiis?

217. Fagnano adhaerens scribit card. de Luca (2) : « Atque aliorum est opinio probabilior, quae tribuitur Friderico de Sen. *Cons.* 254, quam sequitur Sac. Congregatio Concilii, ut, ad hunc effectum matrimonii, sufficiat sola habitatio, absque necessitate explicitae, vel implicitae declarationis animi, vel temporis notabilis, seu aliorum requisitorum, quae de jure desiderantur ad contrahendum formale domicilium quoad alios effectus, dum-

(1) Cf. sup. n. 214.

(2) Disc. 2 de matr. n. 11 sq. (*Theatr. verit. et just.* t. 2); cf. etiam Disc. 26 Annot. ad S. Conc. Trid. n. 11 sq. (Ib.).

modo sit habitatio constans, ac formalis in ea parochia, privative ad praecedentem habitationem in priori; secus autem si sit gratia recreationis, vel ex alia causa accidentali, priori habitatione non derelicta, atque cum brevi reversione ad eam, ex deductis per Fagnan... Hinc proinde, hac ultima opinione retenta, fallacia esse solet in applicatione, circa quam dicendum est, ut ista sit quaestio facti potius, ac probationis, etiam adminiculativae, quam juris, ideoque juxta regularem hujusmodi quaestionum facti naturam, certa regula generalis desuper constitui non potest, cuicumque casui applicabilis, cum probationum materia, praesertim ubi de adminiculativis agitur, judicis arbitrio reposita sit, ex singulorum casuum qualitate, ac circumstantiis regulando; Et de consequenti, erroneum pro meo judicio est, procedere cum propositionibus generalibus; vel cum decisionibus, quae in diversis casibus prodierunt, quoniam stant bene simul, ut in uno casu aliquae probationes, vel argumenta sufficiant, in altero autem, eadem, ac longe majora insufficientia sint, quia nempe ita locorum, ac temporum, et personarum, aliarumque circumstantiarum qualitas, uno vel altero modo exigat. »

218. Tertia de quasi domicilio doctrina erat nonnullorum recentiorum, qui putabant unum mensem commorationis completum in quibuscumque circumstantiis sufficere ad acquirendam parochiani qualitatem. Quorum alii talem etiam moram vocabant quasidomicilium, alii vero simplicem habitationem, adhibentes vocem quasidomicilii pro commoratione majoris vel dimidiae saltem anni partis vel cum hujus intentione. Opinabantur ii omnes mensem unum materialiter sumptum sufficere, etiamsi commoratio locum habuerit solo fine matrimonium post mensem ineundi et dein recedendi, vel causa recreationis, rusticationis, aliave hujusmodi transitoria.

219. Sequentibus nitebantur argumentis : 1° S. C. C. in variis causis tractatis nihil aliud requirit quam habitationem unius saltem mensis, et hanc habet pro longo et sufficienti tempore habi-

tationis. Quare non obest etiam causa recreationis, rusticationis, aliave similis ulla circumstantia, nam decreta de his statuentia respiciunt breve tempus, uti animadvertit S. Alphonsus (1) dicens auctores resolutionem S. C. C. de rurali mansione intelligere de casu, quo quis aliquoties sive per breve tempus ruri degit. 2° Idem dicendum de Ben. XIV const. *Paucis abhinc* (2), in qua scribit : « Post haec necessarium fore censemus nonnihil adjungere, ut in propatulo sit, quidnam requiratur ad quasi domicilium adipiscendum. Verum hac in re non alio pacto responderi potest, nisi quod, antequam matrimonium contrahatur, spatio saltem unius mensis ille, qui contrahit, habitaverit in loco, ubi matrimonium celebratur. Definitiones Congregationis Concilii hac de re observari poterunt apud Fagnanum in cap. *Significavit, de Parochiis*, ubi earumdem contextu perpenso, haec habet sub n. 39 : *Vir et mulier Trajectenses*, » cet. (3). 3° Proposito dubio : « Joannes et Maria Mechliniae domicilia habentes Londinum veniunt, et sine auctoritate vel licentia suorum parochorum, uno solummodo mense elapso, Londini matrimonium contrahunt. Quaeritur utrum hoc matrimonium invalidum sit propter supradictum decretum Concilii Tridentini (Sess. XXIV, cap. 1 *de ref. matr.*) necne ; » feria IV die 6 dec. 1843 « SSmus D. N. Div. Prov. Gregorius PP. XVI, in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, audita relatione suprascriptae epistolae una cum Emorum et Rmorum DD. Cardinalium gener. Inquis. suffragiis dixit : Stet Epistolae Benedicti XIV ad Archiepiscopum Goanum (4). »

220. Quaenam ex tribus hisce de quasidomicilio seu sufficienti pro matrimonio contrahendo habitatione doctrinis est habenda pro vera? Tertia (5) absque dubio est rejicienda, non solum pro-

(1) De matr. n. 1086.
(2) *Bullar. Ben. XIV*, t. 4, Append. alt., ed. Mechl. vol. 12, p. 393.
(3) Vid. sup. n. 215.
(4) Ap. *Mél. théol.* ser. 2, Leod. 1848-49, p. 449.
(5) Vid. n. 218 sq.

pter indicandam n. 227 auctoritatem S. Sedis, ob quam praefati auctores a sua opinione merito recesserunt, sed etiam quia nullo nitebatur fundamento. Etenim 1° in nulla resolutione S. C. C. unius saltem mensis completi commoratio habita fuit pro sufficienti materialiter tantum spectata; sed quotiescumque agebatur de tempore quod erat brevius semestri, circumstantiae ponderatae fuerunt. Imprimis quidem in nulla ex resolutionibus S. C. C., quas citat Fagnanus (1), mentio est causae rusticationis cet. aut intentionis contrahendi matrimonium infra semestre et statim dein recedendi. Imo notat Clericatus (2), qui idcirco laudatur a Ben. XIV (3), in causis illis non adfuisse intentionem statim discedendi, sed contrahentes e loco postea non discessisse, ut primam sedem ac domicilium repeterent. In causa quidem *Trajecten.* censuit S. C. C. esse exprimendum tempus, quo contrahentes Aquisgrani manserant; quod si fuisset saltem unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate; sed Congregationi ita notae jam fuerint circumstantiae, ut saltem per eas non tolleretur praesumptio animi manendi. In causis quoque postea resolutis SS. Congregationes Romanae, etiamsi in casus propositione allegaretur expresse mora unius vel plurium infra semestre mensium, numquam simpliciter responderunt valere matrimonium, sed aut prius in circumstantias inquisiverunt, aut remiserunt ad Ben. XIV const. *Paucis abhinc*, cujus sensus paulo infra (4) patebit. Relatio etiam secretariorum S. C. C. proponebat tempus semestri brevius tamquam insufficiens, si adfuisset causa rusticationis vel recreationis, vel intentio infra illud nubendi et hoc facto recedendi (5). Pariter S. Off. in resolutione 6 dec.

(1) Cf. sup. n. 215.
(2) Decis. 35 *de Sacr. matr.* n. 18.
(3) *Inst. eccl.* 33, n. 9.
(4) N. 223 sqq.
(5) Ex causis S. C. C. vid. *Posnanien. Visit. SS. Lim.* 22 januar. 12 febr. 1746 (*Thes. S. C. C*, t. 15), *Neapolitana Matr.* 11 jul. 29 aug. 1767

1843 (1) non respondit simpliciter pro valore matrimonii, sed remisit ad Ben. XIV const. *Paucis abhinc*, de qua paulo post (2).

221. Nec aliter sentit S. Alphonsus eo ipso loco, qui immerito pro tertia opinione citabatur (3); nam S. Alphonsus cum plerisque intelligit breve tempus illud quod non est semestre; ideoque falso affirmabatur S. Alphonsum aliosque, quos citat, auctores resolutionem S. C. C. de rurali mansione intelligere de tempore quod est brevius uno mense. Etenim, post illam ex Ben. XIV relatam, scribit S. Doctor eam tamen juxta auctores a se citatos recte intelligi de eo qui aliquoties sive per breve tempus ruri degit; et hinc Barbosam, Benedictum XIV aliosque ob declarationem S. C. C. rejicere doctrinam Pontii, qui censet posse contrahi matrimonium etiam coram parocho, in cujus parochia quis brevi mora commoratur. Jamvero quid docuerunt Pontius, quid vero contra ipsum Barbosa, Ben. XIV, alii? Pontius (4) opinatur coram parocho loci, in quem quis, alibi domicilium habens, migravit recreationis gratia vel ad ruralia opera exercenda, matrimonium ab eo posse contrahi, etiamsi non majore, sed minore tantum anni parte ibi moretur. Barbosa (5) vero aliique contra Pon-

(Ib. t. 36), *Taurinen. Matr.* 12 dec. 1767, 29 jul. 26 aug. 1769 (Ib. t. 36 et 38), *Olomucen. Null. matr.* 29 jul. 26 aug. 1769 (Ib. t. 38). *Ariminen. Juris tumulandi et funeris* 18 dec. 1824 (Ib, t. 84), *Gratianopolitana Matr.* 3 apr. 1841 (Ib. t. 101, et ap. *Acta S. Sedis*, t. 2. p. 434 sqq.), *Rothomagen. Dubia matr.* 30 jul. 1859 (*Thes. S. C. C.* t. 118), *Romana Matr.* 14 maii 1859, et dein sub titulo *Neapolitana Matr.* 27 aug. 17 sept. 1859 (Ib); *Comen. seu Mediolanen. Null. matr.* 5 dec. 1863, 27 febr. 23 apr. 28 maii 1864 (Ib. t. 122; et ap. *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 134 sqq., coll. nota editoris, p. 138 sq., qui tamen erronee loco 28 maii indicat 28 aug.).

(1) Vid. sup. n. 219.

(2) N. 223 sqq.

(3) Cf. sup. n. 219.

(4) *De matr.* l. 5 c. 13.

(5) *De off. et pot. Ep.* Alleg. 32, n. 66; cf. eumdem, *Collect. Doctorum*, n. 16 ad Trid. Sess. 24 c. 1 de ref. matr., *De off. et pot. par.*, part. 2 c. 21, n. 42.

tium docent « parochum ruralem non essse proprium parochum, quando rus vel recreationis gratia habitatur, aut ad paucos tantum dies incolitur, eo quod probatum est contrahentes non solere esse ruri majori parte anni, nec etiam pro dimidia, sed tantum per tres, aut quatuor menses (1). » Similiter citatus a S. Alphonso Ben. XIV (2) rejicit opinionem Pontii eique consentientis Leandri (3); et laudat alios auctores ipsis adversantes, inter quos ab eo allegantur Barbosa et Sporer. Ille autem loco a Benedicto citato scribit (4) : « Parochum ruralem non esse proprium parochum quando rus vel recreationis causa habitatur, aut ad paucos dies tantum incolitur, non autem majore parte anni. » Hic vero (5) : « Non valide assistet matrimonio illorum parochus, qui in sua parochia minore parte anni, uno aut duobus mensibus negotii vel recreationis causa commorantur. » Consequenter S. Alphonsus et laudati ab eo auctores supra citatas Sedis Ap. resolutiones nequaquam intelligunt de tempore quod est brevius uno mense, sed de eo quod non attingit majorem anni partem vel integrum saltem semestre. Tempus semestri brevius mere considerant tamquam circumstantiam e qua, spectatis adjunctis, colligi potest animus ad quasidomicilium necessarius, nempe juxta ipsos animus manendi per majorem anni partem.

222. Aliunde etiam manifestum est Benedicto XIV in eadem *Inst. eccl.* non sufficere unum saltem mensem materialiter tantum spectatum. Relatis enim praefatis Sedis Ap. decisionibus, illico subjungit n. 9 : « Non inficiamur eamdem Congregationem juxta consilium 254 Frederici de Senis, qui proprium parochum eum censuit, in cujus parochia quis degit, non ubi certum, ac stabile habet domicilium, non semel decrevisse valida illorum matrimo-

(1) Barbosa, *De off. et pot. Ep.* l. c.
(2) *Inst. eccl.*. 33, n. 7.
(3) *Op. mor.* t. 1, tr. 9 disp. 7, de cons. cland. q. 20.
(4) *Collect. Doctorum* l. c.
(5) *Theol. mor. Sacr.* part. 4, n. 360.

nia, qui ad evitandas cum parentibus altercationes ex parochia domicilii in alium locum demigrantes, ibi matrimonium contraxerunt; ita Fagnanus commemorat. Advertendum tamen est matrimonium hoc pacto incuntes, antequam rem perficerent, domicilium in eo loco, vel quasi domicilium assequutos fuisse. Nam diu morati ibidem ante matrimonium fuerant, neque inde postea decesserunt, ut primam sedem, ac domicilium repeterent, quemadmodum Clericatus recte perpendit (1). » Si Benedictus putasset sufficere simpliciter residentiam per mensem, non memorasset circumstantias excludentes animum statim redeundi post contractum matrimonium. In casibus autem resolutis a S. C. C. aderat quidem intentio contrahendi matrimonium, non vero intentio statim hoc contracto recedendi.

225. Nec aliter sentiendum de Ben. XIV const. *Paucis abhinc*, qua, Pontifex factus, respondit literis archiepiscopi Goani, quae in Bullario Benedicti immediate ante illam constitutionem leguntur. Archiepiscopus Goanus questus erat, subditos suae dioecesis, in qua obligabat lex Tridentina de clandestinitate, interdum matrimonium contrahere coram missionario regionis vicinae, in qua lex illa non obligabat, et illico post ad dioecesim Goanam redire. Postulaverat autem ut ejusmodi matrimonia declararentur irrita. Respondet Pontifex se velle per se ipsum archiepiscopo responsum facere propter suam in hujusmodi controversiis experientiam, in cujus testimonium allegat suam *Inst. eccl.* 33, et munus Secretarii S. C. C. quod pluribus annis sustinuerat. In sua igitur constitutione traditurus erat doctrinam, quam tradiderat in cit. *Inst. eccl.*, et quam, utpote diu S. C. C. a secretis, noverat sensum esse hujus resolutionum.

224. Fuse deinde exponit, eos qui locum adeunt cum intentione matrimonium contrahendi, hoc facere posse, dummodo in eo prius acquisiverint domicilium vel quasidomicilium, et a se alle-

(1) Cf. sup. n. 220.

gata ita concludit : « Adeo ut ex sententia communiter hodie recepta, atque observata, nullum atque irritum habendum sit matrimonium, in fraudem proprii parochi coram parocho alterius loci contractum, dummodo tamen ille, qui contrahit, antequam matrimonio jungatur, legitimum domicilium, vel quasidomicilium revera in hoc altero loco adeptus non fuisset, atque inibi fortassis post matrimonium contractum ad aliquod tempus commoratus non esset. » Postremum hoc nondum tractat; de eo dicet postea. Sufficiebat autem ut archiep. Goanus sequeretur haec a Benedicto indicata principia.

Quum tamen difficile nonnumquam sit judicare an quis vere acquisiverit quasidomicilium, de hoc pauca adjicit, ea nempe quae de uno saltem mense completo sup. n. 219 citata fuerunt, et remittit ad resolutiones S. C. C. a Fagnano citatas. Addit vero Pontifex : « Dubitari autem posset, num ad quasidomicilium acquirendum matrimonii causa, uti diximus, non solum requiratur praecedens habitatio, verum etiam subsequens ad aliquod temporis spatium; verum cum observaverimus, subsequentem habitationem ab iis auctoribus, qui hanc tractarunt materiam, tamquam magni momenti adminiculum reputari, ut novum domicilium quaesitum dicatur, nihil vero de illa praescriptum fuisse a Concilii Congregatione in adducta paulo ante definitione penes Fagnanum, nolumus hac de re quidquam novi decernere. »

225. Patet igitur Pontificem unum mensem completum materialiter spectatum non habere pro sufficienti; nam expresse remittit ad suam *Inst. eccl.* 33; nihil novi se statuere dicit, sed id tradere quod in illa tradiderat. Si mensis ei sufficeret quaecumque fuerit intentio, quaecumque circumstantiae, planum erat respondere non requiri subsequentem habitationem, nam S. C. C. mensem habuisse ut sufficientem, neque aliud addidisse. Nunc vero utitur prudentialibus verbis : « Atque inibi fortassis, » cet., et : « Verum cum observaverimus, » cet. Cur autem subsequens habitatio magni momenti est, ut constet habitationem (seu quasido-

micilium) vere fuisse acquisitam, nisi praecise quia ita constabit partes non venisse animo contrahendi matrimonium eoque contracto recedendi? Sapienter profecto Pontifex declarare noluit in omni casu requiri habitationem subsequentem; nam fieri etiam posset partes non venisse supra indicato animo, sed animo manendi in loco, et tamen post contractum mense elapso matrimonium recessisse, ex. gr. ob mortem patris aliamve subito exortam circumstantiam. Quo quidem casu quasidomicicilium vere fuisset acquisitum, quum neque ex memorata intentione commoratio locum habuisset, neque causa recreationis vel rusticationis per minorem ejusmodi anni partem. Concludendum itaque est Benedicto non sufficere unum saltem mensem completum materialiter spectatum, sed ejusmodi commorationem ab eo considerari ut unum ex indiciis, e quibus, simul spectatis adjunctis, animus habitandi ad quasidomicilium necessarius colligi potest. Fagnano etiam et card. de Luca non sufficere unum mensem materialiter tantum spectatum, supra constitit (1).

226. Expositio a nobis facta iterum evidentem reddit sensum resolutionis S. C. Off. 6 dec. 1843 (2), in qua, quum tota res penderet ex circumstantiis, adhibitus fuit idem modus loquendi prudentialis, quem in sua const. *Paucis abhinc* adhibuerat Ben. XIV. Non obstante enim expressa mentione de mora unius mensis, non fuit responsum valere matrimonium, quod obvium fuisset si ea sola materialiter spectata sufficeret, sed : « Stet Epistolae Ben. XIV ad Archiep. Goanum » (3).

(1) N. 216 sq.

(2) Vid. sup. n. 219 sq.

(3) Denique supra factam expositionem vide firmatam per deducta et decisa in causis S. C. C. *Matrimonii* 27 januar. 1872 (*Acta S. Sedis* t. 7, p. 49 sqq.), *Parisien. Matrimonii* 25 januar. 1873 (Ib. p. 545 sqq. et editor ib., *Anal. jur. Pont.* ser. 14 col. 613 sqq.), *Mechlinien. Matrimonii* 4 maii, 20 jul. 14 sept. 1878 (*Thes. S. C. C.* t. 137, *Acta S. Sedis* t. 11, p. 542 sqq. et editor ib. p. 565 sqq., *Anal. jur. Pont.* ser. 17, col. 837 sqq. 952 sqq.). Cf. etiam de Angelis op. cit. t. 3, part. I, p. 93 sq. 95 sqq.

227. Rejecta jam tertia opinione indicata n. 218 sq., quid dicendum de prima (n. 210-214), quae requirit commorationem per majorem vel dimidiam anni partem, vel cum hujus intentione? Ea firmata est auctoritate S. Sedis per Instructionem (1) missam ad episcopos Angliae et Americae Septemtrionalis ex decreto S. Off. 24 mart. 1867. En verba epistolae card. Patrizi 7 junii 1867, per S. C. de Prop. Fide ad episcopos Angliae et Americae septemtrionalis transmissae : « Ad constituendum vero quasi-domicilium, quod in hisce casibus necessario adipiscendum est, duo haec simul requiruntur, habitatio nempe in eo loco ubi matrimonium contrahitur, atque animus ibidem permanendi per majorem anni partem. Quapropter si legitime constet, vel ambos vel alterutrum ex sponsis animum habere permanendi per majorem anni partem, ex eo primum die quo duo haec simul concurrunt, nimirum et hujusmodi animus et actualis habitatio, judicandum est quasidomicilium acquisitum fuisse et matrimonium quod proinde contrahatur esse validum. Verumtamen si de praedicto animo non constet, ad indicia recurrendum est quae praesto sint, quaeque moralem certitudinem pariant. In re autem occulta et interna difficile est hujusmodi indicia habere quae judicem securum faciant : inde est quod adhiberi maxime debet regula a Summo Pontifice Ben. XIV (literis 19 mart. 1758 ad Archiep. Goanum datis, quae incipiunt *Paucis abhinc hebdomadis)* confirmata, ut inspiciatur utrum ante matrimonium spatio saltem unius mensis vel ambo vel alteruter in matrimonii loco habitaverint. Quod si factum fuisse deprehendatur, censendum est ex prae-

(1) In hujus operis editione 2, a. 1874, n. 227, eam allegavi absque indicatione regionum, anni, diei, et ipsorum verborum; quod facere debui quia ejus notitiam non habebam nisi ex manifestatione, permittente Pontifice, a S. Officio facta Commissioni Concilii Vaticani pro rebus disciplinaribus. Nunc autem secretum S. Officii amplius non obstat integrae citationi, quum in publicam notitiam illud documentum devenerit, tum ap. de Angelis op cit. t. 3, part. I p. 94, tum praesertim per textum illius Instructionis nuper missum episcopis Hiberniae; cf. mox infra.

sumptione juris intentionem permanendi per majorem anni partem extitisse, et quasidomicilium fuisse acquisitum, proindeque matrimonium esse validum. At si praesumptio haec juris, quae ex menstrua habitatione oritur, contrariis elidatur probationibus, quibus certo ac liquido constat praedictum animum nullo pacto extitisse, tunc profecto contrarium proferri debere judicium manifestum est, quia praesumptio cedere debet veritati. Praeterea manifestum quoque est, actualem habitationem ineptam esse ad quasidomicilium pariendum, si quis in ea regione more vagi ac itinerantis commoretur, non autem vere proprieque habitantis, quemadmodum scil. ceteri solent qui in eodem loco verum proprieque dictum domicilium habent. » Supervenerunt : « Responsa S. Congr. S. Rom. et Univ. Inq. ad postulata Synodi Manutinae, Fer. IV, die 2 maii 1877. Ad postulatum primum de proprio matrimonium contrahentium parocho : Emi ac Rmi DD. ad primum postulatum decreverunt : Respondeatur : Parochum proprium habendum esse parochum domicilii vel quasidomicilii contrahentium. Ad dignoscendum vero quasidomicilium, attendendam esse regulam traditam in Instructione Feriae IV, diei 7 junii 1867 Episcopis Hiberniae transmittendam. Instructio pro Episcopis Angliae et Foederatorum Statuum Americae, Feriae IV, diei 7 junii 1867. Ad constituendum quasidomicilium quod in hisce casibus necessario adipiscendum est, duo simul » cet, ut supra in litt. card. Patrizi, uno alterove verbo mutato (1).

228. Quae quum ita sint, locus non est secundae opinioni (n. 215-217), quae non requirit commorationem majoris vel dimidiae partis anni, vel cum ejusmodi intentione, sed habitationem per tempus notabile, saltem unius mensis completi, quae tamen non fuerit solo animo matrimonium ineundi et dein recedendi, nec causa recreationis, rusticationis, aliave hujusmodi transito-

(1) Eamdem doctrinam vid ap. S. C. C. in causis citt. in ultima nota numeri 226.

ria. At Ben. XIV, Fagnanus, alii, qui primo intuitu videri possunt huic opinioni favere, quia nullibi memorant intentionem manendi per majorem vel dimidiam anni partem, revera merito reducuntur ad primam, ideoque ad paulo ante expositum sensum et praxim S. Sedis. Imprimis quidem, quum in cit. Instr. a 1867 et posterioribus causis S. C. C., prima illa doctrina nequaquam proponatur ut nova, sed ut doctrina SS. Canonum, eo ipso concludendum est eamdem quoque fuisse mentem Ben. XIV, licet neque in *Inst. eccl.* 33, neque in const. *Paucis abhinc,* expresse memoret intentionem manendi per majorem vel dimidiam anni partem. Eam doctrinam ipse, dum erat a secretis S. C. C., expressit in sua relatione in *Jadren.* 24 aug. 1720 (1), in qua dicit : « nec quasidomicilium acquiritur, nisi concurrat animus habitandi per majorem anni partem, uti firmant » cet. Eadem Benedicti mens deducitur ex iis quae scribit et allegat in sua *Inst. eccl.* 33 contra Pontium et Leandrum (cf. sup. n. 221). Et quod spectat ad Fagnanum, quum Benedictus ubique dicat se ei inhaerere, huic quoque eadem doctrina fuisse videtur, licet nullibi meminerit intentionis manendi per majorem vel dimidiam anni partem; ac revera Fagnanus tantum rejicit necessitatem de facto seu realiter tamdiu habitandi (cf. sup. n. 216).

Ceterum, valde optandum foret ut magis specifica determinatione obstaculum poni posset conjunctionibus, quae in dispendium animarum et familiarum a juvenibus, e loco, ubi viget impedimentum clandestinitatis, cum muliere discedentibus, in loco, ubi illud non viget, post brevem ibi moram contrahuntur, et de quarum validitate vel invaliditate quaestio deinde oritur.

229. Interim nonnulla notamus pro praxi circa domicilium et quasidomicilium, ac praesertim circa doctrinam supra traditam de commoratione per majorem vel dimidiam anni partem, vel cum ejus intentione, et cum his connexam quaestionem de uno saltem mense completo.

(1) *Thes. S. C. C.* t. I.

1° Quando tracta mora non fuit toto saltem semestri (quae sola sufficeret etiam absque intentione; cf. n. 213), intentio tamdiu manendi praesumitur maxime, imo probatur, ex commoratione propter negotia vel officia, quae secum ferre solent moram majoris vel dimidiae partis anni, ex. gr. si mora sit propter studia, munus professoris, aliudve hujusmodi (n. 213). Eadem praesumptio haberi potest ex facto sive domus conductae, sive operae locatae, sive negotii suscepti, sive alio hujusmodi facto, quod semestre facile exigat. Item ex aliis gravibus indiciis, inter quae est etiam mensis jam completus, dummodo menstrua haec commoratio aliquo adminiculo seu probabili ratione fulciatur, quae animum praesumere permittat. Utique sufficit etiam ut persona, cui fides haberi possit, animum suum declaret coram testibus, et praesertim sub juramento. Quoties igitur juxta modo dicta adest sive probatio sive praesumptio animi manendi saltem per integrum semestre, parochiani qualitas censetur adesse et quasi-domicilium acquisitum, et parochus potest assistere matrimonio, atque Ordinarius seu judex debet, casu occurrente, pronuntiare pro matrimonii validitate. Si vero constet de animo non manendi per integrum saltem semestre, vel ejus praesumptio legitime haberi nequeat, deficit quasidomicilium, et matrimonium est invalidum. Imo si postea constet (constare tamen debet) animum tanto tempore manendi non adfuisse, seu praesumptionem fuisse falsam, judex debebit pronuntiare matrimonii nullitatem. Observa etiam quod scribit S. Alph. de Matr. n. 1086 : « Notat vero Croix dicto n. 717 cum de Luca non acquiri domicilium per habitationem solius diei, si noctu quis in priori cubaret domo. » Idem observa in quasidomicilio.

2° An unus saltem mensis debet esse completus? Debet profecto si ex ea praecise mora praesumptio est haurienda. Si vero desumitur ex circumstantiis supra indicatis, quae moram per majorem vel dimidiam anni partem secum ferre solent, vel ex supra dicta animi expressa declaratione, necessarius non est lapsus

unius mensis, sed jam antea quasidomicilium censetur acquisitum. Nihilominus praestat ut unius saltem mensis commoratio locum habuerit, priusquam quis ad matrimonium admittatur.

3° Animus manendi per majorem vel dimidiam anni partem ita intelligendus est ut non requiratur denuo singulis annis subsequentibus, sed commoratio anno praecedenti jam per ejusmodi tempus protracta et adhuc continuata, sufficiat etiam pro anno subsequenti, licet animus desit hoc quoque anno manendi per majorem vel dimidiam anni partem. Attamen sedulo curandum est ut parochianus vel parochiana non deserat suum quasidomicilium ante diem celebrationis matrimonii, sed maneat in parochia, sive in eodem ex. gr. famulatu sive in alia domo intra parochiam, usque ad contractum in ea matrimonium; secus enim quasidomicilium dispareret.

4° Simul cum domicilio haberi potest quasidomicilium. Possunt duo etiam haberi domicilia, aequaliter vel fere aequaliter habitando per modum veri domicilii sub duabus parochiis, ex. gr. hyeme in civitate, aestate ruri; non autem requiritur mathematica aequalitas, sed moralis sufficit.

5° Qui habitat in confinio duarum parochiarum, pertinet ad eam, in qua domus ingressum habet; quem si habeat in utraque, ad eam spectat, in qua est ipsius domus porta principalis, seu, ut addi solet, magis frequentata (1). Si porta vel porta principalis mutetur, distinguendum est inter casum quo domus ipsa reconstruatur, et eum quo solius portae sive unicae sive principalis fiat mutatio; in posteriori casu manet domus sub priori parochia (2).

(1) Cf. Pyrrh. Corrad. *Prax. disp. Ap.* l. 7, c. 7, n. 34, Barbosa, *De off. et pot. par.* part. 2, c. 21, n. 43, de Justis, *De disp. matr.* l. 2. c. 19, n. 64 sqq., Girald. ad Barb. l. c. et in not. ad *Instt. cann.* Rem. Maschat. in Summariis capitulorum in Decretalibus contentorum, l. 3, tit. 28 *De Sepult.*, c. 2 eod. in VI, S. C. Ep. et Reg. in *Veliterna Associationis et emolumentorum funeralium* 15 maii, 21 aug. 1868, 6 maii 1870 (*Acta S. Sedis*, t. 5, p. 598 sqq. coll. t. 7 p. 609).

(2) Vid. S. C. C. in una *Jurisdictionis parochialis* 17 aug. 1872 (*Acta*

6° Si statuta dioecesana praescribant commorationem longiorem ea quae jure communi sufficit, vel tempus commorationis quod elabi debeat antequam quis ad matrimonium admittatur, servanda quidem sunt, sed validitati matrimonii sufficiunt ea quae jus commune postulat.

7° Quoties fundatum dubium est de domicilio vel quasidomicilio, aut obtineatur indubitati Ordinarii vel parochi licentia, aut pro norma agendi recurratur ad Ordinarium. Ad dubia melius praecavenda solent hic illic parochi in testimonio de proclamationibus antenuptialibus addere delegationem quatenus opus sit.

230. Cum regulis supra traditis cohaerent ea quae de quibusdam in specie personis notari solent. 1° Officiales publici, facultatis alicujus professores vel discipuli, aliique degentes in loco praecise propter hanc suam qualitatem vel officium seu negotium non perpetuum, quod non praevidetur ante elapsum integrum semestre cessaturum, quasidomicilio fruuntur in parochia sub qua habitant; simul tamen retinent verum domicilium quod alibi habent et cui non renuntiarunt. Ut autem illud quasidomicilium habeant, necesse est ut « per aliquod temporis spatium in eodem loco versentur » (1), nec sufficit si « brevissimo temporis spatio in eodem loco versati fuerint » (2). Tempus autem hoc determinandum est juxta regulas supra traditas, adeo ut requiratur inte-

S. Sedis t. 7, p. 393 sqq., *Nouv. rev. th.* t. 6, p. 48 sqq. 460 sq.). *Neapolitana Jurisd. parochialis* 26 jul. 1873. 27 febr. 1874 (*Anal. jur. Pont.* ser. 14, col. 864 sqq., *Acta S. Sedis* t. 7, p. 607 sqq., *Nouv. rev. th.* t. 6, p. 456 sqq.). *Bononien. Jurisd. parochialis* 12 dec. 1874 (*Anal. jur. Pont.* ser. 14, col. 224 sqq., *Acta S. Sedis* t. 8, p. 149 sqq., *Nouv. rev. th.* t. 7, p. 117 sqq.), *Cassanen. Jurisd. parochialis* 20 junii 1874 (*Anal. jur. Pont.* ser. 14, col. 331 sqq.).

(1) Ben. XIV, *Inst. eccl.* 33, n. 11.

(2) Ben. XIV, *Inst. eccl.* 88, n. 1; paulo post scribit n. 9 : « nisi forte brevissimo temporis spatio, atque, ut ita dicam, momentaneo in urbe consistant; » n. 16 loquitur de « diuturnitate aliqua temporis. »

grum semestre, vel brevior commoratio cum intentione per integrum saltem semestre manendi (1).

231. 2° Juvenes qui in seminario vel collegio, puellae quae in monasterio vel conservatorio educationis causa degunt, famuli et ancillae in domo heri commorantes, et non conducti ad tempus brevius semestri, nec intendentes servitio valedicere ante elapsum semestre, quasidomicilium habent in parochia, in qua est seminarium, collegium, monasterium, conservatorium, domus heri, nec amittunt idcirco domicilium quod in alia parochia habent et cui non renuntiarunt. Rursus autem de tempore necessario recole dicta numero praecedenti (2). Insuper nota utique requiri ut ipse herus, apud quem famulus vel ancilla commoratur, in ea parochia habeat domicilium vel quasidomicilium (3).

232. Verumtamen quoad famulos et ancillas, juvenes existentes in seminariis vel collegiis, et puellas educandas, si de emolumentis funerariis et de matrimonio agatur, statuta dioecesis Romanae (4) distinguunt inter eos qui simul cum quasidomicilio, de quo supra, habent verum domicilium in alia parochia ejusdem loci, et eos qui non habent verum domicilium in eodem loco (5). Et speciatim de matrimonio ineundo statuunt, eos qui in alia

(1) Cf. Ferrari, *Summa institutionum canonicarum*, t. 2, Par. 1869, n. 409. Giovine, t. 1, p. 581 cum § 42 instructionis austriacae (cf. sup. n. 151)requirit officium, « quod pro sua natura longiorem postulat moram. »

(2) Cf. etiam Ben. XIV et Ferrari ll. cc. In § 43 instructionis austriacae (cf. sup. n. 151) dicitur : « Qui hominis privati, societatis aut instituti cujusdam servitiis se mancipat, quasi domicilium acquirit in loco, ubi ad servitia haecce praestanda habitat. Haud ea tamen sint oportet, quae continuam habitationis mutationem inferant. » Et Giovine l. c. : « Dummodo heri habitatio non subjaceat tot continuis mutationibus, ut in nullo eorum domicilium adipisci valeat ; » citat autem Ben. XIV *Inst. eccl.* 33 et praefatam instructionem austriacam.

(3) Cf. notam praecedentem.

(4) Ea habes ap. Ben. XIV, *Inst. eccl.* 33, n. 16 sq.

(5) Haec non accurate distinguit Bouix, *De parocho*, part, 4 c. 7, § 1 sub 11°.

ejusdem loci parochia verum domicilium habent, debere matrimonium contrahere coram parocho hujus veri domicilii. Ii vero qui aut nullum habent verum domicilium aut illud habent in alio loco, matrimonium contrahere possunt coram parocho praefati sui quasidomicilii. Ben. XIV, dum erat archiepiscopus Bononiensis, idem decrevit pro sua dioecesi (1), et solet S. C. C. insistere ut episcopi idem in sua dioecesi decernant ac servent (2). Propter rectum ordinem ita de parochia veri in eodem loco domicilii constituerunt statuta Romana, et pro sua dioecesi Benedictus. Consulendum est ut ubique idem servetur; lex tamen generalis non est; imo in ipsis dioecesibus Romana et Bononiensi non pro valida, sed pro licita tantum celebratione ita statutum esse non est dubitandum. Utramque hanc assertionem tum citata Ben. XIV loca aliaque allata documenta tum generalia principia probant (3).

Ceterum quoad puellas educationis causa in monasterio vel conservatorio degentes difficultas omnis de parocho, ad quem pro matrimonio ineundo pertineant, evanescit, si illae quae matrimonium inire volunt vel jam promiserunt, remittantur ad domum parentum, sive haec sit in eodem sive in alio loco; quod faciendum esse ostendunt recta ratio et decretum S. C. Ep. et Reg. 8 oct. 1723 (4). Idem profecto servandum est pro juvenibus in seminario, collegio aliave domo educationis causa degentibus.

233. 3° Expositi qui aluntur et continuo morantur in brepho-

(1) Vid. *Institt. eccles.* 33 et 88.

(2) Vid. *Neapolitana Matr.* 11 jul. 29 aug. 1767 (*Thes.* t. 36), *Eugubina Visit. SS. Lim.* 26 apr. 24 maii 1788 (Ib. t. 57), cum qua cf. *Pisauren. Quartae funeralis* 29 maii, 26 junii 1824 (Ib. t. 84), et *Florentina Brephotrophii quoad matr.* 17 sept. 1842 (Ib. t. 102).

(3) Cf. Soglia, *Inst. jur. priv. eccl.* ed. Buscod. 1857, § 191, Carrière, *De matr.* n. 1281 sqq., Knopp, p. 283, Kutschker, t. 4, p. 423 sqq., Hoffmann ap. von Moy, *Archiv.*, t. 2, p. 553 sq., van de Burgt, n. 240 sq., tract. Mechlinien. de sponsal. et matr. ed. 1872, n. 89, q. 3, sub 3°.

(4) Ap. Ben. XIV, *Inst. eccl.* 33, n. 15.

trophio aliove hospitio, matrimonium contrahere debent coram parocho, in cujus parochia hospitium est. Idem dicito de pueris vel puellis qui in aliis hospitiis praefato modo aluntur et conservantur. At si praedicti omnes in hospitio non conserventur, sed ab hospitii administratoribus educationis vel famulatus causa aliis commissi fuerint cum quibus morantur, coram hujus quasi-domicilii parocho contrahere matrimonium debent; in hospitio enim amplius non habent domicilium (1). Fieri etiam potest pueros ejusmodi vel puellas ad tempus tantum hospitio committi, et conservare domicilium proprie dictum quod habebant; quo casu, si hoc domicilium est in alia parochia ejusdem loci, videtur applicanda observatio facta n. 232.

234. 4° Jure communi milites possunt matrimonio jungi tam coram parocho domicilii, quam coram eo, in cujus parochia existunt dum sunt in praesidiis vel stationibus vel castris, non vero coram parocho loci ubi sunt in expeditione (2).

235. 5° Quando matrimonium ineundum est ab incarcerato, non potest contrahi coram parocho, in cujus parochia carcer est, si custodiae tantum causa in carcere ille existat; potest vero si in eo aut perpetuo aut ad notabile tempus poenam luat (3). Juxta superius tradita notabile illud tempus saltem debet esse integri semestris. Ii autem qui non sunt ad carcerem perpetuum damnati, simul retinent domicilium, quod antea habebant et cui non valedixerunt.

236. 6° Infirmi in nosocomio existentes regulariter in parochia, in qua hoc situm est, non acquirunt quasidomicilium, sed si in gravi infirmitate contrahendum sit matrimonium, aut est recurrendum ad parochum domicilii vel quasidomicilii quod alibi

(1) Vid. S. C. C. in causa 11 apr. 1651 (ap. Ben. XIV, *Inst. eccl.* 33, n. 14), in *Florentina* cit. sup. n. 232, et in *Januen. Brephotrophii quoad matrimonia*, 5 jul. 22 nov. 1856 (*Thes.* t. 115).

(2) Cf. Ben. XIV, *Inst. eccl.* 88, n. 9.

(3) Cf. Ben. XIV, *Inst. eccl.* 33, n. 12.

infirmus habet, ut saltem ejus delegatio obtineatur, aut haec ab ejus Ordinario est petenda, et exquirendum judicium Ordinarii loci. In singulis hujusmodi infirmorum casibus se consuli volebat Ben. XIV, dum erat archiep. Bononiensis (1).

257. Ex iis quae praecedunt colligitur, et multis Sedis Ap. decretis constat (2), matrimonium iniri non posse coram rectore vel capellano seminarii, collegii, monasterii, conservatorii, hospitii, nosocomii, neque coram capellano militum, nisi hujusmodi rectori vel capellano hanc facultatem dederit Sedes Ap. vel Ordinarius vel proprius parochus. Quo casu sedulo debet acceptae facultatis tenorem servare; ex. gr. si capellanus militum eam tantum accepit pro castris, vel pro quibusdam tantum militibus. Si vero agatur de facultate danda ab Ordinario, notandum est a sola Sede Ap. talem posse concedi exemptionem a jure parochiali qua parochi potestas prorsus adimatur, et Ordinarium loci, quando aliis quoque interdum facultatem concedit quaedam parochialia administrandi, caute procedere debere, ne parochi ordinariam potestatem nimis laedere videatur (3).

258. Haec hactenus de domicilio ac quasidomicilio, et de parocho per ea proprio quoad matrimonii celebrationem; restat dicendum de vagis seu nullibi habentibus domicilium aut quasidomicilium, qui hoc ipso distinguuntur a peregrinis. Vagi autem non possunt matrimonium contrahere coram quovis loci parocho,

(1) Cf. *Inst. eccl.* 33, n. 13, et *Inst. eccl.* 88, n. 3.

(2) Speciatim de capellanis vel rectoribus hospitiorum vid. S. C. C. in causis citt. sup. n. 232 sq.; et de capellanis militum vid. S. C. C. in *Jadren.* 24 aug. 1720 (*Thes.* t. 1), *Barchinonen. Matr.* 5 junii, 20 nov. 4 dec. 1723 (Ib. t. 2), *Neapolitana Matr.* 29 aug. 19 sept. 1733 (Ib. t. 6), *Mediolanen. Matr.* 25 sept. 20 nov. 1734 (Ib.). Cf. etiam Girald. *Expos. jur. Pont.* part. 2, sect. 115, n. 13, Kutschker, t. 4, § 280 sqq., van de Burgt, n. 239, Bangen, tit. 2 p. 34, *Mél. théol.* ser. 3 p. 559 sq., *Anal. jur. Pont.* ser. 9 col. 204 sqq. 382 sqq. In nonnullis regionibus militibus providit Sedes Ap. per facultates Capellano majori exercitus concessas.

(3) Vid. S. C. Ep. et Reg. 14 dec. 1604, et 12 januar. 1618, ap. card. Petra n. 34 ad const. 2 Greg. XI (*Comment. ad const. Apostolicas*, t. 4).

sed coram eo solo, in cujus parochia actu morantur. Quodsi alterutra tantum pars vaga sit, potest etiam matrimonium contrahi coram alterius partis parocho domicilii vel quasidomicilii. Attamen propter polygamiae periculum facilius a vagis imminens, Concilium Trid. sess. 24 c. 7 de reform. matr. parochis praecipit : « ne illorum matrimoniis intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et, re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. » Hoc autem praeceptum obligat, sive utraque sive una tantum pars vaga sit, sed liceitatem tantum concernit. Merito autem plures notant illud non respicere eos, qui momentanee tantum vagi sunt, dum relicto domicilio ad aliud se transferunt, interim non habentes domicilium vel quasidomicilium, quamquam iidem quoad reliqua vagis annumerantur.

An, dubio existente circa domicilium vel quasidomicilium, licet remedium quaerere in eo, ut parochus obtineat ab alterutra saltem parte renuntiationem domicilio et quasidomicilio, et sic pars ejusmodi, utpote nullibi amplius alterutrum habens, sit vaga, et possit matrimonium coram illo parocho contrahere? Quamquam licite potest qui sui juris est se praefato modo vagum reddere, nihilominus supradicta procedendi ratio imprimis quidem improbanda foret, quia adhiberetur pro personis, quae, utpote nullibi certum domicilium vel quasidomicilium habentes, minorem de se fiduciam faciunt. In suspicionem facile vocare licet declarationis sinceritatem, praesertim quia fit pro matrimonio incundo. Praeterea ob cit. decretum Trid. licentia Ordinarii indigeret parochus ad assistendum matrimonio vagorum; cur itaque non peteret parochus potius delegationem insuper Ordinarii propter dubium de domicilio vel quasidomicilio? Ceterum, si matrimonium fuisset contractum post renuntiationem certo factam ab alterutra parte, pro illius validitate foret pronuntiandum.

239. Tandem observandum est sufficere (1) ut matrimonium

(1) Cf. Fagn. n. 33 ad c. *Quod nobis*, 2, De cland desp,, Ben. XIV, *Inst. eccl.* 33, n. 5, Carr. *De matr.* n. 1275.

contrahere volentium alterutra pars domicilium aut quasidomicilium in parochia habeat, vel vagis accenseatur. Decentiae tamen causa coram parocho sponsae iniri matrimonium oportet, idque in multis dioecesibus expresse praescriptum est.

CAPUT X.

DE MATRIMONIO PUBLICE NUNTIANDO, STATU LIBERO, ALIISQUE ANTE MATRIMONII CELEBRATIONEM OBSERVANDIS.

240. Ex Innoc. III in Conc. Later. IV decreto (1) annuntianda populo est futura matrimonii celebratio; et ex hac lege universali una saltem denuntiatio fieri debet, in iis etiam regionibus ac parochiis, in quibus decretum Trid. (2) publicatum non fuit. In iis vero, in quibus hoc fuit publicatum, denuntiationes (proclamationes, banna) fieri debent eo numero eoque modo, quos lex Tridentina praescripsit. Sunt loca in quibus decreti Tridentini publicatio facta fuit pro parte praescribente denuntiationes, non vero pro parte statuente impedimentum dirimens clandestinitatis. Utriusque tamen Concilii decreta pro licita tantum, non pro valida matrimonii celebratione denuntiationem praescribunt.

In explicando Tridentino decreto (3) alii severe insistunt ejus literae, alii vero faciliores se praebent et praecipue considerant an finis Concilii obtineatur. Illi non admittunt media aequivalentia, sed verba stricte servari volunt; hi aequivalentia permittunt. Illis universe adhaerendum, quia verba legis sunt perspicua.

241. Ex Tridentina lege denuntiari matrimonium debet tribus continuis diebus *festivis,* nempe dominicis aliisve diebus festivis

(1) Vid. sup. n. 189.

(2) Vid. sup. n. 192, 194.

(3) De eo scribunt canonistae ad tit. *De cland. despons.* vel ad tit. *Qui matr. accus. possint.*

de praecepto ; quibus diebus jure communi denuntiari potest etiam in Adventu vel Quadragesima. Quaestio autem possitne denuntiatio fieri die festo suppresso, illustratur tribus causis tractatis in S. C. C., nempe in *Brunen.* 17 junii 1780 (1), *Tudertina Denunciationum matrimonii* 19 apr. 1823 (2), et *Pinarolien.* 7 apr. 1862 (3).

242. Clemens XIV plura festa pro Austria suppresserat, sublata tam Missam audiendi quam a servilibus vacandi obligatione, simul tamen praecipiens « Sanctorum, ac solemnitatum officia, et Missas, tam in iisdem abrogatis festis, quam in eorum Vigiliis retineri, et sicut prius, in quacumque Ecclesia celebrari.» Quo posito, ep. Brunensis in Moravia putavit iis diebus posse fieri matrimoniorum denuntiationes, quia eadem erat, quae ante, populi frequentia in ecclesiis; rem tamen S. C. C. proposuit. Haec autem ejus preces commisit cardinali de Zelada, ut is votum suum emitteret; qui tamen a voto abstinuit, censuitque in re tanti momenti nonnisi ex sententia S. C. C. aut oraculo summi Pontificis esse episcopo respondendum.

In causae relatione secretarius S. C. C. pro licita iis diebus denuntiatione allegat tum memoratum ab episcopo populi concursum, tum dies illos manere festos dies coram Ecclesia, quum Clem. XIV praeceperit officia et solemnia ut antea celebrari. Insuper tamen perpendendum dicit, quid facto opus sit casu quo iis diebus deficiat vel minuatur populi frequentia, et refert auctorum tam severiorem quam benigniorem modum explicandi legem Tridentinam. Posteriorem dicit videri communiorem, ac praeterea notat a S. C. C. in *Avenionen.* 25 oct. 1586 (l. 4 Decret. p. 189) ad dubium : « An Ordinarius possit ex causa dispensare,

(1) *Thes. S. C. C.* t. 49 ; minus accurate refertur ap. Zambonum. *Collectio Declarationum S. C. Cardinalium S. Conc. Trid. interpretum,* v° *Matrimonium* § 6, n. 9.

(2) *Thes. S. C. C.* t. 83.

(3) Ap. Scavin. *Theol. mor.* ed. Par. 1863, t. 4, n. 695.

ut, dum cantatur Vesper, possint fieri denuntiationes, diebus tamen festivis, » fuisse responsum : « Ita dispensare posse ex causa. » Hisce notatis, secretarius dubium proponit : « An, ubi, quando, et quibus diebus sint publicandae denuntiationes matrimoniorum in casu, de quo agitur. » S. C. die 17 junii 1780 respondit : « Scribatur Episcopo, juxta mentem. »

Textus autem epistolae episcopo Brunensi scriptae 5 jul. 1780 reperitur in mox citanda causa *Tudertina*. Nequaquam nempe decrevit S. C. C. denuntiationes matrimonii absolute fieri posse (1), sed mentem suam declaravit hisce verbis : « Cavendum abs te maxime, atque enixe providendum, ut sarta tecta saluberrima S. Concilii sanctio de nuntiandis populo matrimoniis in tribus diebus festivis, omnino servetur. Quod enim a tanti Concilii Patribus praescriptis atque conceptis verbis statutum est, id plane est religioseque retinendum. Sed quoniam eo loci relinquunt Patres Episcoporum judicio ac prudentiae, ut si quandoque expedire judicaverint, una aut plures hujusmodi matrimoniorum publicae denuntiationes remittantur; hinc rebus omnibus, quae ab A. T. expositae sunt, in S. C. C. mature perpensis, annuente etiam SS^mo D. N. Pio PP. VI, decretum est, tuo pariter judicio ac prudentiae permitti posse, ut si quandoque gravis aliqua causa intercesserit, matrimonium quodpiam citius iniri debere, priusquam expectari possint tres dies festivi, ut populo denuntietur, indulgeas in singulis casibus parochis tuae Dioecesis, ut peragant denuntiationes in iis etiam diebus, in quibus juxta supra relatum Clem. XIV indultum sublata festivitas est, remissumque praeceptum audiendi Missam, retenta tamen in ecclesiis Officii, ac Missae celebratione. Utere igitur hac tibi concessa facultate, arctis tamen prudentiae discretique arbitrii legibus; atque ea praesertim sub conditione, quae ejusdem facultatis tibi elargiendae potissima causa est, quod nempe in illis diebus, qui

(1) Cf. inf. n. 243.

festi non sunt, frequens adhuc perseveret populi ad ecclesiam concursus, ut quantum fieri potest saluberrimae legis a Conc. Trid. praescriptae finis ac scopus habeatur, qui non alius certe fuit, nisi ut in populi frequentia iucunda matrimonia denuntiarentur, quo facilius si quae forent impedimenta detegerentur. »

243. Eodem modo facta a Pio VI anno 1798 aliquorum festorum pro Statu Pontificio suppressione, simile dubium a. 1823 fuit S. C. C. ab ep. Tudertino propositum. Jubente autem S. C., rogatus fuit episcopus ut, audito praesertim promotore fiscali, et transmissis particulis synodorum, referret de consuetudine quoad praeteritum tempus, suumque votum aperiret.

Ejus informatio fuit, consuetudinem unam vel ad summum duas ex tribus denuntiationibus faciendi festis diebus suppressis invaluisse ab a. 1798, eamque esse rationi consonam, tum quia ex voluntate Pii VI faciendae erant iis diebus, ut antea, omnes ecclesiasticae functiones et sacra exercitia, tum quia S. C. C. ipsa in una *Brunen.* in Bohemia decreverat fieri posse denuntiationes matrimoniorum inter Missarum solemnia in diebus olim festivis de praecepto, et nunc dispensatis. Concludebat episcopus : « Hisce positis, putarem servari posse consuetudinem hucusque introductam, et consonam decretis alias a S. C. emissis, eo vel magis, quod ex ea nullum adhuc exortum est inconveniens, quia quando dispensantur, accedente justa et rationabili causa, duae proclamationes, tertia publicatio semper habetur die festo de praecepto. »

Promotor quoque fiscalis curiae Tudertinae testabatur plerosque dioecesis parochos etiam diebus festis abrogatis indiscriminatim denuntiationes matrimoniales publicare, et in reliquis idem cum episcopo sentiebat.

Hisce informationibus exhibitis, secretarius refert benigniorem non paucorum legis Tridentinae explicationem, et de festivis diebus abrogatis dicit animadvertendum, Pontifices jussisse ut ecclesiasticae functiones celebrarentur ut antea. Quare ne in matrimo-

niorum quidem publicationibus aliquid mutatum videri, idque confirmari omnium pene locorum et Urbis etiam Romae praxi, ubi in festis quoque abrogatis denuntiationes publicari plerumque solent. Dein vero refert secretarius severiorem aliorum in explicanda lege Tridentina doctrinam, notatque in causa *Brunen.* nequaquam fuisse decretum denuntiationes matrimonii absolute fieri posse, sed mentem S. C. C. eo, qui supra fuit indicatus (1), modo panditam fuisse. Dubium deinde hoc ponitur : « An in diebus festis abrogatis fieri possint matrimoniorum denunciationes in casu; » et S. C. respondit : « Negative, nisi de licentia Episcopi cum conditionibus ad formam *Brunen.* diei 5 jul. 1780 facto verbo cum SS^mo^. »

244. Per has S. C. C. resolutiones confirmatur, in explicanda lege Tridentina non esse praeferendam methodum aequivalentia admittentem.

Noluit autem tunc S. C. declarare posse in festis suppressis, permanente populi in ecclesiis frequentia, denuntiari matrimonia; sed episcopis hac de re consulentibus dedit facultatem id permittendi, in casibus tamen particularibus, et ob causam gravem, quae non sineret exspectari tres dies festivos de praecepto, et quamdiu frequens perseveraret populi ad ecclesiam concursus.

Quaestio itaque juris non fuit tunc decisa a S. C., quae prudentialem procedendi modum servare maluit. Ex principiis autem sequentem solutionem quaestio illa habet. Si, quod fieri solet, festa fuerint ita suppressa, ut dixerit Pontifex functiones et solemnia peragi debere ut antea, et haec voluntas Pontificia observetur, ac populus frequens ad ecclesias accedat, denuntiationes iis diebus factae legi Tridentinae satisfaciunt. Suppressio enim nihil aliud intendebat, quam tollere populi obligationem vacandi a servilibus et audiendi Missam. Quum igitur in functionibus ecclesiasticis nihil fuerit immutatum, nihil quoque mutatum est

(1) N. 242.

in denuntiationibus faciendis. At si illa Pontificis voluntas non observetur, vel omnino cessaverit populi frequentia, dies illi non satisfaciunt, ut nec satisfacerent dies simpliciter suppressi, seu pro quibus non fuisset praescripta ecclesiasticarum functionum intacta conservatio. Merito igitur in Belgio non denuntiantur matrimonia in festis suppressis a Clem. XIV, denuntiantur vero in suppressis a Pio VII.

245. Solutionem illam firmat S. C. C. responsum 7 apr. 1862. Dubium propositum erat : « Episcopus Pinaroliensis humiliter Eminentiis Vestris hanc exhibet quaestionem. Cum nonnulli inter parochos suae dioecesis admittant, nonnulli vero renuant denuntiationes facere, tam pro matrimoniis, ac promotionibus ad sacros Ordines, quam pro ceteris hujusmodi ab Ecclesia praescriptis in festis, quae nomine suppressorum, juxta ultimum SS. Papae nostri Pii IX decretum ad Subalpinos designantur : quid innuendum? » Respondit autem S. C. : « Propositas denuntiationes fieri posse enuntiatis diebus festis suppressis : curandum tamen, ut hae expleantur tempore Divini Officii, quo frequentior fidelium numerus in Ecclesia adesse solet. »

246. Cum fine quidem legis Tridentinae, non tamen cum verbis festivos dies expresse exigentibus, congruit ea opinio, juxta quam denuntiationes fieri possunt diebus profestis vel ferialibus, quando frequens est populi ad Ecclesiam concursus. Nec congruit cum ratione agendi S. C. C. in citt. causis *Brunen.* et *Tudertina* (1), ejusque mox citanda (2) declaratione circa episcopi potestatem dispensandi. Consuetudo etiam non sufficeret, nisi esset immemorialis, quum haec sola contra decreta Tridentina vim habeat; imo, si immemorialis in praesenti materia alicubi existeret, videretur potius abolenda. Nec placet plurium, licet gravium, auctorum opinio, qui saltem interdum, et in magno populi con-

(1) Cf. n. 241 sqq., coll. n. 247.
(2) N. 247.

cursu denuntiari praefato modo matrimonium posse docent, etiam extra necessitatem et absque dispensatione episcopi.

247. Episcopi vero dispensatione fieri posse non pauci volunt; nam, aiunt, quum ex Trid. habeat is facultatem dispensandi in denuntiationibus, eo ipso potest, quod est minus, in ceremonia a Trid. praescripta dispensationem impertire. Imo citant (1) declarationem S. C. C. in *Ravennaten.* Hujus opinionis fautores frequentiam tamen populi requirunt, et qui ne hanc quidem necessariam esse opinaretur, is indubitanter adversaretur tum fini a Concilio Tridentino prae oculis habito, tum menti Sedis Ap. quae patet ex iis quae n. 241 sqq. de festis suppressis relata fuerunt. Eorum etiam qui frequentiam populi postulant opinio, quamquam fundamento non caret, non videtur firma, nisi intelligatur ita ut episcopus dispenset in aliqua denuntiatione, et tamen prudentiae causa velit in die non festivo fieri. Ratio pro episcopi potestate allata non videtur probare; nam si existit causa sufficiens ut dispensetur in aliqua denuntiatione, sic dispensare episcopus potest; sed si non existit, urget perspicua lex Tridentina festivos dies exigens. Cur etiam S. C. C. in causis *Brunen.* et *Tudertina* quoad festa suppressa facultates dedisset episcopis, si potestas his facta a Concilio includeret etiam remissionem alicujus ceremoniae a Trid. praescriptae, et hac de re constaret ex ipsius S. C. C. olim facta declaratione in *Ravennaten.?* Praeterea hujus nec casus nec verba citantur, et e contra citatur ab aliis (2) S. C. C. resolutio planum habens sensum, scil. Ordinarium posse secundum suam prudentiam et judicium remittere aliquas denuntiationes ob vicinitatem temporis, quo nuptiae prohibentur, sed non posse jubere fieri in diebus non festis.

(1) Cf. Girald. *Expos. jur. Pont.* part. 2, sect. 114, et ad Barbosam, *De off. et pot. par.* part. 2, c. 21, n. 20; indicat l. 2 Decret. p. 260 (posteriori loco p. 160).

(2) Clericat. Decis. 34 *de Sacr. matr.* n. 9, Pignat. *Consult. can.* 133 (t. 9), n. 91.

248. Debent tres dies festivi esse *continui*, ita ut non interfluant alii hujusmodi dies; quae continuitas ideo praescripta dicitur, ne, nimis protractis proclamationibus, desides sint fideles in detegendis impedimentis, putantes sibi tempus abunde suppetere, vel dimissum esse matrimonii contrahendi propositum. Quod si tres dies festivi sibi immediate succedant, literae quidem legis stricte sufficiunt; sed, ne nimis breve impedimentis detegendis intervallum relinquatur, consulendum omnino ut unus alterve vel pauci aliqui dies interponantur, potissime inter secundam et tertiam proclamationem, nisi peculiaris ratio, absente ceteroqui impedimenti suspicione, contrarium postulet.

249. Denuntiari matrimonium debet *in ecclesia*, nempe parochiali nupturientium (1), et *inter Missarum solemnia*. Cum expresso textu Concilii hac etiam in parte non congruit opinio aequivalentia admittens, ex. gr. ut extra ecclesiam vel Missarum solemnia fiat denuntiatio, si magnus sit populi concursus. De hac opinione, sive generaliter sive interdum sic fieri permittente, uti etiam de consuetudine, dicito ut sup. n. 246. Rursus non pauci episcopo potestatem dispensandi agnoscunt, utentes argumento ibidem allato, et declaratione S. C. C. in *Avenionen.* 25 oct. 1586 ad 13, relata a Secretario in *Brunen.* (2). Huic quoque quaestioni applicentur dicta sup. n. 247; declarationi vero in *Avenionen.* talis aliquis sensus fuerit, qualis ibidem ponebatur.

250. Proclamari futurum matrimonium debet *a proprio contrahentium parocho*, ex quibus Concilii verbis rursus intelligitur in propria nupturientium ecclesia parochiali denuntiationes esse faciendas. Potest parochus sive ipse sive per alium eas facere; cavendum tamen ne fiant per laicum. Diversae autem quaestiones de ecclesia vel ecclesiis, in quibus denuntiari matrimonium de-

(1) Cf. n. 250.

(2) Vid. n. 242. Ap. Zambonum, v° *Matrimonium* § 6, n. 3 dicitur responsum fuisse : « Posse ex gratia »; sed responsum sane fuit : « Posse ex causa. »

beat, paucis contrahi possunt, ducto argumento ex Concilio et subsecutis Sedis Ap. declarationibus.

251. 1° Si sponsi sint diversae parochiae, in utraque fieri debent denuntiationes.

2° Si quis duplex habeat domicilium, vel domicilium et quasidomicilium, in utroque denuntiari matrimonium debet.

3° Si quis brevi tantum tempore in parochia habitaverit, in qua nunc est, denuntiationes faciendae sunt tum in ea tum in parochia prioris habitationis. Quaenam autem habitatio sufficiat ut in sola actualis habitationis parochia fiant, ex statutis dioecesanis, vel, his deficientibus, ex usu dignoscendum est; plerumque ea sex menses indicant.

4° In loco originis jamdiu derelicto regulariter necessaria non est matrimonii denuntiatio; nonnumquam tamen ibi quoque ob peculiarem causam est facienda, praesertim vero quando agitur de vagis. Interdum etiam ob causam particularem prudenter judicabitur denuntiandum matrimonium in alio loco, in quo quis non habet domicilium nec quasidomicilium, sed diutius est moratus, praesertim si de vagis agatur, et maxime quando in loco originis denuntiatio fieri nequit vel eum in aetate non nubili reliquerunt. Fieri etiam potest tam saepe aliquem in diversis locis habitasse, ut prudenti potius arbitrio sit determinandum, ubinam ejus matrimonium nuntiari debeat.

5° Vero dubio persistente sintne in aliquo loco faciendae denuntiationes, vel ubinam fieri debeant, parochus Ordinarii sui judicium exquiret, et is, perpenso fine denuntiationum, judicabit eo modo quo sufficiens de impedimentorum absentia securitas habeatur (1). Vagorum autem matrimonium denuntiare numquam licet, nisi facultate obtenta ab Ordinario loci, juxta dicta n. 238.

252. Forma denuntiationum ea esse debet, ut intelligibili voce

(1) De nimia distantia vid. Heiss, *De matr.* Monach. 1861, § 21, n. V, not. 4.

et accurate indicentur personae earumque parochia, et quota sit denuntiatio, idque praesertim quando in aliqua dispensatum est, dicendo ex. gr., uniformiter tamen, et non pro uno alterove matrimonio (1), eam, quae nunc fit esse loco primae et secundae; praestat etiam mentionem facere finis denuntiationum, nempe ut qui impedimentum norunt illud detegant.

253. Caveat parochus ne ad proclamationes deveniat nisi petentibus iis ipsis de quorum matrimonio agitur. Ante proclamationes autem, et postquam de baptismo suscepto rite constiterit, nupturientes seorsim examinandi sunt circa habitationem, propositi libertatem, consensum parentum, doctrinam christianam, et generaliter circa impedimentorum existentiam, ea quoad hanc adhibita prudentia, quam personarum conditio aliaeque circumstantiae postulant. Examen istud ad proprium utriusque parochum spectat (2).

254. Praesertim vero constare debet de statu libero nupturientium, seu neutrum esse alterius matrimonii vinculo ligatum; formam in hunc finem servandam praescripsit Sedes Ap. per S. Off. inde ab initio saeculi XVII, praesertim vero a. 1658 et 1665, ac denuo sub Clem. X die 21 aug. 1670, et sub Leone XII die 25 dec. 1827. Quamquam strictus decretorum tenor omnia prorsus matrimonia comprehendit, nihilominus auctores etiam illorum observantiam valde urgentes (3) insinuant, quoties dioecesani non vagi, et qui post adeptam pubertatem non sunt notabili tempore in alia dioecesi commorati, matrimonium inire cupiunt, de libero eorum statu constare solere ex praevio diligenti examine et proclamationibus antenuptialibus; sed si peculiare de eorum statu libero

(1) Cf. Konings, n. 1537, sub. II.

(2) De hoc examine cf. tract. Mechlin. n. 22, van de Burgt, n. 375, Kutschker, t. 4 p. 25, et t. 3 p. 686 sqq., Bangen, tit. 2 p. 1-26, Aichner, *Compend. jur. eccl.* ed. 2 Brixin. 1864, § 159.

(3) Cf. Ferrari, *Summa institutionum canonicarum*, t. 2. Par. 1869, n. 363.

dubium maneat, vel si agatur de dioecesanis vagis vel qui post annos pubertatis seu in aetate nubili in alia dioecesi notabile tempus transegerunt, vel de exteris seu ex alia dioecesi oriundis, examen de statu libero fieri debet in forma supra indicata.

255. Instructio S. Off. a. 1670, a Clemente X per constitutionem *Cum alias* confirmata (1), indicat adamussim methodum interrogandi testes totamque procedendi rationem, et de scriptis testimoniis haec habet : « Fides aliaque documenta, quae producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo, et legalitate episcopi Ordinarii, recognita saltem per testes, qui habeant notam manum, et sigillum, et attente consideretur, quod fides, seu testimonia bene et concludenter identificent personas, de quibus agitur » (2). In fine autem legitur : « Ordinarii praecipiant omnibus, et singulis parochis in eorum dioecesibus existentibus, ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, a quo, vel ejus generali vicario prius teneantur fidem authenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerunt examinati testes in eorum tribunali, qui probant statum liberum contrahere volentium etc. Contravenientes autem severe puniantur. » Ex quo patet statum liberum exterorum a proprio etiam parochi Ordinario debere esse recognitum et legalitate munitum, neque hoc de statu libero negotium esse inter diversarum dioecesum parochos, sed mediantibus Ordinariis agendum. Parochus, in cujus parochia celebrabitur matrimonium, certiorem reddit suum Ordinarium, ut per

(1) Clem. X decretum *Cum alias*, latum in S. Off. fer. 5, die 21 aug. 1670, vid. ap. Lucidi, *De visit. SS. Lim.* t. 3, p. 518 sqq., Avanzini, *Acta S. Sedis*, t. 6, p. 442 sqq. Cf. P. Conrad. l. 7, c. 6, n. 22 sqq., Girald. *Expos. jur. Pont.* part. 1, sect. 656, part. 2, sect. 124, *Anal. jur. Pont.* ser. 1, col. 831 sqq., Bouix, *De judiciis*, t. 2, Par. 1855, p. 458 sqq., van de Burgt, n. 376, Giovine t. I, p. 336 sqq. 655, Ferrari t. 2, n. 363. 413.

(2) Quoad hanc partem memorabilis est causa *Papien. Matrimonii* 12 dec. 1733 et 27 febr. 1734 (*Thes. S. C. C.* t. 6).

hunc obtineatur ab alterius dioecesis Ordinario testimonium status liberi confectum ad normam supra memoratam; haec enim ab utroque Ordinario in sua curia observari debet. Prius autem debet ex alia dioecesi hoc testimonium haberi, quam ad illud procedatur in dioecesi in qua matrimonium contrahetur.

256. Examen de statu libero non solum ligamen sed reliqua quoque impedimenta complectitur, et gratis fieri debet, etiam quoad scripturam. Emisso a testibus juramento, extra Urbem Romam examen est faciendum coram ipso Ordinario ejusve vicario generali. Ut enim generaliter coram aliis, ex. gr. vicariis foraneis seu decanis, fieret, necessaria foret Sedis Ap. facultas. Potest tamen episcopus specialiter deputare personam insignem et idoneam, sed pro solo examine faciendo, ita ut, hoc peracto, deputatus acta examinis ad Ordinarium deferre teneatur, a quo negotium expediri et status liberi testimonium dari debet. Vagorum vero negotium ab ipso Ordinario tractari oportet.

257. Paulo post emanata S. Off. de statu libero decreta pluribus dubiis circa exteros motis, solvit ea S. Officium ut sequitur (1).

« 1. Quaeritur, an illi ex dioecesibus circumvicinis et ipsi teneantur tales probationes facere, an vero sufficiat fides denuntiationum in eorum dioecesibus factarum cum legalitate Ordinarii, et probatio eorum status post discessum ab ipsa dioecesi?

R. Hujusmodo habentur pro exteris, et consequenter tenentur probationes facere.

2. Item, an contrahere volentes, in confinibus eorum dioecesis habitantes, et, ob vicinitatem, ab eorum rectoribus cogniti, teneantur easdem facere probationes, an vero sufficiant publicationes ab ipsis rectoribus faciendae?

(1) Partim habentur ap. P. Corrâd. l. c. n. 23, simul vero collecta ap. Monacell. *Formul. leg. pract.* in append. ad part. 3. *Istruz.* 6, Girald. part. 1 sect. 656, Lucidi, *De visit. SS. Lim.* vol. 3, Rom. 1866, p. 524 sqq., et in syn. dioec. Tusculana a. 1763, app. ad part. 2 constitt. synodalium ecclesiae Tusculanae, n. 9, ex quo loco in hunc librum inserta fuerunt.

R. Etiam isti tenentur facere probationes.

5. An easdem teneantur facere probationes ii, qui ante aetatem nubilem a propria dioecesi discedentes, ad aliam se contulerunt, et in ea postmodum semper habitaverunt?

R. Non tenentur, quia non fuerunt extra dioecesim tempore habili ad contrahendum.

4. An in civitate, in qua milites Hispani, Teutonici, Alemani, et aliarum longinquarum regionum residere solent, idem cum ipsis sit servandum, vel sufficiat probationes in ipsa civitate recipere de eorum statu a testibus ipsarum regionum de negotio edoctis?

R. Tenentur facere probationes, juxta formam instructionis, quia isti facilius committunt polygamiam.

5. An, facta per parochum monitione Ordinario contrahere volentis, fides status ejusmodi sit ab eodem parocho, vel a contrahere volente reportanda?

R. Tenetur fidem reportare, et parocho consignare is, qui vult matrimonium contrahere, sed est in libertate parochi hujusmodi onus in se assumere.

6. An eaedem probationes sint servandae in casu necessitatis, et ab existentibus in articulo mortis sic contrahere volentibus?

R. Non sunt servandae in articulo mortis, intra quem scilicet probabiliter non adsit tempus sufficiens faciendi diligentias, cum hoc etiam, quod si infirmus forte convaluerit, debeant fieri diligentiae, juxta instructionem, antequam simul conveniant.

7. An requiratur attestatio proprii Ordinarii pro exteris, qui per decem annos, et ultra, domicilium acquisierunt in loco, ubi sunt matrimonium contracturi, si eorum status liber probetur per testes fide dignos tam originis, quam domicilii.

R. Requiritur.

8. An requiratur dicta attestatio pro illis exteris, qui unicam, vel plures duxerunt, et e contra, si mortuae fuerint in loco, ubi iterum matrimonium contrahere desiderant, ac amplius post mortem a dicto loco non discesserunt?

R. Requiritur pariter. »

258. Formam, de qua agitur, esse ubique locorum servandam vel ex eo liquet, quod a Clem. X per modum legis generalis publicata fuerit. Praeterea sub Leone XII denuo fuit omnibus Ordinariis transmissa et inculcata per literas S. Off. 25 dec. 1827 (1); et inter quaestiones omnibus episcopis ante Conc. Vaticanum propositas (2) haec erat n. 2 : « Quanam forma et quibusnam cautelis probetur libertas status pro contrahendis matrimoniis : et utrum ipsimet episcopo vel ejus curiae episcopali reservetur judicium super status cujusque contrahentis libertate. Quidnam tandem hac super re denuo sancire expediret, prae oculis habita instructione die 21 Augusti 1670 s. m. Clementis X auctoritate edita? » Nonnulla dubia circa instructionem a. 1670 recentius proposita resolvit S. Off. 24 febr. 1847 (3). Eadem instructio in memoriam revocatur in S. Off. instructionibus 22 junii 1822 et 15 maii 1868 ad probandum obitum alicujus conjugis (4); de statu enim libero eorum praecipue constare debet, qui nuptias olim jam iniverunt; sed de his dicemus n. 441 sqq.

259. Nec putaveris cum Bouix (5) formam illam hodie non stricte obligare in regionibus, ubi ex lege civili praecedere debet civilis ceremonia; ibi enim cessare praecipuum instructionis a. 1670 finem, quum ad civilem ceremoniam non admittantur nisi ii, de quorum libero statu constat, ideoque per eam ipsam satis provideatur. Variis rationibus haec opinio repellitur (6); etenim non de ligamine tantum, sed de reliquis etiam impedimentis examen fieri debet, et civilis potestas non omnia agnoscit ecclesiastica impedimenta, imo vinculi dissolutionem admittit in nonnullis

(1) Ap. Lucidi l. c. p, 517 sq.
(2) Cf. sup. n. 15.
(3) Ap. Lucidi l. c. p. 522 sqq.
(4) Vid. inf. n. 443.
(5) L. c. p. 465 sq.
(6) Cf. van de Burgt, l. c.

casibus in quibus admitti nequit; praeterea matrimonia quandoque ineuntur coram Ecclesia, neglecto prorsus magistratu civili.

260. Attamen forma, de qua agitur, non obligat 1° si aliam dioecesim quis reliquit in aetate non nubili, et deinceps semper remansit in dioecesi, in qua matrimonium contrahetur (1). 2° « In articulo mortis, intra quem scil. probabiliter non adsit tempus sufficiens faciendi diligentias, cum hoc etiam, quod si infirmus forte convaluerit, debeant fieri diligentiae, juxta instructionem, antequam simul conveniant (2). »

261. Praefatorum de statu libero decretorum executio sat cito difficilis visa fuit in nonnullis circumstantiis et praesertim in magnis dioecesibus. Apud Corradum enim (3) reperiuntur literae S. Off. 10 januar. 1648, quibus prudenti arbitrio nonnullorum episcoporum relictum fuit negotium de matrimoniis exterorum, pro quibus propter magnam eorum regionis distantiam non possent observari S. Off. de statu libero instructiones. Scribit etiam Ventriglia (4) : « Haec interrogatoria, ob illorum difficultatem in practica, sunt restricta in multis curiis, etiam de consensu ipsius Congregationis : ita servatur in curia archiepiscopali Neapolitana, et in aliis, ubi brevius interrogantur testes hujusmodi. » Similiter multi alii auctores. Rei autem difficultatem non parum nunc auxerunt longe frequentior multorum in longinquas regiones transmeatio et continua saepe commigratio, impedita hodie episcoporum ad testes cogendos potestas, et alia obstacula a civili potestate hominumque malitia vel pusillanimitate posita. Quapropter plurimi hodie Ordinarii et auctores ad alia statum liberum probandi media recurrere solent (5), puta affirmationem

(1) Vid. S. Off. resp. ad dub. 3, sup. n. 257.
(2) S. Off. ad. dub. 6, sup. n. 257.
(3) L. c. n. 23.
(4) *Prax. rer. notabilium*, t. I, annot. 3, § 3, n. 50.
(5) Cf. Kenrick, *Theol. mor.* tr. 21, n. 193, Heiss, § 45, n. VII, q. 2, Kutschker, t. 3 § 199, Bangen, tit. 2 p. 59 sq., Aichner, § 186.

juratam contrahere volentium, testimonium aliorum eos notos habentium, testimonium parochi alterius dioecesis ab ejus Ordinario recognitum. Quamquam ad impossibile nemo tenetur, medium tamen adhibendum potius est recursus ad Sedem Ap. Sic de vagis, cum quibus maxima est modum praescriptum adhibendi difficultas, scribit Monacellus (1), si in patriam reversi uxorem ducere velint, et de statu libero neque fidem Ordinariorum, in quorum dioecesibus sunt vagati, nec testes afferre valeant, recursu habito S. C. Inq. facultatem Ordinario facere solere, ut possint, comminatis poenis in polygamiam positis (2), praestitoque juramento se esse liberos, ad matrimonii celebrationem devenire. Uti autem hac in re S. C. Inq. arbitrio regulato a qualitate personae, diuturnitate vagationis, aliisque facti circumstantiis, et his omnibus inspectis vel tribuere vel denegare facultatem, vel rescribere ut meliori quo fieri possit modo status liber probetur. Imo ut Ordinariis petentibus olim succurrebat interdum Sedes Ap. per opportunas facultates (3), ita hodie praesertim idem facere non renuit, concedendo ut intra certos limites et quibusdam positis conditionibus uti queant remedio juramenti suppletorii (4). Ipsam etiam Sedem Ap. prae oculis habere opportunam rei ordinationem insinuat ea, quae n. 258 citata fuit, quaestio episcopis proposita.

262. Si parochus modum tantum non exacte servet quo denuntiari matrimonia debent, sed aequivalentia nonnumquam admittat, profecto non potest gravis peccati esse reus, imo nullius argui potest si ita agat immixus doctrinae eorum, qui, populo frequenti accedente, aequivalentia sufficere censent, et statuta dioecesana eum ita agere non prohibeant. Nullum praesertim reatum contrahit, si in casu extraordinario, ex. gr. propter omissam die festivo

(1) Op. cit. tit 8, form. 1, n. 3 sq.
(2) Cf. c. 18.
(3) Vid. sup. hoc ipso n. 261.
(4) C. Ferrari, ll. cc., Giovine, t. I, p. 337 sq., 342-346.

vel intra Missarum solemnia denuntiationem, et quando ad Ordinarium recurrere jam nequit, ita se gerat.

Sed parochus aliusve omissis absque dispensatione denuntiationibus matrimonio assistens graviter peccat; graviter etiam peccant scienter absque illis matrimonium contrahentes. Verba Conciliorum Later. et Trid. grave praeceptum important (1); gravis etiam finis ab Ecclesia intenditur; graves quoque sunt poenae statutae. Verum autem illud est, licet essent moraliter certi non subesse impedimentum. Disputant vero auctores an grave sit peccatum omissio unius alteriusque denuntiationis, et communius docent grave peccatum esse si e tribus duae omittantur, sed generaliter loquendo unius e tribus omissionem non esse grave peccatum (2).

Insuper denuntiationum omissio poenas sibi aliasque animadversiones statutas habet, et difficiliorem reddit dispensationem super impedimento quod postea detegatur.

263. Parochus vel alius sacerdos, etiam regularis, qui matrimonio ejusmodi assistere praesumpserit, per triennium debet suspendi ab officio, gravius etiam puniendus si culpae qualitas postulaverit (3); beneficii tamen redditus percipere potest. Semel autem lata suspensione praefata, episcopus durante triennio absolvere nequit (4).

Testes quoque condigna poena plecti possunt (5).

264. Quod vero spectat ad eos qui, omissis sine urgenti causa justa denuntiationibus, contrahunt, 1° si dirimens aliquod impedimentum adsit, juxta communem doctrinam proles est illegi-

(1) Vid. n. 189, 191 sq.

(2) Cf. Bus. et S. Alph. n. 988 sq., Scav. n. 574, tr. Mechlin. n. 21.

(3) Cap. fin. *De cland. despons.*; cf. sup. n. 189.

(4) Cf. Ben. XIV. *De syn.* l. 12, c. 6, n. 2, Monacell. *Formul. leg. pract.* part. 3, tit. 2, form. 5, n. 19, Clericat. Decis. 34 de matr. n. 4, Girald. ad Thesaur. *De poenis eccles.* part. 2, v° *Matrimonium*, c. 6, *Exp. jur. Pont.* part. 2 sect. 675, Ferrari, t. 2, n. 403, Giovine, t. I, p. 666.

(5) Cf. Ben. XIV l. c.

tima, etiamsi alteruter vel uterque impedimentum ignoraverit. Quia tamen in verbis Concilii Lateranensis (1) sermo non est nisi de impedimento gradus prohibiti, sunt qui dubium moveant, et ad solos consanguinitatis vel affinitatis gradus prohibitos eam dispositionem, quam dicunt esse poenalem, restringant. Nihilominus communem doctrinam ipsa juris principia firmant. Quod enim legitima censeatur proles nata ex matrimonio invalido bona alterutrius saltem fide inito, merae id debetur benignitati Ecclesiae peculiariter ita indulgentis (2). Ii autem, de quibus agitur, ab ipso Conc. Later. non expertes scientiae vel saltem affectatores ignorantiae dicuntur. Poenalis itaque dispositionis nulla hic ratio est. Confirmat hanc doctrinam praxis Sedis Ap., de qua mox sub 2° mentio erit. Vid. etiam secretarium S. C. C. in *Mechlinien. Legitimit. prolis* 6 jul. 1726 (3), ubi tamen cum Sanch. excipit casum, quo omissae denuntiationes non potuissent ullo modo conferre ad detegendum impedimentum; ut si matrimonium fuerit nullum ob defectum interni consensus, vel quia contractum coram parocho communiter tali reputato, vere tamen intruso nec ullum titulum habente.

2° Spem amittunt obtinendi dispensationem super impedimento postea detecto (4), id est, multo difficilius eam obtinent, praesertim si consummaverint (cf. n. 369 sub 2°), et omissio semper debet exprimi in libello supplici (cf. n. 677 sq. 718). Praxis autem Sedis Ap. sub hac quoque severitate comprehendit alia impedimenta quam quae ex gradibus prohibitis oriuntur (5); unde simul firmatur quod sub 1° traditum fuit.

(1) Vid. n. 189.

(2) Cf. n. 78.

(3) *Thes. S. C. C.* t. 3.

(4) Vid. Conc. Trid. Sess. 24 c. 5 de reform. matr., ubi ratio additur : « Non enim dignus est qui Ecclesiae benignitatem facile experiatur, cujus salubria praecepta temere contempsit. »

(5) Cf. P. Corrad. l. 8, c. 3, n. 1 sqq., Cleric. l. c. n. 22 sq.

3° Condigna insuper poenitentia eis imponenda est (1).

265. Quam non dederat Innoc. III in Conc. Later., Ordinariis dedit potestatem dispensandi Conc. Trid. (2), eaque igitur competit, cum facultate etiam delegandi, iis omnibus qui nomine Ordinarii intelliguntur, ut episcopo, praelato inferiori vere *Nullius*, capitulo usque ad vicarii capitularis intra octiduum constitutionem, dein vicario capitulari, et quamquam non pauci existimant vicario generali eam absque speciali episcopi mandato non competere, jure tamen merito communior est contraria opinio, praxi etiam recepta, nisi tamen episcopus aliter disposuerit, quemadmodum S. Carolus Borromaeus fecit pro casu quo ipse praesens esset (3).

266. Si nupturientes sint diversarum dioecesum, utriusque Ordinarii dispensationem requiri alii negant, alii affirmant; horum autem opinio praeferenda est et in praxi consulenda (4). Citat Giraldus declarationem S. C. C. in *Visen.* 20 apr. 1606, juxta quam necesse est ut aut uterque Ordinarius dispenset, aut saltem habeatur Ordinarii alterius dioecesis de statu libero testimonium. Quae quidem declaratio firmat doctrinam supra commendatam; nam in priori parte memorat necessitatem duplicis dispensationis, et consequenter testimonium de statu libero in posteriori parte commemoratum significat denuntiationes esse factas, et certe testes eo rigore, quem praescribunt decreta Apostolica (5), non de ligaminis tantum sed de aliis quoque impedimentis examinatos fuisse (6).

(1) Vid. Conc. Later. IV, sup. n. 189, et cf. Ben. XIV, *De syn.* l. 12, c. 6, n. 2.

(2) Vid. n. 192.

(3) Cf. Giovine, t. 1 p. 657 sqq., Scav. t. 4 p. 621 sq., Ballerini ad Gury, *Compend. theol. mor.* t. 2, Romae 1875, n. 740, q. 3, coll. *Act. eccl. Mediolanen.* part. 4, tit. *De off. vic. gen.*, ed. Lugd., 1683, t. 2, p. 549.

(4) Cf. Giovine, t. 1, p. 661 sq., *Nouv. rev. théol.* t. 1, p. 452 sqq.

(5) Cf. n. 254 sqq.

(6) Cf. n. 256.

267. Diversae sunt causae, propter quas, aut omnino aut ex parte, juxta prudens ac discretum Ordinarii judicium dispensari potest. Ex. gr. si probabilis sit suspicio vel timor, ne, si omnes vel plures denuntiationes praemittantur, malitiose matrimonium impediatur (1); vel si probabiliter sit timendum publicum infamiae aliudve notabile damnum spirituale vel temporale; vel si instet tempus feriatum et simul adsit gravis ratio, ut periculum incontinentiae vel dissolutionis sponsalium. Ante dispensationem autem inquirendum est extrajudicialiter, an causa vere subsistat, et utrum omnium an vero unius alteriusve proclamationis dispensationem exposcat. Totalis enim gravem omnino causam requirit. Notant multi auctores, usu universali matrimonia magnorum principum non denuntiari, quum satis noti sint; alii vero dicunt sufficientem esse dispensandi causam (2).

Concilium Tridentinum ponit nonnumquam ita dispensari, ut denuntiationes post contractum, sed ante consummatum matrimonium locum habeant; Ordinarii tamen judicio relinquit ut, si expedire judicaverit, simpliciter dispenset. Hodie generaliter posterior iste modus solus adhibetur.

268. Quaeritur etiam possitne parochus ex causis allegatis nonnumquam procedere, omissis sine dispensatione denuntiationibus earumve aliqua. Profecto id ei non licet, si non sit periculum in mora, sed ad Ordinarium recurrere possit; licet vero, si id fieri nequeat, et mora periculum afferat, ac gravis urgeat ratio. Caute tamen nec nisi vera cogente necessitate ita se gerat parochus ne-

(1) Vid. Trid. sup. n. 192.

(2) De causis dispensandi cf. Ben. XIV const. *Satis Vobis* 17 nov. 1741 init. et § 1 ac 5 (*Bull. Ben. XIV* t. I const. 35; ed. Mechl. vol. 1, p. 182 sqq.); const. *Nimiam licentiam* 18 maii 1743, § 5 sq. 12-16 (Ib. t. I, const. 85, ed. cit. vol. 2 p. 123 sqq.), S. Alph. n. 1004 sqq., Carr. *De matr.* n. 435 sqq., Bangen, tit. 2 p. 48 sqq., van de Burgt, n. 397 sqq., tract. Mechlin. n. 21, Giovine, t. I p. 660, 662 sqq., Gury et Ballerini, n. 739, Scav. t. 4 p. 617, 622, Ferrari, t. 2, n. 402.

cesse est, quae necessitas pro tribus denuntiationibus omittendis non concipitur nisi in casu concubinarii moribundi, et simul tunc existente gravi causa nubendi. Idem quaerunt auctores de casu, quo dispensare episcopus noluerit. Tradi solet nihilominus tunc parochum progredi posse, si ejusmodi casus sit, in quo teneatur episcopus dispensationem concedere, ex. g. concubinarii morituri, cujus proles sit legitimanda. In gravissimo isto casu ita sit, sed generaliter progredi parochus nequit, quum fori externi potestatem non habeat (1).

269. Ut gravis est obligatio faciendi denuntiationes, ita etiam gravis est obligatio impedimentum sive dirimens sive impediens manifestandi, etiamsi quis ejus notitiam solus habeat vel illud probare non possit; dummodo rem non mere audiverit a persona, quae non sit fide digna; sufficit ut probabilem habeat conjecturam. Peculiaribus tamen circumstantiis effici potest aliquem ad revelandum impedimentum non teneri, ut si id facere nequeat absque sui vel proxime conjunctorum infamia, vel absque alio sui aliorumve gravissimo incommodo, vel si noverit obtentam esse dispensationem pro foro interno in impedimento, quod ad forum externum deduci probabiliter non potest, vel si, quod tollendae obligationi universe sufficere multi merito existimant, notitiam hauserit ex secreto, quod vocant, consilii vel status. Non tamen sufficit aliud secretum naturale, etiam juratum. Demum revelare non tenentur qui alio modo matrimonium impedire possunt et vere impediunt, vel efficaciter curant dispensationem a nupturientibus obtineri. Ceterum in praxi nonnullae ex causis excusantibus non facile existunt; ex. gr. absque gravis incommodi periculo saepe indicia saltem praeberi possunt, quibus parochus dirigatur ita ut alii scire nequeant a quo illa provenerint. Praeterea ipsi saltem nupturientes eorumve alteruter nonnumquam

(1) Cf. Gury et Ballerini, t. 2 n. 735, 740, Scav. t. 4 n. 573, 579 sq., Giovine, t. I p. 664.

monendi erunt. Sigillum vero sacramentale omnem profecto revelationem prohibet (1).

270. Manifestatio fit parocho; si tamen impedimentum sit infamans, nupturientes ipsi prius sunt monendi.

Quid autem faciet parochus, si notitiam impedimenti, quod subesse scitur vel probabiliter timetur, per se vel per alios habeat?

1° Si extra Confessionem notitiam acquisiverit, non potest transire ad celebrationem matrimonii, sed negotium sponsis opportune communicare, et, dubio manente, deferre ad Ordinarium debet. Sufficit autem probabilis conjectura (2), nec plures testes sunt necessarii, sed unus fide dignus sufficit. An illico cessari debeat a continuandis proclamationibus, hoc pendet ex probabilitate conjecturae, et maxime etiam a judicio Ordinarii (3).

271. Quod si impedimentum occultum extra Confessionem sit notum parocho, is vero, qui eo ligatur, neget impedimentum existere, et matrimonium petat occulte coram testibus, assistere parochus nequit. Si publice petat, sunt qui contrarium tueantur, innixi paritate cum peccatore occulto publice petente S. Eucharistiam, paritate etiam cum illo qui occulta irregularitate laborans a proprio episcopo publice petit Ordines, paritate denique cum eo qui peccato mortali infectus publice petit matrimonii celebrationem. Verumtamen neque eo casu parochus videtur posse assistere (4); ubi enim impedimentum obstat de quo saltem probabilis manet conjectura, dubio non evanescente, parochus negotium ad Ordinarium deferre tenetur, nec potest ipse de ejus ve-

(1). Cf. Bus. et S. Alph. n. 994 sqq., Scav. t. 4, n. 575, Gury et Ballerini, n. 741 sqq., tr. Mechlin. n. 21.

(2) Vid. Couc. Later. IV, sup. n. 189.

(3) Cf. n. 556, S. Alph. n. 996 sqq., Carr. n. 421 sqq., Scav. n. 576, Bangen. tit. 2 p. 71 sqq., van de Burgt, n. 391 sq. De Ordinarii ratione procedendi vid. c. 25.

(4) Cf. S. Alph. n. 1002, Carr. n. 424. Scav. l. c. not. 1, tr. Mechlin. n. 62, Giovine, t. I p. 335.

ritate ferre judicium; imo praesertim ipse parochus ex officio tenetur de impedimento deponere. Quo fit primam ac tertiam paritatem vel ex hoc solo motivo non existere; secundae autem fundamentum ex ipso Conc. Trid. sess. 14 c. 1 de ref. falsum est.

272. At quando parochus extra Confessionem occultum impedimentum noscens, simul novit dispensationem pro foro conscientiae fuisse obtentam, assistere potest si impedimentum ei non jam fuerit ab alio quam nupturiente delatum, et dummodo sit ejusmodi ut ad forum externum non possit deduci, vel saltem nulla probabilis id timendi ratio existat; secus enim prius esset in foro externo dispensatio obtinenda (1).

273. 2° Si parochus ex sola Confessione notitiam impedimenti acquirat, tunc, nisi propter bonam fidem et praevisam monitionis inutilitatem circumstantiae contrarium omnino exposcant, monere debet poenitentem ut officio suo satisfaciat, aut matrimonio valedicendo, aut procurando dispensationem. Si poenitens monitionem contemnat, absolvi nequit; matrimonio tamen assistere parochus tenetur.

274. Generatim de confessarii hac in re officio sequentia sunt notanda. Si impedimentum publicum detegat, monere debet ut ad parochum illud deferatur, quod profecto ipse facere nequit si ex sola Confessione scientiam hauserit; si vero ipse parochus nupturientis Confessionem excipiat, poenitentem monebit ut extra Confessionem sibi impedimentum publicum manifestet. Quod si detegatur impedimentum occultum vel occulta circumstantia necessario exprimenda, et poenitens sit monendus, quod pendet ex dictis numero praecedenti, tunc moneatur necesse est, ut deinde aut ipse vel per confessarium dispensationem impetret, aut matrimonii proposito valedicat. Nonnumquam monitio, si tempus sinat, prudenter aliquantum differtur, si nempe nunc non profutura, postea, impetrata interim cura confessarii dispensatione, profutura credatur.

(1) Cf. Giovine, t. I p. 335 sq.

275. Ea quae ante proclamationes curanda esse supra innotuit, non sunt differenda usque ad tempus quo illae jam sunt inceptae, idque praesertim severe urgendum cum vagis vel exteris. Porro ante matrimonii celebrationem expectandum est documentum denuntiationum alibi factarum. Matrimonium autem nec nimis cito, nec nimis diu post ultimam proclamationem celebrandum est. Non nimis cito; suadendum ex. gr. et in quibusdam dioecesibus praescriptum est, ne celebretur ipsa ultimae denuntiationis die, idque omnino debet vitari si duae fuerint remissae. Non nimis diu post; ne debeant denuntiationes sives omnes sive aliquae repeti; quod, nisi severius statuerit Ordinarius, juxta Rituale Romanum fieri debet, si non fuerit intra duos menses post ultimam proclamationem celebratum matrimonium. His omnibus statuta dioecesana modum ponere solent (1). Curandum praecipue ne sponsi ante matrimonii celebrationem cohabitent (2).

276. Concilium Tridentinum (3) « conjuges hortatur, ut, antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur, et ad sanctissimum Eucharistiae sacramentum pie accedant, » eosque paulo ante hortatur, ut « ante benedictionem sacerdotalem, in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent. » Et Rit. Rom. (4) : « Moneat parochus conjuges, ut ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent, neque matrimonium consummient.... Admoneantur praeterea conjuges, ut antequam contrahant, sua peccata diligenter confiteantur, et ad SS. Eucharistiae, atque ad matrimonii Sacramentum suscipiendum pie accedant. » Exhortatio Tridentina de Confessione et Communione ante matrimonii celebrationem nullum temporis spa-

(1) Cf. etiam Carr. *De matr.* n. 396-401, Bangen, tit. 2, p. 46 sqq. 74 sq., van de Burgt, n. 403 sqq., tr. Mechlin. n. 21.

(2) Cf. Ben. XIV, *De syn.* l. 12, c. 6, n. 3.

(3) Sess. 24, c. 1 de ref. matr.

(4) De Sacr. matr.

tium indicat, et mentio tridui tantum refertur ad matrimonii jam contracti consummationem, fuitque haec exhortatio praecipue facta ad avertenda maleficia contra consummationem (1). Ritualis vero Romani exhortatio de Confessione et Communione refertur praecise ad ipsius matrimonii celebrationem, absque tamen temporis indicatione. Concilium autem et Rituale parochos quidem obligant ut moneant partes, his vero merum dant consilium seu exhortationem (2). In multis statutis dioecesanis reperitur aut consilium aut praeceptum de suscipiendis Sacramentis Poenitentiae et Eucharistiae antequam matrimonium contrahatur; in aliis temporis quoque spatium, diversimode tamen, indicatur, in aliis ejus mentio non est. Optimum profecto illud medium est, non solum matrimonii pie ineundi, sed etiam opportune detegendi impedimentum, praesertim occultum, vel circumstantiam in supplici pro obtinenda dispensatione libello exprimendam, et gravia praeveniendi incommoda secus oritura. Per sedulo servatas de nuntiando matrimonio leges et opportuno tempore institutam Confessionem ille praesertim praevenitur difficilis casus, quem perplexum vocare solent, quo nempe, omnibus ad nuptias jam paratis, impedimentum detegitur (3). Quapropter statui gratiae meliori quidem quo fieri possit modo providendum est, plerumque tamen suadendum, ne partes ipso die celebrationis, sed saltem uno alterove die ante confiteantur.

277. Si alterutra pars ad Sacramentum Poenitentiae accedere recuset, allaborabit parochus ut animum mutet; si vero nihil proficiat, eam hortabitur saltem ad contritionem de peccatis eliciendam ante matrimonii celebrationem; huic autem assistere parochus debet favore alterius partis, etiam in casu peccatoris publici, nisi Ordinarius praescripserit ut prius ad se recurratur. Quod si

(1) Cf. inf. n. 538 not., *Nouv. rev. th.* t. 5, p. 301 sqq.
(2) Cf. *Nouv. rev. th.* t. 14, p. 80 sqq.
(3) De eo agitur in c. 30, § 4.

utraque pars ad Poenitentiae Sacramentum accedere recuset, et monitionibus suis parochus non proficiat, Ordinarii judicium est provocandum in locis ubi hoc est statutum; sed extra hunc casum parochus assistet, licet agatur de publicis peccatoribus, si gravis ratio postulet. Postremum autem hoc saepe contingit, ex. gr. si jam praecesserit civile, quod vocant, matrimonium, vel si per matrimonium praeveniatur concubinatus cive ponatur finis.

Quod spectat ad publice indignos propter censuram, S. Poenit. ad dub. an parochus ejusve delegatus possit assistere eorum matrimonio, priusquam constiterit eos a censura fuisse rite absolutos, die 5 jul. 1856 respondit, eum prius debere partibus dissuadere matrimonium, et hoc impedire vel differre, donec excommunicatus fuerit cum Ecclesia reconciliatus. Quod si hae curae fuerint vanae, vel ex assistentiae dilatione orirentur aliunde gravia scandala vel pericula pro parocho cum detrimento suae parochiae, tunc posse parochum licite assistere matrimonio publici et notorii excommunicati tolerati. Pariter posse Episcopum, in ejusmodi circumstantiis, et adhibitis cautelis opportunis, parocho dare licentiam assistendi (1). Postea autem dubio proposito, quomodo parochi se gerere debeant in celebratione matrimonii notorie censuratorum, S. Poenit. die 10 dec. 1860 respondit : « Curandum pro viribus, ut ecclesiasticis censuris innodati debito modo cum Ecclesia reconcilientur : at si reconciliari recusent, et nisi matrimonium celebretur, gravia inde damna imminere videantur, parochus Ordinarium consulat, qui, habita rerum et circumstantiarum ratione, omnibusque perpensis, quae a probatis auctoribus et praesertim a S. Alphonso (Lib. 6, tract. 1, c. 2, n. 54) traduntur, ea declaret, quae magis expedire in Domino judicaverit, exclusa semper Missae celebratione (2). » Si de

(1) Ap. *Nouv. rev. th.* t. 14, p, 84 sq.

(2) Ap. *Acta S. Sedis* t. 1, p. 563, *Nouv. rev. th.* 1, c. p. 86, et S. Off. resc. 17 sept. 1871 ad episcopos Bavariae, ap. *Archiv fuer kath. Kirchenrecht*, t. 27, Mogunt. 1872, p. CLXXI.

vitandis agatur, assistere parochus non potest, nisi in casu gravissimae necessitatis (1).

Ceterum in supra dictis non agitur de impedimento impediente mixtae Religionis; ad hoc enim requiritur dispensatio S. Sedis.

278. Ex solis denuntiationibus factis non potest certo concludi sponsalia existere, nec dici potest eas esse loco sponsalium; nihil enim hac de re decrevit Tridentinum (2). In nonnullis dioecesibus aut usus habet aut praescriptum est, ut post nupturientium examen et ante proclamationes solemnia coram parocho et testibus sponsalia celebrentur (3).

279. Ubi leges civiles praescribunt ut nupturientes nonnisi post aditum magistratum civilem nuptias in faciem Ecclesiae celebrent, ibi, non obstante hujusmodi legum cum principiis discordia, eas observare oportet, ne gravissima sequantur incommoda (4). Excipitur casus necessitatis, in quo tamen, si per tempus liceat, prius consulendus est Ordinarius.

CAPUT XI.

DE IMPEDIMENTO CLANDESTINITATIS.

280. Quum decretum Tridentinum non obliget nisi post triginta dies inde a speciali in unaquaque parochia publicatione nume-

(1) De assistentia parochi matrimonio peccatorum, praesertim publicorum, aut occulte aut publice eam petentium, et de matrimonio censuratorum, cf. S. Alph. De sacr. in gen. ed. Mechl. n. 54 sq., Gury et Ballerini, t. 2, n. 769, 774 sq., *Vindiciae Alphonsianae*, ed. Rom. 1873, p. 946 sq., ed. Tornac. 1874, t. 2, p. 607, *Nouv. rev. th.* t. 1, p. 483 sqq., t. 14, p. 83 sqq., tr. Mechlin. n. 29, van de Burgt, n. 324 sqq. Quod ad episcopum attinet, cf. S. C. C. in *Moguntina* 28 aug. 1852 (*Thes.* t. 111), coll. Bangen, tit. 2, p. 233 sqq., Kutschker, t. 3, § 178, *Anal. jur. Pont.* ser. 1 col. 704 sqq.

(2) Vid. S. C. C. a. 1574 ad 3, ap. Zambon. l. c. n. 1.

(3) Cf. c. 25.

(4) Vid. sup. n. 30, 35, 71 sq. et inf. c. 35.

randos (1), impedimentum non existit in iis parochiis, ubi publicatio facta non fuit. Si dubia haec est, ex praxi et declaratione Sedis Ap. praesumitur facta, si in parochia jamdiu fuerit decretum observatum, et praecise quidem tamquam decretum Concilii generalis vel R. Pontificis (2).

281. In parochiis igitur, in quibus decretum Tridentinum obligat, ad matrimonii validitatem requiritur, ut ineatur coram parocho proprio et duobus saltem testibus, parocho autem habitationis, id est domicilii vel quasidomicilii alterutrius contrahentis, vel parocho in cujus parochia vagus nunc est (3). Lege autem Tridentina non servata, invalidum matrimonium est, quavis ignorantia non obstante (4).

282. Ne sponsalium quidem vim clandestinum ejusmodi matrimonium habere certum est, si agatur de puberibus, ut liquet ex S. C. C. in *Messinen.* a. 1573 (5), alia ejusdem anni (6), una men-

(1) Vid. n. 194.

(2) Cf. Ben. XIV cit. const. *Paucis abhinc* vs. *Tandem*, et *De syn.* l. 12, c. 5, n. 6-11

(3) Cf. n. 193, 201, 203 sqq. Jam n. 238 tradidimus vagum, nisi contrahat matrimonium coram parocho domicilii vel quasidomicilii alterius partis, debere contrahere coram parocho illius parochiae, in qua actu degit. Quare non potest contrahere coram quovis parocho, licet ejusdem loci, intra limites parochiae, in qua vagus nunc est. Hanc doctrinam, saltem ut probabiliorem, tradere solent auctores; e quibus vid. Schmalzgrueber n. 163 De cland. desp., Wiestner n. 49 sq. eod., Pirhing n. 19 eod., Pichler n. 20 eod., de Angelis t. 3, part. 1, p. 91 sq., *Nouv. rev. th.* t. 3, p. 80. Pauci aliqui cum Sanchez putant vagum valide contrahere coram quovis parocho, etiamsi parochiae diversae ab ea in qua vagus est dum contrahit. Merito autem haec opinio communiter rejicitur; consulenda tamen foret Sedes Ap., si matrimonium sic fuisset contractum.

(4) Vid. S. C. C. in *Parisien. Matr.* 11 dec. 1880 (*Thes. S. C. C.* t. 139, *Anal. jur. Pont.* ser. 20, p. 1045 sqq.).

(5) Ap. Ben. XIV, *Inst. eccl.* 46, n. 23, et litt. 29 dec. 1742 ad card. ep. Vratislavien. (ap. Theiner, *Zustaende der kath. Kirche in Schlesien*, t. 2, Ratisb. 1852, p. 228 sq.).

(6) Ap. Ben. XIV, *Inst. eccl.* 46, n. 23.

sis martii 1587 (1), *Geracen.* seu *Hieracen.* a. 1589 (2), *Nullius* 8 junii 1593 (3), et *Granaten.* (4). Communiter tradunt auctores (5) matrimonium propter impedimentum aetatis invalide initum inter impuberes, vel puberem et impuberem, habere vim sponsalium, etiamsi clandestine initum in loco ubi lex Tridentina obligat; quia, ajunt, jure antiquo matrimonia ob defectum aetatis irrita hanc vim habebant, Tridentinum autem pro iis tantum matrimoniis hunc effectum abrogavit, quae antea censebantur valere; allegant etiam S. C. C. in *Valentina* (6), et in *Viterbien.* mens. jul. 1587 (7). Opponi posset tum decretum Tridentinum contrahentium actus prorsus nullos et irritos declarasse (8), tum generalitas nonnullarum declarationum S. C. C. supra allegatarum, tum aliqua difficultas circa *Valentinam* et *Viterbien.* (9), tum sequens, quam aliqui citant (10), S. C. C. declaratio 4 dec. 1597 : « Congr. Conc.

(1) Ap. secretarium S. C. C. in una *Dubium matr.* 21 nov. 1722 (*Thes. S. C. C.* t. 2). Zambon. v° *Matrimonium* § 17, n. 14, appellat *Bisuntinam.*

(2) Ap. Ben. XIV ll. cc. sup. hoc n. 282 not. 5.

(3) Ap. secret. S. C. C. in cit. *Dubium matr.*, Christoph. Cosci, *De separatione tori conjugalis*, t. 1, c. 14, n. 118, *Acta S. Sedis* t. 2, p. 397.

(4) Ap. Cosci l. c. n. 121, *Acta S. Sedis* l. c.

(5) Inter alios vid. Gonzalez Tellez, n. 5 ad c. *Tuae Nobis*, De despons. impub., Fagn. n. 48 sqq. ad c. *De illis* eod., Schmalzgrueber, n. 123, De cland. despons., coll. n. 61 sqq. De despons. impub., S. Alph. l. 6, n. 841, dicens hanc doctrinam esse communem apud omnes, Baller. ad Gury, t. 2, n. 723 sub I, not., Konings, n. 1612, q. 3, resp. I. Auctores aliquos hanc sententiam tenentes mere refert, non tamen contradicit, de Angelis t. 3, part. I, p. 83 sq.

(6) Cf. Fagn. l. c. Garcia, *De benef.* part. 11, c. 8. n. 23. Gutierrez, *Canonicarum quaestionum* l. 3, seu *Tract. de matr.* c. 2, n. 16, fatetur se hanc declarationem in propriis terminis non vidisse.

(7) Ex Panimollis, *Decis.* 123, adnot. 2, n. 12, ap. Girald. *Expos. jur. Pont.*, part. I, sect. 672.

(8) Cf. Kutschker, t. 2, p. 10 sqq.

(9) Cf. Kutschker l. c.

(10) Farinacius, *Decisiones variae*, decis. 204, Gallemart ad Trid. sess. 24 c. I de ref. matr., Armendariz, *Additiones sive Annotationes ad suam*

censuit, si tempore matrimonii contracti inter Joannem et Martham in aetate minus legitima, malitia aetatis defectum in Martha supplevisset, ex eo utrinque non consummato ortum esse impedimentum publicae honestatis justitiae (quod fortius vinculum est quam id quod provenit ex sponsalibus de futuro); quod si malitia aetatis defectum non supplevit, hujusmodi matrimonium (si modo forma servata Concilii contractum fuit) resolvi in sponsalia de futuro, ex quibus etiam oritur vinculum publicae honestatis justitiae, licet debilius quam illud, quod inducitur ex matrimonio rato non consummato. Itaque utroque casu, ut Joannes cum sorore Marthae matrimonium contrahere legitime possit, opus esse Apostolica dispensatione. » Quum tamen non satis constet de authenticitate hujus declarationis, valde licet perspicuae, a tribus praefatis auctoribus relatae, et argumentis in contrarium allatis responderi possit, communem magnorum auctorum doctrinam reverenter accipimus.

283. In legis suae violatores poenas etiam Tridentinum constituit (1). Parochus vel alius sacerdos qui cum minore testium numero, et testes qui sine parocho vel sacerdote delegato interfuerint, necnon ipsi contrahentes, graviter arbitrio Ordinarii puniri debent. Insuper parochus vel alius sacerdos, sive regularis, sive saecularis, qui, quocumque etiam praetextu privilegii vel immemorabilis consuetudinis, alterius parochiae sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus manet, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Pro regulari igitur haec suspensio substituta fuit loco excommunicationis latae sententiae, quam ante Trid. incurrebat (2). Disputant auctores sitne ea suspensio ab officio tantum, et a quonam, an vero etiam a benefi-

Recopilationem legum Regni Navarrae, Pampelun. 1617, addit. ad l. 4. tit, 15, leg. I, de Matrimoniis, n. 71.

(1) Vid. sup. n. 193.

(2) Clem. 1 *De privil.*

cio (1); videtur esse suspensio ab omni officio, sed ab officio tantum. Quum publicationis faciendae conditio integrum decretum Tridentinum afficere videatur (cf. n. 194), credere licet poenam hanc, nisi aliunde incurratur, non incurri in locis ubi decretum non viget. Nec idcirco locus ibi est excommunicationi supra memoratae, utpote non conservatae per Pii IX const. *Ap. Sedis* 4 Id. Oct. 1869 (2).

284. Parochus sui parochiani matrimonio assistens extra parochiam, vel etiam extra dioecesim, valide assistit. Quum tamen matrimonium iniri debeat publice et cum consuetis solemnitatibus, illicite ita assistit absque licentia parochi hujusve Ordinarii. Licita vero erit assistentia si, casu quo id fieri potest, privatim et sine solemnitate matrimonium contrahatur (3).

285. Quod spectat ad parochi qualitates, fuerunt qui dicerent parochum debere necessario esse sacerdotem, propter verba decreti : « praesente parocho, vel alio sacerdote. » Verumtamen a parocho vel Ordinario delegatus debet necessario esse sacerdos, non vero ipse parochus. Parochi enim Tridentinum simpliciter meminit; parochus autem esse quis potest, licet non sit sacerdos. Praeterea matrimonio assistere non est actus Ordinis nec ab Ordine pendens. Assistentia parochi praeter testium praesentiam requiritur, ut propter authenticum parochi testimonium major fides habeatur de matrimonio contracto. Vox autem *alio* non est necessario repetitiva similis qualitatis, sed an talis sit, ex subjecta materia desumi debet, ex qua illud hic non desumi modo allatae rationes demonstrant. Diserte demum rem declaravit S. C. C. variis resolutionibus (4).

(1) Cf. Girald. op. cit. part. 1, sect. 891, van de Burgt, n 249, sub *b*.

(2) Cf. Avanzini commentarium in hanc const., ed. man. 5, Rom. 1878, p. 115 sq. seu not. 74.

(3) Cf. Fagn. n. 33 ad. c. *Quod Nobis*, De cland. desp., Girald. op. cit. part. 1, append. 1 ad. l. 4 Decr., versus finem, Soglia, *Inst. jur. priv. eccl.* ed. Buscod. 1857, § 191.

(4) Ap. Fagn. n. 8 ad c. *Praeterea*, De aet. et qual. et ord. praefic., Girald. op. cit. part. 2, sect. 115, n. 19.

286. Valet etiam matrimonium contractum coram parocho poenis canonicis obstricto; quod quidem pro certo habent omnes, quamdiu non est vitandus. De vitando disputatur; valorem tamen esse propugnandum probatur auctoritate S. C. C. (1), et ratione; nam vitandus non amisit suum titulum seu beneficium, et consequenter remanet in eo qualitas a Trid. requisita, et assistere matrimonio non solum non est actus Ordinis, sed nec jurisdictionis; assistit enim parochus tamquam testis auctorizabilis seu qualificatus a Trid. requisitus.

Communiter tamen traditur invalidum esse matrimonium contractum coram parocho, qui factus est haereticus publicus et declaratus (2).

287. Valet quoque matrimonium contractum coram parocho, cui fuit interdicta administratio Sacramentorum vel speciatim assistentia matrimonialis, nisi tamen prohibitio hujusmodi cum decreto irritante facta fuerit a Rom. Pontifice (3).

288. Valide etiam assistit parochus, qui jus quidem ad beneficium amisit, ex. gr. propter non susceptum intra annum sacerdotium, vel propter acceptum aliud beneficium incompatibile cum priore, nondum tamen privatus est possessione.

289. Idem dicendum de matrimonio contracto coram parocho amovibili, licet suspenso, vel cui fuit interdicta administratio, dummodo non fuerit omnino revocatus. In postremo enim hoc casu nullum amplius titulum nec possessionem legalem haberet, et consequenter invalidum foret matrimonium, nisi ageretur de parocho putativo, de quo inf. n. 291.

290. Validum etiam videtur matrimonium contractum coram eo, cui parochia fuit collata, sed nondum tradita possessio; dum-

(1) Ap. Fagn. n. 26 ad c. *Literae quas*, De matr. contracto contra interd. Eccl., et n. 81 ad c. *Quod a Praedecessore*, De schism.

(2) Cf. Reiff. n. 260 sqq. *De haer.*, Carr. n. 1313, *Études de théol.* Par. 1860 p. 324, Perron. *De matr. christ.* ed. Rom. t. 2 p. 287 sq.

(3) Cf. Ben. XIV, *De syn.* l. 12, c. 5, n. 2 sq., et l. 13, c. 23, n. 1 sqq.

modo tamen ex peculiari statuto vel consuetudine traditio possessionis non sit pro ipsius collationis validitate necessaria conditio (1).

291. Denique valet matrimonium contractum coram parocho putativo, id est, qui revera parochus non est, sed esse creditur errore communi, cui suffragatur titulus coloratus. Non solum errorem communem sufficere, sed insuper requiri titulum coloratum communiter traditur; sunt tamen graves auctores, qui solum errorem communem sufficere opinantur. Prior quidem doctrina in praxi servanda est, quum eam sequi soleat Sedes Ap. (2); posterior tamen tanti esse videtur ut ad Sedem Ap. sit recurrendum in casu matrimonii contracti coram eo, cui solus error communis favebat. Ex ea quaestione pendet haec alia, an aliquando possit esse validum matrimonium initum coram intruso, id est qui parochiam non obtinuit a legitima auctoritate (3).

292. Praedicta omnia de valore asserta fuerunt; in nonnullis enim ex indicatis casibus illicite matrimonium iniretur, et praesertim quando prohibita est communicatio cum parocho in divinis (4).

293. Matrimoniis subditorum assistere possunt non tantum parochi, vicarii perpetui, aliique loco parochi constituti, sed eorum etiam Ordinarii, episcopus postquam cepit possessionem (episcoporum administrationi hanc conditionem posuit Sedes Ap.), vicarius generalis (5), omnes denique episcopalem vel quasi episco-

(1) Cf. Kutschker, t. 4 p. 381, *Nouv. rev. théol.* t. 4, Tornac. 1871, p. 559 sqq. coll. p. 555.

(2) Vid. Pii VI Instr. *Laudabilem* 26 sept. 1791 ad epp. Gallos (ap. Moser, Append. n. 6).

(3) Cf. Carr. n. 1237, 1318 sqq., Soglia l. c., Kutschker, t. 4 p. 383 sqq., *Études de théol.* l. c., van de Burgt, n. 222, tract. Mechlin. n. 88, Giovine, t. 1 p. 583 sq. 586 et cit. Pii VI Instr. *Laudabilem.*

(4) Cf. Moser, c. 17, n. 27.

(5) De eo vid. S. C. C. in *Segnen. Matr.* 22 sept. 17 nov. 1736 (*Thes.* t, 7).

palem jurisdictionem habentes in populum, ad quem alteruter saltem nupturientium pertinet, et qui idcirco nomine Ordinarii loci comprehenduntur. De eorum igitur assistentia eadem dicito, quae de parochis.

294. Qui possunt ipsi matrimonio assistere, alteri etiam, sacerdoti tamen (n. 285), id committere possunt, etiamsi censuris constricti (1); quae enim (n. 286 sqq.) de personali assistentia fuerunt exposita, ea pariter sunt applicanda facultati alterum deputandi. Quamquam commissio assistendi matrimonio solet delegatio appellari, iterum tamen monemus eam non esse actum Ordinis nec proprie dictae jurisdictionis, sed actum quo testis qualificatus alium sibi substituit vi facultatis a jure et Conc. Trid. sibi impertitae (n. 185).

295. Ejusmodi commissio valide datur sive per generale sive per speciale mandatum. Parochus tamen cavere debet ne absque justa (2), Ordinarius vero ne absque valde gravi causa (3) alteri munus assistendi committat.

296. Generale mandatum absque dubio habent ii, quibus ab Ordinario committitur cura parochiae vacantis (4), vel cujus re-

(1) Imo vitandus, quamquam illicite assistit, licite tamen delegat.

(2) Ben. XIV in § 9 const. *Nimiam licentiam* 18 maii 1743 (*Bullar. Ben. XIV* t. 1, const. 85, ed. Mechl. vol. 2, p. 129) requirit ut parochus sit « legitima gravissimaque de causa impeditus. » Praxis tamen generalis, cui consonat communis loquendi modus auctorum, rationabilem tantum causam postulat. Pro vicariis saltem parochorum non requiri gravissimam opinatur *Nouv. rev. th.* t. 3. p. 217 sqq. Equidem puto Benedictum in cit. const., quamquam generaliter loquitur, ad severiorem scribendi modum fuisse adductum per magnos abusus vigentes in Polonia, ad cujus episcopos scribebat.

(3) Cf. sup. in 237, Giovine t. 1, p. 591 sq. Ben. XIV in § 12 cit. const. requirit « ineluctabilem necessitatem. » Alibi autem pro matrimoniis licet occultis seu conscientiae gravem tantum causam postulat; cf. n. 345 sub 1°.

(4) S. C. C. in *Aquen. Oeconomi curati* 9 maii, 12 sept. 1874, ad dub. « An Oeconomus curatus, vacante parochia, ab Episcopo constitutus, in

ctor est absens vel impeditus quominus munus suum implere queat; item is cui generaliter fuit commissa administratio Sacramentorum, dummodo assistentia matrimonialis non fuerit excepta (1). Quum autem vicarii seu cooperatores parochorum non ubique ita constituantur ut eis generalis illa Sacramentorum administratio sit ab Ordinario attributa, vel saltem non ubique in generali Sacramenta ministrandi commissione censeatur comprehensa assistentia matrimonialis, idcirco in singulis dioecesibus indagandum est, quo modo illi nominentur; in multis dioecesibus, et certe in Belgio, indigent facultate a parocho obtenta (2). Parochus potest generalem quoque vicario suo dare commissionem, sed improbandum est si parochus alicui generale hujusmodi det mandatum, ut, se licet non absente nec impedito, omnia parochialia peragere queat (3).

297. De deputatione ad assistendum matrimonio (4) nonnulla insuper sedulo notare oportet.

vim dispositionis Conc. Trid. sess. 24, c. 18, possit alium sacerdotem delegare ad omnia officia, vel ad aliquos tantum actus, » die 12 sept. respondit : « Affirmative ad primam partem nisi obstet voluntas Ordinarii. » Ap. *Acta S. Sedis* t. 8, p. 129 sqq., *Anal. jur. Pont.* ser. 13 col. 479 sqq., *Nouv. rev. th.* t. 7, p. 118 sqq.

(1) Cf. Girald. op. cit. part. 2, sect. 115, n. 22, ubi citatur S. C. C. in *Aquinaten.* 10 junii 1591 et in *Nullius* 16 mart. 1630.

(2) Cf. S. C. C. in *Romana Matr.* 12 maii, 23 junii, 2 jul. 11 aug. 1 sept. 1753 (*Thes.* t. 22), *Faventina Matr.* 22 jul. 1758 (Ib. t. 27), *Bosanen. Vis. SS. LL.* 19 sept. 28 nov. 1789, 19 dec. 1795 (Ib. t. 58 et 64), *Turritana Matr.* 13 junii, 19 dec. 1795 (Ib. t. 64), *Ceneten. Jurium parochialium* 19 apr. 1834 (Ib. t. 94), *Melevitana Null. matr.* 22 junii 1839 (Ib. t. 99), *Cremonen. Jurium parochialium* 26 jul. 1879 (Ib. t. 138, *Anal. jur. Pont.* ser. 18 col. 1091 sqq.); Carr. n. 1344, Bangen, tit. 3 p. 9 sq., Kutschker, t. 4 p. 369 sqq., van de Burgt, n. 245 sub 2, Bouix, *De parocho*, p. 651 sq., tract. Mechlin. n. 88, Gury ed. Baller. t. 2 n. 850, *Anal. jur. Pont.* ser. 2 col. 1878 sqq., *Rev. théol.* t. 3 p. 177, *Nouv. rev. théol.* t. 1, p. 177 sqq., t. 3, p. 254 sqq.

(3) Vid. S. C. C. in citt. *Bosanen.* et *Turritana;* Bangen tit. 3 p. 8 sq.

(4) Ex causis S. C. C. de hac deputatione vid. *Olinden. Matr.* 22 maii

1° Numquam sufficit licentia praesumpta nec superveniens ratihabitio. Tacitam vero tunc sufficere tradunt multi, quando parochus praesens est et non contradicit quum contradicere facile possit (1); aliqui vero (2) ne hunc quidem casum admittunt ob nonnullas S. C. C. declarationes (3), quibus censuit non sufficere tacitam licentiam, quae resultat ex tolerantia, sed requiri vel commissionem generalem administrandi omnia Sacramenta, vel, si haec non adsit, specialem et expressam licentiam. Praeterea, non suffecisse tacitam licentiam, quae praetendebatur ex eo, quod canonicus, qui matrimonium celebraverat, dicebatur sciente et patiente Patriarcha solitus Sacramenta administrare. Priores quidem auctores censent in proposito casu parochi praesentis licentiam tacitam esse ejusmodi ut aequivaleat expressae; consulenda tamen foret Sedes Ap. de matrimonii validitate.

2° Valet licentia data ex metu; ob dolum autem vel errorem tunc tantum videtur irrita quando in ipsis personis erratur (4).

3° Quamquam dari potest licentia sive scripto sive oretenus, longe tamen melius scripto datur.

4° Sedulo attendi debet, fueritne data ad certum tempus vel sub conditione aut limitatione, et an hujusmodi restrictio posita fuerit tamquam vera conditio sine qua non.

5° Nullum est matrimonium, si data fuerit licentia, sed ignorata a sacerdote assistente (5). Sunt tamen qui valorem propu-

1875 (*Acta S. Sedis* t. 8, p. 667 sqq., *Anal. jur. Pont.* ser. 15 col. 87 sqq.), *Tarraconen. Matrimoniorum* 4 sept. 1875 (*Anal. jur. Pont.* ser. 15, col. 244 sqq.).

(1) Cf. de Angelis t. 3, part. 1, p. 99, Giovine, t. 1, p. 586, Ferrari, t. 2, n. 407.

(2) Cf. van de Burgt, n. 246.

(3) Eas refert Fagn. n. 31 sq. ad c. *Quod Nobis*. 2, De cland. desp.

(4) Vid. S. C. C. in cit. *Olinden. Matr.* a. 1875.

(5) Vid. S. C. C. in *Nullius* 15 apr. 1625, (ap. Girald. op. cit. part. 2, sect. 115, n. 14, Zambon. v° *Matr.* § 19, n. 1 sq. ubi tamen dicit esse 15 apr. 1628), et in *Colonien.* 5 dec. 1626 (ap. Zambon. ib. init. § 19).

gnent si non inscio, sed sive petente sive petitionis conscio sacerdote assistente, parochus licentiam dederit; propter generalitatem vero declarationum S. C. C. contra eos sentiendum videtur. Quod si non per nuntium concedentis vel ex ejus intentione, sed casu sacerdos assistens noverit datam esse licentiam, abstinere quidem debet, validum tamen fore matrimonium videtur, dummodo non merum concedendi propositum sed vera concessio adfuerit.

Tradi solet acceptationem commissionis ad valorem requiri quando deputatus non est subditus deputantis, non vero quando hujus subditus est. Sed otiosa videtur haec quaestio; si enim assistat, utique acceptat; si vero non assistat, quid juvat ea quaestio?

6° Valida est licentia ut contrahatur matrimonium coram quolibet, quem contrahentes maluerint, sacerdote (1); est tamen valde improbanda.

7° Requiritur ut non fuerit revocata; invalidum tamen matrimonium non erit, nisi revocatio ante nuptias a parte ipsius delegantis innotuerit deputato; plures tamen excipiunt casum quo uterque contrahens eam noverit (2). Per mortem delegantis vel alium modum amittendi officium non cessat delegatio, si res non est integra, nec, re licet integra, si deputatus ante nuptias ignoravit mortem deputantis vel aliam ejus officii amissionem. Extra posteriorem hunc casum delegationem, re integra, cessare alii affirmant, alii negant (3); matrimonio nondum contracto, videtur abstinendum; contracto autem matrimonio, recurrendum ad Sedem Ap.

8° Delegatus non potest alteri dare potestatem subdelegandi. Attamen qui ad universitatem causarum est delegatus, is potest

(1) Vid. S. C. C. 15 junii 1586, ap. Fagn. l. c. n. 32.
(2) Cf. Carr. n. 1340, Kutschker, t. 4 p. 497, Bangen, tit. 3 p. 13.
(3) Cf. Carr. n. 1341, Kutschker, t. 4 p. 497 sq., Bangen l. c.

subdelegare ad casum particularem (1), nisi haec facultas ei fuerit negata. Delegatus ad casum particularem nequit subdelegare, quamquam potest primus delegans ei facultatem concedere permittendi alteri ut assistat nomine primi delegantis.

9° Valet matrimonium contractum coram delegato a parocho, etiamsi et quocumque modo Ordinarius illi delegato prohibuerit assistentiam (n. 287).

10° Delegatus valide assistit etiam extra parochiam vel territorium delegantis (n. 284), nisi conditioni contrariae licentia fuerit expresse alligata.

298. Praeter parochi vel delegati sacerdotis assistentiam, Conc. Trid. pro valore exigit duorum saltem testium praesentiam. Ad valorem autem matrimonii sufficit ut sint ejusmodi, qui de facto matrimonii contracti testari queant (2), neque ulla peculiaris alia qualitas in iis postulatur; quamquam nonnulli illicite ut testes admitterentur, ex. gr. acatholici ubi catholici haberi possunt. Cavendum etiam ne adhibeantur vagi. Quosnam testes admittere non liceat, statuta dioecesana indicare solent.

299. Qualis debet esse parochi testiumque praesentia? Ut valeat matrimonium opus non est ullo positivo actu parochi vel delegati sacerdotis; sed sufficit ut coram eo et testibus mutuus consensus sive verbis sive signis a nubentibus exprimatur. At pro valore requiritur, ut testium praesentia non sit successiva, sed *simultanea* cum praesentia parochi. Nec sufficit parochi et testium praesentia physica, sed requiritur *moralis* seu modum humanum habens, ita ut intelligant matrimonium contrahi. Hoc autem fieri nequit, nisi videndo contrahentes, et audiendo verba vel percipiendo signa consensum exprimentia, vel saltem, si contrahentes non videantur, audiendo notam consensum mutuum emittentium vocem. Quibus deficientibus, invalidum est matrimonium, excepto

(1) De deservitore parochiae vacantis vid. S. C. C. in *Aquen.* (sup. n. 296).

(2) Cf. Téphany, *Traité des dispenses matrimoniales*, Par. 1875, n. 595.

casu quo parochus affectavit non intelligere. Illis vero non deficientibus, valet matrimonium, etiamsi parochus non fuerit ad eum finem accersitus, sed falso nomine ad id fraudulenter inductus, vel casu praesens, vel etiam invitus aut vi compulsus. Eadem dicito de testibus (1). Necesse tamen est ut parochus fuerit *formiter* seu uti talis a partibus adhibitus (2); id est, ut ex circumstantiis pateat et parochus advertat, eas revera voluisse ejus praesentia uti ad nuptias coram eo incundas. Fatendum est hanc necessitatem satis deduci ex ipsa necessitate praesentiae moralis, ideoque videri posse formalem illam praesentiam in circumstantiis indicatis contineri in morali. Sic, quod ad rem attinet, facile auctores inter se conciliantur ubi disputant, an interpellari seu moneri parochus debeat; id quidem non requiritur, sed in ejusmodi circumstantiis utique aderit et adesse debet aliquod sive verbum sive signum, quo parocho significetur animus matrimonium revera coram eo contrahendi; et hoc ipso habetur formalis ejus praesentia quae secus deesset.

300. Spectatis iis quae numero praecedenti dicta fuerunt, difficultas oritur quoad matrimonium contractum per interpretem vel procuratorem vel literas. Sunt qui velint per interpretem contrahi non posse, quum parochus et testes tunc nequeant attestari consensum vere datum, ideoque matrimonium vere contractum. Merito tamen alii ab iis dissentiunt; nam ceteri quoque contractus ita fieri possunt, et non ex verbis tantum, sed ex signis etiam de matrimonio vere contracto constare potest (3).

(1) Cf. Ben. XIV, *De syn.* l. 13, c. 23, n. 1, 4-6, 10 sq., Kutschker, t. 4 p. 514 sqq., Bangen, tit. 3 p. 25-30, 36, van de Burgt, n. 252 sqq., Gury et Baller, t. 2 n. 851 sq., Ferrari, t. 2, n. 407 sq., Giovine, t. 1 p. 584 sq., Soglia § 191.

(2) Cf. Ben. XIV l. c. n. 5 coll. n. 1, Carr. n. 1263 sq., Kutschker. t. 4 p. 518 sq., Bangen, tit. 3, p. 25, van de Burgt, n. 256 sqq., Gury et Baller. t. 2, n. 851, Ferrari l. c.

(3) Cf. Ben. XIV, *De syn.* l. 13, c. 23, n. 9, ubi tamen nihil pronuntiat, Carr. n. 1260, tract. Mechlin. n. 90, Verricellus, *De apostolicis missionibus*, q. 180 sq.

Certum est posse matrimonium, servatis servandis, contrahi per procuratorem; propter rei tamen gravitatem parocho numquam licet ad illud procedere, nisi de licentia Ordinarii et gravi de causa (1).

Per literas etiam, servatis servandis, contrahi potest; quum tamen res sit valde ardua et periculosa, illud facere non licet absque gravi causa et Ordinarii licentia (2).

301. A lege Trid. de clandestinitate nonnullae causae liberant.

1° Defectus publicationis, vel saltem observantiae decreti tamquam legis Conc. generalis vel Sedis Ap. (n. 280). Quando parochia, in qua decretum Trid. viget, deinde dividitur in duas, in nova parochia opus non est nova publicatione. Quodsi parochiae, in qua decretum viget, adjungatur locus, in quo nondum obligabat, vel si parochiae, in qua non obligat, adjungatur locus in quo obligabat, juxta praxim, quam in aliis quoque negotiis ecclesiasticis servare consuevit Sedes Ap., locus adjunctus in priori casu liber est a decreto, nisi nova promulgatio fiat, in posteriori vero manet decreto ligatus. Nec sufficit publicatio facta a parocho sine mandato episcopi (3).

302. 2° Diuturna desuetudo seu non observantia, ut liquet ex Pii VII brevi 8 oct. 1803 ad archiep. Moguntinum (inf. n. 314). Quum tamen dubium sit quodnam temporis spatium ad hoc re-

(1) Vid. S. C. C. in *Eugubina seu Perusina Matr.* 25 januar. 26 apr. 5 jul. 1727 (*Thes.* t. 4), *Neapolitana Matr.* 7 jul. 1735 (Ib. t. 7), *Florentina Matr.* 10 sept. 1853, 28 januar. 18 mart. 29 jul. 1854 (Ib. t. 112 et 113), *Neapolitana Matr.* 7 apr. 1883 (*Acta S. Sedis* t. 16, p. 10 sqq.). Cf. Ben. XIV l. c., Carr. n. 1261 coll. n. 133 sqq., Kutschker, t. 4 p. 321 sqq., Bangen, tit. 3 p. 33 sqq., van de Burgt, n. 411, tract. Mechlin. n. 33, de Angelis, t. 1, part. 2, p. 356 sqq.

(2) Cf. secret. S. C. C. in *Januen. Matr.* 10 jul. 1728 (*Thes.* t. 4), cit. *Neapolitana Matr.* a. 1883, Carr. n. 148, Kutschker, t. 4 p. 99 sqq., Bangen, tit. 3 p. 32, van de Burgt, l. c.

(3) Cf. Konings, n. 1606, *Nouv. rev. th.* t. 13, p. 553.

quiratur et sufficiat, in casibus particularibus consulenda est Sedes Ap. (1).

303. 3° Physica vel moralis decretum observandi impossibilitas, scil. quando parochus aliusve competens adiri non potest, vel nonnisi difficillime et cum gravi periculo, ut facile contingit tempore persecutionis vel in regionibus infidelium; item ob prohibitam cum parocho communicationem in divinis casu quo Ordinarius etiam vel delegatus adiri non potest. Aequitati hoc consonum est, quum lege clandestinitatis fideles reddantur absolute inhabiles quoad omnes; aliis vero impedimentis existentibus, aliam sibi personam eligere queant. Duorum tamen testium praesentia pro valore matrimonii necessaria est; curandum autem, quantum fieri potest, ut adhibeantur testes catholici. Pluribus haec constant Sedis Ap. declarationibus (2). S. Officium fer. IV, die 1 jul. 1863 episcopo Vallispratensi declaravit : « Quando difficilis nec tutus est accessus et ignoratur quandonam parochus haberi possit, et praevidetur spatio saltem unius mensis a loco abfuturus, nullusque alius sit, qui vices parochi suppleat, matrimonium valere absque praesentia parochi, servata tamen in eo, quo potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus (3). » Anno 1839 testatus est ep. S. Ludovici in America Septemtrionali (4) : « De-

(1) Cf. Perron. *De matr. christ.* ed. Rom. t. 2, p. 253, S. Off. 14 dec. 1859 et S. C. de Prop. Fide, ap. Konings, t. 2, p. 395, *Nouv. rev. th.* t. 13, p. 549.

(2) Cf. Ben. XIV *De syn.* l. 12, c. 5, n. 5, Perron. l. c. p. 282 sqq., Giovine, t. I p. 588 sqq., Pii VI litt. 28 maii 1793 ad ep. Lucionen. (ap. Moser, App. n. 7), resp. 5 oct. 1793 ad ep. Geneven. (Ib. n. 8), resp. Congr. particularis pro negotiis eccl. gallic. 22 apr. 1795 (Ib. n. 9), coll. instruct. card. Caprara 25 apr. 1803, part. I sub 1° et 2° (Ib. n. 16), S. C. de Prop. Fide instruct. 17 januar. 1821 (sup. n. 202).

(3) Ap. Konings, t. 2, p. 395, et cf. Ballerin. ad Gury, n. 840, q. 4, resp. 1.

(4) Cf. *Mél. théol.* ser. 3, p. 340 sq. Operae tamen pretium foret ampliorem habere notitiam circumstantiarum quae in isto documento indicantur, praesertim quoad regularem visitationem a missionario factam. Dicta de uno mense hic quoque applicentur.

claratum fuisse a Summo Pontifice matrimonia celebrata, etiam inter duas partes catholicas, sine praesentia sacerdotis, iis in locis ubi sacerdos residere habitualiter non solet, etiamsi regulariter a missionario visitentur, et etiamsi non longe distent a loco ubi sacerdos residet, valida esse, quamvis illicita forent, si facile sacerdotem habere possent. »

304. Quamquam non deest qui casui etiam particulari praefatam impossibilitatis hypothesim convenire opinetur (1), merito tamen tradi solet (2) eam non subsistere, nisi impossibilitas sit generalis in loco. Imo hac ipsa existente, nihilominus lex Tridentina dicenda est ligare eum, pro quo parochum vel Ordinarium vel alterutrius delegatum adeundi impossibilitas non existit (3). Praeterea haec ipsa non videtur sufficere, si per literas saltem obtineri possit delegatio alteri sacerdoti assistentiam committens (4).

305. Convenit ut in ejusmodi casu impossibilis recursus alius saltem, qui haberi potest, sacerdos pro benedictione accipienda adhibeatur (5). Quod si contractum jam coram solis testibus matrimonium fuerit, hortandi sunt fideles ut postea a parocho aliove sacerdote benedictionem nuptialem accipiant; is vero sedulo monere debet hanc benedictionem non pertinere ad valorem conjugii, ideoque non est permittendum ut rursus consensio per nova verba exprimatur (6).

(1) Cf. Ballerin. ad Gury, l. c. resp. 2.

(2) Cf. Pichler n. 12 sq. *De cland. desp.*, Gury l. c., Giovine, t. 1, p. 591, *Vindiciae Alphonsianae* ed. Tornac t. 2, p. 471 sqq.

(3) Cf. Carr. n. 1210.

(4) Cf. Gury, n. 843.

(5) Vid. citt. Sedis Ap. responsa 22 apr. 1795 pro Gallia, et cf. Moser, c. 17, n. 24 sq.

(6) Vid. Pii VI cit. litt. 5 oct. 1793 ad ep. Geneven., resp. 22 apr. 1795 pro Gallia, cit. card. Caprara instruct. l. c. sub 1°, S. C. de Prop. Fide instruct. 17 januar. 1821 (sup. n. 202), in qua obligandi etiam fideles dicuntur, quod quidem peculiaribus circumstantiis videtur adscribendum.

306. Non pauci sustinuerunt Ecclesiam non velle ut impedimento clandestinitatis afficiantur matrimonia ab haereticis inter se contracta. Verumtamen doctrinam hanc adeo generaliter positam esse falsam, multa probant Sedis Ap. documenta, quibus hujusmodi matrimonia invalida declarata saepe fuerunt (1). Hinc plerique ex praefatis auctoribus validitatem matrimoniorum ab haereticis inter se clandestine contractorum in locis, ubi decretum *Tametsi* viget, non propugnant nisi pro quibusdam circumstantiis, quarum praecipua est si haeretici non tantum hic illic dispersi inter catholicos, sed numero plures sint, ac tam libere ea quae sectae suae sunt exequantur, ut veluti distinctam et a catholicis separatam constituant societatem cum propriis coetibus religiosis. Sunt vero alii non pauci, qui in his quoque circumstantiis haereticos non esse a decreto *Tametsi* liberos opinantur, nisi Pontificia voluntate id expresse constet. Est praeterea alia inter auctores dissensio, utrum nempe mixta quoque seu inter partes, quarum catholica una est, altera haeretica, clandestine contracta matrimonia eo ipso valida sint, quod haereticorum inter se matrimonia valeant; an vero id minime sequatur, et, non obstante validitate matrimoniorum inter haereticos contractorum, mixtorum tamen matrimoniorum valor asseri nequeat, nisi peculiaris in hoc sensu existat Sedis Ap. dispositio. Praecipuum in his controversiis locum habet Ben. XIV declaratio de matrimoniis Hollandiae.

307. In Hollandia catholicos certo obligabat decretum Trid., sed dubium movebatur de matrimoniis haereticorum inter se vel cum catholicis. Hoc dubium solvit Ben. XIV per Declarationem 4 nov. 1741 (2) decernendo 1° valere matrimonia inita vel ineunda inter duos conjuges haereticos sine catholici parochi praesentia, in locis foederatorum Ordinum Hollandiae dominio subjectis (§ 2).

(1) Cf. quae allegavimus in op. *De matr. mixtis*, Lovan. 1847, p. 100 sqq.

(2) *Bullar. Ben. XIV*, t. 1 const. 34; ed. Mechl. vol. 1 p. 178 sqq.

2° Idem dicendum esse de matrimoniis mixtis, scil. inter partes haereticam unam, catholicam alteram (§ 3). 3° Idem quoque dicendum esse de matrimoniis haereticorum inter se vel mixtis, quae extra fines dominii foederatorum Ordinum contrahuntur ab iis, qui addicti sunt legionibus seu militaribus copiis, quae ab iisdem foederatis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas muniendasque arces conterminas, vulgo dictas *de barrière*, dummodo tamen uterque conjux ad easdem copias sive legiones pertineat. Hanc autem declarationem complecti etiam civitatem Mosae Trajectensis, a republica foederatorum Ordinum non jure dominii, sed tantum oppignorationis, ut ajunt, nomine possessam (§ 4). 4° Quod attinet ad matrimonia, quae in catholicorum principum regionibus inciuntur ab iis, qui domicilium habent in regionibus foederatorum Ordinum dominio subjectis, nec non illis, quae in provinciis foederatis contrahuntur ab iis, quorum domicilium situm est in dominio principum catholicorum, quaestionem solvendam esse ex canonici juris regulis jam pridem constitutis de iis qui, relicta regione in qua domicilium habent, nec novo alibi domicilio vel quasidomicilio adhuc acquisito, matrimonium ibi contrahere cupiunt (§ 5; cf. sup. n. 211 sq. et in fine hujus Capitis).

308. Haec Ben. XIV decisio non est dispensatio, sed declaratio (1), absque dubio innixa circumstantiis, in quibus haeretici in Hollandia erant; nam ipse Benedictus alibi scribit haereticos ibi a lege Trid. liberos esse tum ratione loci, in quo habitant, tum ratione societatis, in qua vivunt (2), et declarationem a se editam fuisse quia « ex verissimis... argumentis conjecturisque probatum est, Concilium Tridentinum, quum novum illud dirimens impedimentum constituit, decretum suum ad ea matrimonia non extendisse, quae disceptationi a Nobis an. 1741 solutae occa-

(1) Cf. cit. op. *De matr. mixtis*, p. 141 sqq.
(2) *De syn.* l. 6, c. 6, n. 12.

sionem dedere (1). » Ex his concludere fas est, ubi loci et societatis circumstantiae sunt eaedem, quae tunc erant in Hollandia, ibi quoque de matrimoniis haereticorum dicendum esse quod pro Hollandia Ben. XIV declaravit. Attamen dubium praecise manet quaenam sint illae loci et societatis circumstantiae, quaenam illa verissima argumenta et conjecturae. Quapropter saepius edixit Sedes Ap. declarationem Benedicti non posse aliis regionibus applicari, nisi hoc ipsa S. Sedes pronuntiaverit, et Benedictinam declarationem ad eas regiones extenderit (2). Donec igitur factum hoc fuerit, revera quidem valida ibi praefata matrimonia sunt simul ac eaedem, quae tunc in Hollandia erant, circumstantiae existunt, authentice tamen de valore non constat, ideoque in praxi is tuto affirmari non potest absque recursu ad Sedem Ap., et vice versa in dubio de circumstantiarum sufficientia non potest etiam tuto sine ejusmodi recursu matrimonium haberi pro irrito.

309. Longa itaque de validitate matrimoniorum ab haereticis initorum disputatio impune, imo opportunius hic omittitur, quum manifestum sit ejusmodi matrimonia non posse de facto generaliter dici invalida nec generaliter valida, sed eorum validitatem omnino pendere ex circumstantiis, in quibus haeretici versantur. Si vero quaeratur quaenam videantur fuisse illae loci et societatis circumstantiae, praebentes verissima argumenta et conjecturas, quibus probetur Patres Tridentinos noluisse matrimonia haereticorum in ejusmodi circumstantiis decreto suo comprehendere, certo quidem et adaequate assignari nequeunt, fatendum tamen est unam e praecipuis videri illam, quam juxta dicta n. 306 plures indicant.

310. Hujus rei indicium habetur 1° in causa matrimoniorum ducatus Cliviensis. Refert card. Pacca (3) se, dum erat Nuntius

(1) § 17 const. *Singulari Nobis*, cit. sup. n. 24.

(2) Cf. cit. op. *De matr. mixtis*, p. 122 sqq., Perron. *De matr. christ.* ed. Rom. t. 2 p. 222 sqq.

(3) *Memorie storiche di Monsig. B. Pacca sul di lui soggiorno in Germania dall' anno* 1786 *al* 1794, Romae 1832, p. 99.

Apostolicus Coloniae, in sua de iis informatione et voto ostendisse easdem in ducatu Cliviensi existere rationes, propter quas suam pro Hollandia Declarationem dederat Benedictus. In hac autem relatione (1) Nuntius, presse secutus enumerationem motivorum, quae teste Ben. XIV (2) in causa matrimoniorum Hollandiae allegaverant consultores et qui in Congregatione convenerant, ostendit eadem existere pro ducatu Cliviensi, easdem ibi esse circumstantias, et consequenter ad eum esse extendendam Benedictinam Declarationem. Idem praestitum reperitur a Secretario S. C. C. in suis pro causa Cliviensi adnotationibus. Apud utrumque tam distinctarum societatum, quam mentis Tridentinorum Patrum, praecipua mentio est, positis etiam decreti *Tametsi* in ducatu Cliviensi publicatione et observantia. His ita peractis et discussis, Pius VI Declarationem Benedictinam ad ducatum illum extendit eadem forma, qua usus fuerat Benedictus, approbando scil. S. C. C. declarationem.

311. 2° Quando apud Pium VII instabat imperator Napoleo pro obtinenda declaratione nullitatis, saltem propter clandestinitatem, matrimonii a Napoleonis fratre Hieronimo cum acatholica inita Baltimori in statibus foederatis Americae Septentrionalis, his verbis negativam dedit Pontifex responsionem 27 junii 1805 (3) : « *Cet empêchement vient du concile de Trente ; mais la disposition du même concile n'a lieu que dans les pays où son fameux décret... a été publié, et même dans ce cas, il n'a lieu qu'à l'égard des personnes pour lesquelles on l'a publié... Le décret du concile de Trente n'y ayant pas été publié* (4), *sa disposition de la nécessité*

(1) Reperitur in causa *Dubia super matrimoniis inter catholicos, et haereticos Cliviensis ducatus* 15 junii 1793 (*Thes. S. C. C.* t. 62).

(2) *De syn.* l. 6, c. 6, n. 11-14.

(3) Ap. Artaud, *Hist. du Pape Pie VII*, t. 2, c. 6 ; cf. sup. n. 44. De hoc matrimonio cf. Kutschker, t. 1, p. 115 sqq., qui ib. p. 119 sq. refert dispensationem in mixta religione concessam a card. Caprara 21 aug. 1807 pro alio Hieronimi matrimonio cum filia regis Wurtembergensis.

4) Baltimori.

de la présence du curé ne peut y avoir lieu, et aussi par une autre raison qui est que, quand même cette publication y eût été faite, on ne l'aurait faite que dans les paroisses catholiques, s'agissant d'un pays originairement acatholique, de sorte qu'on ne pourrait jamais en déduire la nullité d'un mariage mixte, c'est-à-dire entre un catholique et une hérétique, à l'égard de laquelle la publication n'est pas censée être faite. Ce principe a été établi par un décret de notre prédécesseur Benoît XIV au sujet des mariages mixtes contractés en Hollande et dans la Belgique confédérée. Le décret n'établissant pas un nouveau droit, mais étant seulement une déclaration, comme porte son titre (c'est-à-dire un développement de ce que ces mariages sont en réalité), on comprend aisément que le même principe doit être appliqué aux mariages contractés entre un catholique et une hérétique dans un pays sujet à des hérétiques ; quand même parmi les catholiques y existants on aurait publié le susdit décret. »

312. 3° Vicarius Trevirensis ad Pium VII scripserat de incommodis, quae ex civilibus circa matrimonia mixta statutis oriebantur. Pontifex autem in brevi *Quae tuis litteris* 23 apr. 1817 (1) rescripsit quidem, sine peculiari Ap. Sedis decreto aliis regionibus applicari non posse Benedictinam Declarationem, simul tamen, quum cogitare videretur de ea ad dioecesim Trevirensem extendenda, a Vicario petiit, ut quam citissime referret accurate et distincte, an acatholici ibi « veram et proprie dictam societatem inter se efficiant, et an juribus civitatis fruantur, publicumque cultum exerceant. »

313. At, licet circumstantia, de qua actum est, praecipua esse videatur, non constat tamen esse unicam et adaequatam ; imo Sedes Ap. nullitatem interdum declaravit matrimoniorum contractorum, etiam inter ipsos haereticos, in regione in qua prae-

(1) Ap. de Roskovany, *De matr. mixtis*, t. 2, Quinque-Ecclesiis, 1842, p. 166, Kutschker, t. 1, p. 516.

fata circumstantia existit, ex. gr. in Gallia (cf. n. 324). Quo fit rem semper eo reduci ut ex omni loco, circa quem dubitari potest, in singulis casibus particularibus recurratur ad Sedem Ap. (1), praesertim antequam matrimonium pronuntietur nullum et novae nuptiae permittantur. Insuper, posita etiam matrimonii hujusmodi in aliqua regione nullitate, sedulo expendendum est, fueritne forsitan a partibus nullitatem noscentibus revalidatum mutuo consensu, dato verbis vel factis, in alio loco ubi lex Tridentina ipsorum matrimonii validitati non obstabat (2).

314. Abunde liquet ex hactenus expositis, quanta in hujusmodi quaestionibus opus sit prudentia. Non solum non sunt intempestive movendae in regionibus pro quibus dubitatio existere potest, non solum praestat interdum bonae fidei rem relinquere, sed ipsa S. Sedes maximae prudentiae dat exemplum (3), et, spectatis locorum adjunctis, ejusmodi matrimonia non raro dissimulat et dissimulari exoptat, quo loquendi modo interdum etiam validitatis praesumptionem insinuat (cf. n. 328). Iis autem qui, nulla habita circumstantiarum ratione, haereticorum matrimonia clandestina generatim nulla esse contendunt, adversatur Pii VII breve 8 oct. 1803 ad archiep. Moguntinum (4), in quo loquitur de sententia eorum, qui dicunt « matrimonia haereticorum coram ministro acatholico inita generatim nulla esse, atque adeo validas fore secundas eorum nuptias, si modo coram catholico parocho

(1) Cf. n. 308, et rescripta S. Off. 8 jul. 1848 ac Congr. part. in causa *Vivarien.* (ap. Perron. *De matr. christ.* ed. Rom. t. 2 p. 232 sq., et inf. p. 206, not. 1), coll. resc. dato 28 januar. 1829 ad vic. Ap. Bredanum (Perron. l. c. p. 228 sq., et *Mél. théol.* ser. 3 p. 83 sq.).

(2) Vid. S. Off. fer. V, loco IV, [22 dec.] 1842. 5 jul. 1848. 13 aug. 1849, ap. Perron. l. c. p. 249 sqq., et cf. inf. n. 761.

(3) Cf. Perron. l. c. p. 246 sqq.

(4) Textum minus curate editum a de Roskovany, in op. *Monumenta catholica pro independentia potestatis ecclesiasticae ab imperio civili*, t. 2, Quinque-Ecclesiis, 1847, accuratius ex authentico MS., quod Romae asservatur, edidit Perron. l. c. p. 251 sq.

contrahantur. » De qua quidem sententia haec dicit Pontifex : « Nec undique vera est nec satis tuta, neque idcirco in praxi quibuscumque in casibus indiscriminatim sequenda. Probe enim novit Fraternitas tua hujus generis matrimonia rata et firma consistere iis in locis, in quibus Concilii Tridentini decretum vel numquam publicatum fuit, vel numquam observatum tamquam ejusdem Concilii decretum, vel, si quando observatum fuit, longo dein temporis intervallo in desuetudinem abiit. Hinc factum est, ut praefata opinio, quae matrimonia inter haereticos contracta coram ministro acatholico generatim nulla et irrita esse propugnat, adversarios semper habuerit et numero plures et auctoritate praestantissimos, adeo ut vix aliquem retinuerit probabilitatis gradum, maxime post editam a Ben. XIV an. 1741 pro matrimoniis Hollandiae celeberrimam Declarationem. »

315. Magni pariter momenti est quaestio n. 306 posita de nexu existente necne inter validitatem matrimoniorum ab haereticis inter se initorum, et validitatem matrimoniorum mixtorum. Non pauci, praesertim ante Ben. XIV Declarationem pro matrimoniis Hollandiae, nexum illum negabant; aliqui vero affirmabant. Ben. XIV in sua Declaratione non dicit cur mixta quoque matrimonia in Hollandia clandestine contracta valida esse declaraverit, sed alibi (1) hanc indicat rationem : « Quoniam, cum conjugum alter tum ratione loci, in quo habitat, tum ratione societatis, in qua vivit, exemptus sit a Trid. Synodi lege; exemptio, qua ipse fruitur, alteri parti communicata remanet, propter individuitatem contractus, vi cujus exemptio, quae uni ex partibus competit, ad alteram, secundum etiam civiles leges, extenditur, eidemque communicatur. » Ex quo haec scipsit Benedictus passim et in praxi et ab auctoribus traditur, in locis ubi valida sunt matrimonia ab haereticis inter se clandestine contracta, eo ipso, propter motivum a Benedicto indicatum, valere matrimonia

(1) *De syn.* l. 6, c. 6, n. 12.

mixta. Sunt tamen qui id admittere nolunt, dicentes principium ejusmodi in nullo Pontificio documento reperiri, ignotum etiam fuisse ante Benedictum, hunc autem illud emisisse tamquam doctorem privatum, imo eidem contradixisse tamquam Pontificem in const. *Singulari Nobis* (cf. n. 24), ubi irritam pronuntiat propter ecclesiastici juris impedimentum disparitatis cultus (quo infidelis profecto non ligatur) matrimonium a muliere protestantica cum viro hebraeo contractum.

316. At occurrit illud principium apud auctores qui scripserunt ante Benedictum (1), et is quidem de eo loquitur tamquam doctor privatus, sed saltem testatur cur tamquam Pontifex declaraverit valere matrimonia mixta in Hollandia clandestine contracta, idque adeo testatur ut affirmet, principium, de quo agitur, concordibus suffragiis, tamquam validitatis fundamentum et causam adaequatam fuisse admissum ab iis qui in Congregatione convenerant. Ex quatuor quidem Consultoribus tres opinati sunt propter catholicae partis subjectionem invalida esse matrimonia mixta, posita licet haereticorum exemptione, et unus tantum, invocato praefato principio, validitatem propugnavit. Sed de iis qui in Congregatione convenerant, et non sunt confundendi cum illis Consultoribus, narrat Benedictus l. c. : « Sensu igitur quaestionis explanato, concordibus suffragiis in eam sententiam itum est, quod sicuti valida declarata fuerant ea matrimonia, quae in praedictis foederati Belgii provinciis inter duos contrahentes haereticos, sine parochi praesentia, inita essent; ita valida dici deberent illa, quae in iisdem locis inter duas partes, alteram catholicam, et alteram haereticam, eodem modo contracta forent : quoniam, cum conjugum alter,» cet. (cf. n. 315). Neque ulla contradictio est inter hoc principium, et ea quae in const. *Singulari Nobis* scribit Benedictus, vel quae de aliis quoque impedimentis, ex. gr. Ordinis Sacri vel Professionis Religiosae, sunt dicenda,

(1) Cf. Engel, n. 20 *De clandest. despons.* vs. *Dico* II.

quum haec nequaquam pertineant ad proprie dictam formam contractus, ad quam praefatum principium refertur.

317. Imo ab aliis post Benedictum Pontificibus fuit allegatum. Clemens XIII litt. ad archiep. Mechliniensem (1) validum pronuntians matrimonium a catholico Bruxellensi in Hollandia cum muliere acatholica ibi domicilium habente contractum, haec scribit : « Atque hoc quidem judicium Nostrum eo potissimum fundamento innititur, quod Tridentina lege... mulierem in Hollandia natam non teneri certum sit, juxta declarationem s. m. Ben. XIV a. 1741 editam, quod mulieris privilegium viro etiam cum illa contrahenti communicari debere, etsi natus ipse sit inter catholicos, ibique vitam duxerit, ubi legi locus esset, visum pariter est eidem Praedecessori Nostro in suo op. *De syn. dioec.* l. VI, c. VI, n. 12. Nec obstare quidquam potest, quod in postremo paragrapho praefatae declarationis continetur : ibidem enim de iis dumtaxat matrimoniis agitur, quae inter partes duas, utrasque legis Tridentinae vinculo constrictas, contrahuntur, quae partes, ut eidem legi fraudem inferant, in Hollandiam nuptias initurae commigrarunt. » Idem principium affertur et applicatur in card. Praefecti S. C. de Prop. Fide literis 25 aug. 1781, ubi de matrimoniis inter catholicos et jansenistas (2), et in Pii VII litt. 27 junii 1805 ad Napoleonem (3).

318. Itaque optandum forsitan est, ut pro futuris Sedis Ap. de matrimoniorum inter haereticos in aliqua regione clandestine contractorum validitate declarationibus Pontificia voluntas nexum illum destruat, nec mixta matrimonia clandestina valida haberi posse decernat, nisi id quoque expresse fuerit declaratum; quamdiu vero nova hujusmodi S. Sedis dispositio non supervenerit, nexus praefatus, una cum principio quo nititur, asserendus om-

(1) Ap. Moser, App. n. 4.

(2) Vid. Append. n. 1.

(3) Sup. n. 311. Cf. etiam secretarium S. C. C. in *Treviren. Dubium matrimonii* 29 januar. 1853 (inf. n. 592).

nino videtur; quare in iis quae nunc sequuntur continuo applicabitur (1).

319. Ut in locis, ubi non viget decretum *Tametsi*, validum est matrimonium solo mutuo consensu initum, ita ubi, sive ex Benedictina Declaratione sive ex alia dispositione, illud decretum non afficit matrimonia haereticorum nec mixta, valida sunt clandestina haereticorum inter se et mixta matrimonia, licet consensus matrimonialis coram solo magistratu civili, vel inter partes solas, fuerit datus; quod rescriptis quoque suis confirmavit S. Officium 16 febr. 1853 (2) et 6 sept. 1876 (3). Alio S. Officii rescripto 6 apr. 1859 resolutum fuit dubium circa Benedictinam Declarationem propositum, quae solutio aliis quoque regionibus, in quibus haeretici a decreto *Tametsi* liberi sunt, inservit. Est autem ut sequitur (4) : « Primum dubium circa matrimonia mixta volvebatur : nimirum an pro intelligentia celebris declarationis Ben. XIV pro Hollandia comprehendi possint sub nomine haeretici quinque sequentes classes : 1° Illi qui catholice baptizati a pueritia nondum septennali in haeresi educantur, ac haeresim profitentur; 2° Qui

(1) Idem nihil haesitans sentit Perron. *De matr. christ.* ed. Rom. t. 2 p. 242, 273 sq. ubi addit : « Et revera haec ratio est, quam passim allegant sac. congregationes romanae, dum decernunt valida matrimonia mixta illis in regionibus ad quas Declaratio Benedictina extensa est. »

(2) Ap. van de Burgt. n. 281. Dubium erat : « In statione... veluti legitimo matrimonio juncti essent, cohabitant vir catholicus et mulier haeretica, quos tamen constat coram nullo parocho, nullo ministello acatholico, nullo etiam magistratu, matrimonium celebrasse; sed qui contendunt se, cum coram Deo, scil. prorsus clandestine, matrimonium inierint, dato et accepto utrimque consensu, vinculo vere conjugali junctos esse, nec ulla alia, ut conjuges sint, matrimonii celebratione se indigere. » Responsum fuit : « Supposito mutuo contrahentium consensu de praesenti matrimonium fuisse validum, sed illicitum. Parochus autem inducat partem catholicam ad declarandum, an suum consensum dederit nec ne, ut in libris matrimonium valeat inserere. »

(3) Ap. *Archiv fuer kath. Kirchenrecht*, t. 39, p. 371 sq., t. 41, p. 184, coll. t. 41, p. 292 sqq., ubi vid. etiam S. Off. 2 dec. 1866.

(4) Ex episcopi Harlemensis literis ad clerum 31 oct. 1859.

non tam in haeresi quam ab haereticis educantur, nulla scilicet vel vix ulla haereticae doctrinae instructione accepta, et cultu non frequentato, licet aliquoties participato; 3° Qui adhuc pueri in manus haereticorum incidentes haereticae sectae adjunguntur; 4° Apostatae ab Ecclesia Catholica ad haereticam sectam transeuntes; 5° Qui nati et baptizati ab haereticis adoleverunt quin ullam solemnem haereseos professionem emiserint, ac veluti nullius religionis etc. Igitur quid sentiendum, sciscitatur Episcopus, de istorum matrimoniis cum parte catholica initis?... S. C. respondit : Ad effectum matrimonii supranumeratos comprehendi in laudata Ben. XIV Declaratione. » Jansenistarum Hollandiae sive inter se sive cum catholicis matrimonia jamdiu ex S. Sedis rescripto erant dissimulanda ac pro validis habenda, et conversi ad Ecclesiam erant in bona fide relinquendi; tunc tantum quando in casu aliquo particulari specialia dubia aderant, recurri debebat ad Sedem Ap. (1). Hodie insuper jansenistae sunt haeretici propter rejecta dogmata de Immaculata B. M. V. Conceptione (2) et R. Pontificis ex cathedra loquentis infallibilitate, ideoque hoc ipso titulo comprehenduntur Ben. XIV Declaratione.

320. Elenchus locorum, in quibus lex Tridentina aut neminem aut solos catholicos aut acatholicos etiam obligat, ad amussim confici nequit (3); de praecipuis sermo erit in numeris sequentibus, et quoniam saepius recurret mentio Declarationis Benedictinae, a regno Hollandiae initium fiet.

In Hollandia catholici decreto ligantur, acatholicorum vero inter se et mixta matrimonia clandestina valida sunt *a*) in locis quae tempore Declarationis Ben. XIV, nempe 4 mart. 1741, erant sub

(1) Vid. S. C. de Prop. Fide 1 junii 1809, coll. literis card. Praefecti 25 aug. 1781 (App. n. 1).

(2) Eorum episcopi in literis a. 1856 hoc dogma publice rejecerunt.

(3) Apud plures auctores aliquid de his locis, multis tamen admixtis erroribus, reperitur; potissime consulendus est Perron. *De matr. christ.* ed. Rom. t. 2, p. 265 sqq., hic illic tamen et ipse deficiens.

dominio foederatorum Ordinum, et in iis quae postea accesserunt atque aliunde fruebantur libertate a lege Tridentina pro matrimoniis haereticorum ac mixtis (1).

321. Valida sunt *b*) matrimonia haereticorum et mixta, quae extra fines dominii foederatorum olim Ordinum contrahuntur ab iis, qui uterque pertinent ad militares copias a praefato gubernio transmissas pro custodiendis muniendisque arcibus conterminis, vulgo *de barrière* (2). Et quum post a. 1815 dubitaretur de valore matrimoniorum mixtorum clandestine contractorum in Belgio inter personas pertinentes utramque ad copias quas in ea regione rex habebat, an nempe haec praesidia aequiparanda essent civitatibus *de barrière*, per S. Off. 12 aug. 1824 et 21 apr. 1825 (3) responsum fuit pro validis esse habenda, quousque aliter a S. Sede non fuerit dispositum. Extra usum tamen hodie haec omnia sunt, quum neque civitates dictae *de barrière*, quae erant sitae in Belgio hodierno, neque alia in eodem loca a milite Hol-

(1) Juxta locorum enumerationem factam a van de Burgt, n. 277, valida haec matrimonia sunt 1° in omnibus locis hodiernae dioecesis Harlemensis. 2° In omnibus locis dioecesis Ultrajectensis, excepto forsitan Wehl, qui locus olim erat sub dominio ducis Cliviensis sed non erat situs in ipso hoc ducatu. 3° In omnibus locis dioecesis Buscoducensis, exceptis Boekel, Deemen, Dennenburg, Deursen, Herpen, Huisseling, Overlangel, Ravensteyn, Reek, Schayk, Uden, Velp, Volkel, Zeeland, Haren, Macharen, Megen, Teeffelen, Bokhoven, Gemert, Haandel, Boxmeer, pago S. Antonii, Luiksgestel, et fortasse etiam excepto Oeffelt. 4° In omnibus locis dioecesis Bredanae. 5° In dioecesi Ruraemundensi valida sunt praefata matrimonia Mosae-Trajecti et in suburbio S. Petri (vid. inf. n. 322). Valida quoque dicenda jure forent contracta in locis, quae die 4 mart. 1741 erant subjecta dominio foederatorum Ordinum; teste tamen van de Burgt usus est ibi non applicandi Declarationem Benedictinam; cum quo merito dixeris : « qua de causa nescio; » forsitan consulta fuit Sedes Ap. Addendum autem, valida videri praefata matrimonia contracta inter partes, quae utraque pertinent ad copias militares in locis praesidiorum (cf. inf. n. 321).

(2) Erant autem Namurcum, Tornacum, Iprae, Menenae, Furnae, Warneton, Knocke, Teneramunda.

(3) Ap. *Mél. théol.* ser. 3, p. 354 sq.

landico occupentur. Attamen responsa modo citata S. Officii videntur applicanda copiis militaribus, quae sunt in praesidiis in Limburgo Hollandico (cf. n. 320).

322. *c*) Valida sunt juxta Ben. XIV Declarationem matrimonia haereticorum et mixta, quae contrahuntur Mosae-Trajecti inter partes utramque pertinentes ad copias militares (1). Leo autem XII per S. Off. 20 apr. 1826 Declarationem Benedictinam extendit ad omnes incolas Mosae-Trajecti, idque pro contractis etiam valere declaravit 12 aug. 1826. Denique 28 febr. 1844 facta fuit ad cautelam extensio Declarationis tam Benedictinae quam Leoninae ad suburbium S. Petri prope Mosae-Trajectum, una cum sanatione quoad praeteritum (2).

323. Matrimonia clandestina tam catholicorum quam acatholicorum et mixta sunt invalida in Hispania (Gibraltariae tamen valent matrimonia haereticorum et mixta), Lusitania, Italia et insulis adjacentibus, Belgio hodierno, magno ducatu Luxemburgensi, archidioecesi Goana et dioecesibus suffraganeis, regione Mexicana, hodiernis Hispanorum vel Lusitanorum coloniis, et regionibus Americae centralis ac meridionalis, exceptis, quoad matrimonia haereticorum inter se et mixta, locis olim sub dominio catholicorum, nunc vero sub dominio Anglorum, Hollandorum, Danorum existentibus. Imo in nonnullis ex postremis hisce regionibus valida hodie sunt clandestina catholicorum etiam inter se matrimonia, ex. gr. in Curaçao; cf. n. 334.

324. Pauci aliqui (3) opinati sunt haereticos in Gallia non ligari lege Tridentina. At ibi non tantum catholicorum sed haeretico-

(1) Postremam hanc conditionem a Ben. XIV non requiri, sed omnes Mosae-Trajecti incolas eum comprehendere, immerito scribebat card. Caprara 19 febr. 1804 ad ep. Leodiensem; quas literas refert de Roskovany, *De matr. mixtis*, t. 4, Pestini, 1870, p. 74 sqq., ex op. *Mandements, lettres pastorales, circulaires et autres documents publiés dans le diocèse de Liége*, Leod. 1851, II, 420.

(2) Cf. *Mél. théol.* l. c. p. 342 sq.

(3) Inter quos op. *Études de théol.* Par. 1859, p. 469 sqq.

rum quoque et mixta matrimonia absque forma Tridentina contracta esse invalida, pluribus constat Sedis Ap. documentis (1); de Argentorato tamen cf. n. 327.

325. Hibernia universa fruitur extensione Declarationis Benedictinae; catholici vero decreto Trid. ubique in Hibernia ligantur, ut manifestum faciunt haec verba e Directorio a. 1851 deprompta : « Matrimonium dicitur clandestinum, quod non contrahitur coram proprio parocho aut de ipsius parochi vel Ordinarii licentia, coram alio sacerdote et duobus saltem testibus; est invalidum in omnibus locis, ubi Conc. Trid. Decretum (Sess. XXIV cap. I de Reform. Matrim.) de hoc promulgatum vel receptum est. Hoc decretum vigebat a tempore immemoriali in omnibus dioecesibus Hiberniae, praeter Archidioecesim Dubliniensem, et Dioeceses Kildariensem, Fernensem, Ossoriensem, Midensem, et Galviensem, sed in his Dioecesibus publicatum fuit die 2da Decembris 1827, et vigorem habuit triginta post dies, nempe in die 1ma Januarii sequentis anni 1828, ideoque nunc viget in tota Hibernia (2). »

(1) Vid. S. Off. 23 mart. 1808 (ap. Perron. l. c. p. 224), 26 febr. 1817 (Ib. p. 235), 19 jul. 1818 (Ib. p. 222 sq. et ap. Pagès, *Dissertation sur le prêt à intérêt*, t. 1 Lugd. 1838, p. 165 sq.), 18 junii 1831 (ap. Perron. l. c. p. 234 sq.), 14 mart. 1832 (Ib. p. 277 sq.), [22 dec.] 1842 (Ib. p. 250), 5 jul. 1848 (Ib. p. 229, 250 sq. 276), 13 aug. 1849 (Ib. p. 251), S. Poenit. 28 mart. 1834 (Ib. p. 233). Peculiaribus autem allatis dioecesis Vivariensis circumstantiis, die 8 jul. 1848 respondit S. Off. : « consulendum SS. pro responsione dirigenda ep. Vivariensi juxta mentem patefactam an. 1737 in causa Iprensi a S. C. C., nempe conjuges de validitate matrimonii non dubitantes, in bona fide esse relinquendos, neque a participatione Sacramentorum arcendos fore. Peculiares vero casus et circumstantias eorum, qui scrupulis super suorum matrimoniorum validitate anguntur, oportere ab eodem ep. distincte exponi. » Hanc resolutionem alia Congr. particularis adoptans addidit : « Quamvis autem nulla sint haec matrimonia, consultum tamen quam maxime erit in casibus particularibus recurrere ad Sedem Ap., expositis omnibus facti circumstantiis, quae tunc modo magis opportuno huic rei providebit; » ap. Perron. l. c. p. 232 sq.

(2) Idem videre est in card. archiep. Dubliniensis testimonio 8 mart.

326. In variis Europae regionibus septentrionalibus, quae a. 1564, quo Conc. Trid. fuit confirmatum, jam defecerant a fide, decretum Trid. prorsus non obligat; tales sunt Anglia, Scotia, Dania, Suecia (1), Norvegia, primitivae Borussiae provinciae Pomerania et Saxonia, seu primitivus principatus Borussiae, imo major pars Germaniae septentrionalis, et nonnulli pagi Helvetiae, inter quos Tigurum (cf. n. 331).

327. Ad ducatum Cliviensem (2) extensa fuit Declaratio Benedictina. Item ad Silesiam Borussiae subjectam a. 1765; deinde ad eas quoque partes quae dioecesi Vratislaviensi postea accesserunt, seu ad totam, ut nunc est, dioecesim illam (3). Item valent haereticorum et mixta matrimonia in dioecesibus Gnesnensi, Posnaniensi et Culmensi. In dioecesibus Coloniensi, Trevirensi, Paderbornensi et Monasteriensi, non extensione Declarationis Benedictinae, sed ex Pii VIII brevi *Litteris altero* 25 mart. 1830 matrimonia mixta clandestine inde ab ea die incl. contracta valida sunt. Pro revalidandis singulis ante hanc diem contractis episcopis illis necessarias facultates dedit idem Pontifex per literas card.

1866, dato occasione causae S. C. C. in *Atrebaten. seu Cameracen. Matr.* 16 junii, 28 jul. 1866 (*Thes. S. C. C.* t. 125, *Acta S. Sedis*, t. 2, p. 385 sqq.); in eo fidem facit Decretum *Tametsi* « pluribus abhinc annis per totam Hiberniam publicatum fuisse, et nunc plene ubique vigere, et observari, quando agitur de matrimoniis catholicorum. Etenim Decretum istud vel a tempore Elisabethae reginae, labente saeculo XVI in pluribus partibus provinciarum Armacanae, et Tuamensis; anno autem 1775 per integram provinciam Casheliensem; et denique anno 1827 per totam provinciam Dublinensem et per eas partes Armacanae, et Tuamensis provinciarum, in quibus antea non fuerat receptum, rite promulgatum in singulis parochiis, et in usum deductum fuisse constat. » Immerito igitur scribunt Perron. l. c. p. 259 sq., Scav. t. 4 n. 693, van de Burgt, n. 217. alii, in aliquibus Hiberniae provinciis non esse promulgatum decretum Tridentinum.

(1) Haec regio non est confundenda cum Suevia, ut confundunt nonnulli.

(2) Cf. van de Burgt, n. 277.

(3) Cf. Weber, *Die kanonischen Ehehindernisse*, Frib. in Brisg. 1883, p. 338 sq., Swientek ap. *Archiv fuer kath. Kirchenrecht*, t. 48, p. 467.

Albani 27 mart. 1830. Actus ille Pii VIII non est ejusdem naturae ac Ben. XIV Declaratio, sed est dispositio specialis, neque in illas dioeceses cum adduxit statum quem in Hollandia adduxit Declaratio Ben. XIV. Pius VIII mixtorum tantum matrimoniorum clandestinitatem pronuntiat pro futuro, et nihil habet de haereticorum inter se matrimoniis. Matrimonia mixta clandestina ante 25 mart. 1830 contracta erant invalida, quod deducitur etiam tum ex necessariis ad revalidandum facultatibus, quas Pius VIII episcopis concessit in literis card. Albani, tum ex S. Off. in *Treviren.* 26 januar. 1853 (1). Quum de matrimoniis clandestinis haereticorum inter se ne verbum quidem habeat Pius VIII, ex ipsa peculiari ejus pro matrimoniis mixtis dispositione non potest concludi matrimoniorum ab haereticis inter se inde a 25 mart. 1830 contractorum validitas, et relatum mihi fuit illic, ubi de his agitur, inquiri in circumstantias in causa Treviren. a. 1853 a S. Off. indicatas. Fateor tamen me non concipere haereticorum inter se matrimonia clandestina esse invalida ubi valent matrimonia mixta clandestina. Argentorati, aliunde tamen quam ex

(1) Ap. Kutschker. t. 1. § 67 in fine. coll. Knopp, ed. 2 p. 305, ed. 3 p. 307. Matrimonium mixtum. coram ministro acatholico celebratum Confluentibus in dioecesi Treviren. a. 1821. fuerat a curia Trevirensi irritum declaratum ob clandestinitatem die 22 dec. 1851. in secunda vero instantia pronuntiatum validum a curia Coloniensi. Re delata ad S. Off.. imprimis scriptum fuit 29 nov. 1852 ad ep. Trevirensem : « Emi Inquisitores generales, antequam in re tanti momenti quidquam decernant. in comitiis Fer. IV. die 24 hujus mensis habitis decreverunt, literas ad Amplitudinem Tuam dandas esse. ut certo innotescat, num in civitate Confluentium fuerit decretum Conc. Trid. c. 1 sess. 24 de ref. matr. rite promulgatum in singulis paroeciis; utrum tempore ejusdem promulgationis in ea civitate extarent haeretici, qui suos haberent ministros et ecclesias. vel potius subinde supervenerint. » Cumque episcopus ad priorem quaestionem affirmative respondisset. ad posteriorem vero, recentioribus tantum temporibusa catholicos propriam veluti parochiam ibi erexisse, die 26 januar. 1853 resolvit S. Off. : « Infirmata sententia curiae archiepiscopalis Coloniensis confirmandam esse sententiam curiae episcopalis Trevisensis; quam resolutionem eadem die SS^mus approbavit.

Ben. XIV Declarationis extensione, valent matrimonia clandestina acatholicorum et mixta. De primitivis Borussiae provinciis vid. n. 326.

328. In Austria viget decretum Trid., acatholicorum tamen et mixta matrimonia clandestina (1) valida sunt in Hungaria et Transilvania, intra limites quos habebant tempore Instructionis nomine Greg. XVI a card. Lambruschinio datae ad episcopos Hungariae 30 apr. 1841, in qua de mixtis in Hungaria et Transilvania matrimoniis haec leguntur : « Siquidem vero... mixta matrimonia ea ratione fuerint inita : inspectis tam praeteritis, quam praesentibus locorum, de quibus sermo est, peculiaribus circumstantiis, erunt ab episcopis et parochis prudenter dissimulanda (2), et quamvis illicita, pro validis habenda; nisi tamen canonicum aliunde officiat dirimens impedimentum, seu in nuptiarum celebratione appositae fuerint conditiones substantiae matrimonii ex catholica doctrina repugnantes. » Pro aliis Austriae partibus similis declaratio non existit, imo saepius fuit a Sede Ap. negata authentica hujusmodi aliqua declaratio vel concessio pro germanicis Austriae partibus; unde, dubio aliquo casu occurrente, videntur applicanda quae habentur n. 308, 313, 329.

329. Die 1 aug. 1864 episcopi provinciae Rheni superioris supplicarunt SS^mo ut, ad tollendum omne dubium circa matrimonia acatholicorum et mixta, dignaretur ad totam illam provinciam, nempe diocceses Friburgensem, Moguntinam, Fuldensem, Limburgensem ac Rottemburgensem, extendere brevia et instructiones Apostolicas, quibus aliis quoque dioecesibus extensum seu concessum fuerat quod Ben. XIV declaraverat pro Hollandia. Sed per S. Off. 17 mart. 1865 rescriptum fuit, non expedire, ut hac

(1) Scribit Aichner, *Compend. jur. eccl.* ed. Brixin. 1864, § 187, not. 121 : « Excipe matrim. mixta personarum militarium, quae non valent, nisi coram parocho catholico incantur. » Hanc tamen exceptionem nullibi reperio factam.

(2) Cf. n. 314.

in re in istis dioecesibus aliquid innovaretur, nec ut ad eas applicarentur quae pro aliis dioecesibus concessa aut declarata fuere (1). Attamen ex hoc rescripto non illico dicantur pro invalidis habenda acatholicorum et mixta matrimonia in illis dioecesibus; negata enim solummodo fuit authentica extensio vel declaratio vel concessio. Singulorum in primis locorum circumstantiae sunt ponderandae. Regiones, quibus provincia Rheni superioris constat, sunt illae quae tunc suberant regi Wurtembergico, magno duci Badensi, electori Hassiae, magno duci Hassiae, duci Nassaviae, liberae civitati Francofurtensi, magno duci Megalopolitano, ducibus Saxoniae, duci Oldenburgensi, principi Waldecensi, liberis civitatibus Hanseaticis Lubecensi et Bremensi. Loca autem in his regionibus sunt quae cadunt sub dictis n. 326. Praeterea in regno Wurtembergico est civitas Ulmiae, ad quam, dum erat in dioecesi Constantiensi, extensa fuit declaratio Benedictina. Pro dioecesi Limburgen. (Nassav. et Francof.) emanavit S. Off. dispositio 15 mart. 1854 valida decernens matrimonia mixta futura (2). De hac peculiari dispositione dicendum ut sup. n. 327 de actu Pii VIII 25 mart. 1830. Insuper videntur in regionibus supra indicatis in praxi universim pro validis haberi matrimonia acatholicorum et mixta, et saltem videtur, dubio casu particulari occurrente, consulenda Sedes Ap., antequam matrimonium reputetur irritum, et praesertim priusquam novae nuptiae permittantur; cf. n. 308, 313. Nec huic solutioni practicae obstat nullitatis declaratio facta in casu particulari a S. C. C. in *Friburgen. Matr.* 1 dec. 1866 (3), quum ultra loca, de quibus in eo agebatur, tuto extendi nequeat (4).

(1) Memorantur supplicatio et rescriptum in mox citanda causa S. C. C. in *Friburgen.* 1 dec. 1866.

(2) Vid. Weber, p. 341, Vering, *Lehrbuch* cet. p. 717.

(3) Cf. von Moy et Vering, *Archiv fuer kath. Kirchenrecht*, t. 17, p. 315 sqq. 455 sqq., *Anal. jur. Pont.* ser. 9 col. 491 sqq. 636 sqq. 757 sqq., *Acta S. Sedis* vol. 2, p. 617 sqq.

(4) Alia de Wurtembergo, Bada, magno ducatu Hassiae, Lubeca, Hamburgo, Brema, cet. vid. ap. Weber, p. 198, 200 sq.

330. In Bavaria quoque diversorum locorum ratio habenda est; eorum enim aliqua cadunt sub dictis n. 326. Jam anno 1805 scribebat card. Secretarius Status (1), decretum Trid. fuisse promulgatum et receptum « in plerisque non tantum Bavariae, sed etiam Sueviae et Franconiae locis; » novae quoque post. a. 1805 regiones protestanticae Bavariae accesserunt. Discimus pariter ex ep. Eystetensis instruct. pastor. a. 1854 (2) : « In nostra dioecesi decreta Conc. Trid. in locis acatholicis Onoldinae et Pappenheimiensis atque in districtu urbium quondam imperialium Norimbergensis et Weissenburgicae non inveniuntur fuisse promulgata (in Palatinatu autem superiore et Neoburgensi et principatu Solisbacensi, postquam ad matris Ecclesiae Romano-Catholicae gremium magna ex parte rediere, decreta Concilii sunt promulgata et ipso usu et praxi comprobata et recepta); quae a fide defecerunt ante a. 1564, quo decreta Concilii confirmata et promulgata fuere. » Catholici in Bavaria decreto Trid. ligantur. Quod vero spectat ad matrimonia acatholicorum et mixta, hucusque saepius recusavit Sedes Ap. authenticam dare de eorumdem in Bavaria validitate declarationem vel concessionem (3). Nihilominus ea generaliter ibi valida habentur a clero, probabiliter etiam innixo (4) his verbis Instructionis a Greg. XVI datae per card. Bernetti ad epp. Bavariae 12 sept. 1834 : « Quodsi in Ecclesiae utilitatem et commune animarum bonum cedere posse dignoscatur, hujusecmodi nuptias coram parocho catholico potius quam coram ministro haeretico, ad quem partes facile confugere possent, celebrari : tunc ipse parochus catholicus, aliusve sacerdos ejus vices agens,

(1) In Nota ad ministrum Electoris Palatino-Bavari, ap. de Roskovany, *De matr. mixtis*, t. 3, Pestini. 1854, p. 8.

(2) Ap. Kutschker, t. 4, p. 358.

(3) Teste Aich, ap. von Moy et Vering, *Archiv* t. 11, p. 335.

(4) Ita saltem existimabat ep. Csanadiensis in Hungaria, in litt. 14 januar. 1841 ad card. Secretarinm Status; ap. de Roskovany l. c. p. 464 sqq.

poterit iisdem nuptiis materiali tantum praesentia, omni excluso ecclesiastico ritu, adesse. » Saltem videtur de Bavaria idem dicendum, quod n. 329 dictum fuit de provincia ecclesiastica superioris Rheni (1).

331. Variis regni Saxoniae locis aptantur dicta n. 326; Lipsiae non esse promulgatum decretum Trid. testabatur Vic. Ap. Saxoniae litt. 9 januar. 1860 ad curiam quamdam episcopalem Bohemiae (2). Matrimonia mixta et haereticorum in regno Saxoniae pro validis haberi testabatur consistorium Saxonicum 24 aug. 1841 (3).

In Helvetia nonnulli pagi cadunt sub dictis n. 326, ubi citavimus Tigurum; imo in plerisque non fuit promulgatum (4). In nonnullis tamen viget pro catholicis, ut Genevae; quamquam valida sunt in Helvetia universim matrimonia acatholicorum et mixta (5). Occasione legis civilis de matrimonio, ut vocant, civili, ep. Sangallensis literis 9 dec. 1877 aliqua de eo dubia, propter diversitatem opinionum, proposuit S. Sedi, scil. « *Dubium primum :* utrum conjugium catholicorum mere civiliter contractum in dioecesi Sangallensi sit matrimonium validum et sacramentale? *Dubium secundum :* quid de conjugio acatholicorum mere civiliter inito sentiendum sit? *Dubium tertium :* quid denique de matrimonio mixto, i. e. inter sponsos religione diversos mere civiliter inito sit tenendum? » Et S. Off. 3 apr. 1878 rescripsit : *Ad primum.* Matrimonia clandestina certo esse nulla in paroeciis, ubi decretum Tridentinum *Tametsi* promulgatum fuerit, sicut legitur in propositis dubiis sub lit. B nro 1. Cum vero sub littera A nro 3 asseratur Ordinarium Sangallensem a. 1768 declarasse in illis locis Decretum Tridentinum nunquam fuisse promulgatum; R.

(1) Ceterum cf. Weber, p. 197 sq., 199 sq. 343.
(2) Ap. von Moy et Vering, *Archiv* t. 11, p. 243 sq.
(3) Ap. de Roskovany, op. cit. t. 2, p. 834, Weber p. 200.
(4) Perrone l. c. p. 261, Weber p. 198, 200.
(5) Weber p. 344.

P. D. Episcopus significet, utrum et quanto ex tempore matrimonia clandestina contracta a catholicis inter se in illis parocciis habeantur uti nulla. *Ad secundum.* Juxta exposita matrimonia esse valida nisi obstent alia canonica impedimenta. *Ad tertium.* Pro nunc recurrat in casibus particularibus (1). »

In Russia, una forsitan alterave dioecesi excepta, ligantur catholici ; acatholicorum vero et mixta matrimonia clandestina sunt valida. Valida etiem sunt in tota Poloniae parte Russis subjecta, idque partim ob declarationis Benedictinae extensionem, partim ex posteriori Sedis Ap. declaratione.

352. In Turcia, exceptis, ut videtur, remotioribus aliquibus provinciis, catholici universim ligantur decreto *Tametsi*. Non eodem tamen prorsus modo hoc affirmari potest de catholicis ritus graeci vel orientalis, ut de catholicis ritus latini. In pluribus partibus pro locis et parochiis Graecorum et Albanensium promulgatio facta fuit post Ben. XIV constitt. *Etsi pastoralis* 26 maii 1742 (2), et *Inter omnigenas* 2 febr. 1744 (3). Clandestina vero matrimonia mixta et acatholicorum in Turcia sunt valida. Pro Constantinopoli ejusque suburbiis declaratum id fuit a S. Off. 20 aug. 1769 (4), et vicario Ap. Bosniae Turcicae rescripsit S. Off. 3 sept. 1828, standum esse decreto jam dato 1 aug. 1771 vicario Ap. et episcopo Dauliensi his verbis : « Matrimonia inter unam partem haereticam et alteram catholicam, vel utramque haereticam non servata forma decreti Conc. Trid. sunt valida sed illicita (5). » Clandestina igitur catholicorum matrimonia sunt invalida, acatholicorum vero et mixta valida sunt ex. gr. Constantinopoli et in ejus suburbiis, in Servia, Albania, Bulgaria, Bosnia Turcica, Moldavia, Valachia.

(1) Ap. Vering, *Archiv* t. 41, p. 178 sqq.; cf. Weber p. 198, 344.
(2) *Bullar. Ben. XIV*, t. 1 const. 57 ; ed. Mechl. vol. 1 p. 369.
(3) Ib. const. 89 ; ed. cit. vol. 2, p. 176 sq.
(4) Cf. Perron. l. c. p. 270.
(5) Cf. *Mél. théol.* ser. 3, p. 339 sq.

De Perside aliisque in illa Orientis parte regionibus idem generatim dicendum quod de Turcia; in nonnullis, praesertim Orientalium, parochiis etiam catholicis nulla decreti publicatio nec observantia locum habuit.

Idem dicendum de Graecia, in qua etiam soli catholici ligantur.

333. Ligantur catholici in vicariatu Ap. Pudiceriano et in universa ora Malabarica, in vicariatibus Apostolicis Bombaini et Calcuttae, ac generaliter in possessionibus Indicis Anglorum (nonnullis tamen locis exceptis) et Gallorum. Extensa vero fuit ad eas omnes Declaratio Benedictina.

In provincia ecclesiastica Australiae non viget decretum (1).

In plerisque Sinensis imperii, Tunchini et Japoniae locis, variis de causis non viget.

Viget pro solis catholicis Juliae Caesareae seu Algeriae, nullatenus vero in Abyssinia aliisque ferme omnibus Africae regionibus.

334. Ad Americae septentrionalis vel centralis vel meridionalis insulas aliaque loca olim sub dominio catholicorum existentia, sed nunc subjecta dominio Anglorum, Hollandorum, Danorum, imprimis quidem 3 mart. 1825 (2) extensa fuit declaratio Benedictina; ex. gr. ad Curaçao, insulam SS. Trinitatis cet. In hac extensione supponebatur igitur catholicorum in illis locis obligatio. Saltem tamen postea haec cessavit in vicariatu Ap. de Curaçao; nam « ex decreto Congr. S. Off. cum supervenientibus novis colonis sub ditione acatholicorum, obliterata fuerit memoria et praxis formae Tridentinae, = Eminentiss. decreverunt matrimonia clandestina hactenus contracta pro validis habenda, si nullum aliud intervenerit impedimentum, si SS^mo placuerit; in posterum vero contrahenda pariter pro validis esse habenda, donec ab Ap. Sede aliter statutum fuerit, salva semper lege ecclesiastica, quae ejusmodi connubia vetat =, » cet. (3).

(1) Vid. Conc. prov. Australiense I, a. 1844, stat. 13, n. 2; in *Collect. Lacen.* t. 3, col. 1053 sq.

(2) Ap. *Mél. th.* ser. 3, p. 341.

(3) Perrone l. c. p. 271. qui tamen hoc decretum a. 1851 immerito

De America septentrionali haec accipe praeter ea quae dicta fuerunt n. 323. Ad Canadas extensa fuit Declaratio Benedictina, sed in iis universim, exceptis nonnullis locis ad septentrionem positis, viget decretum pro catholicis, observata tamen distinctione inter proprie dictas missiones et parochias. Etenim pro dioecesi Quebecensi rescripsit S. C. de Prop. Fide a. 1820 : « Pro incolis dioecesis Quebecensis, qui missionariis et donec utuntur, non esse locum decreto Concilii Tridentini *Tametsi*, nullo habito respectu majoris vel minoris distantiae (1). » Eadem S. C. a. 1824 ad archiep. Quebecensem rescripsit : « Si agatur de missionibus aut paroeciis jam praeexistentibus, non esse quidem necessariam, sed posse expedire publicationem conc. tridentini. Si vero agatur de missionibus aut paroeciis erigendis ex integro, iisque in locis, ubi non viget observantia decreti, omnino esse publicandum, erectione confecta, ut vigeat clandestinitatis impedimentum (2). » Demum eidem archiepiscopo respondit S. Off. 17 nov. 1835 idem quod S. C. de Prop. Fide declaraverat a. 1820, addiditque : « Secus vero de iis incolis affirmandum est, qui in

sumit pro extensione Declarationis Benedictinae ; catholicos illud respirere patet ex ipso decreto et ex praxi in dicto Vicariatu existente, quam mihi hodiernus Vicarius Ap. attestatus est. Forsitan in aliis quoque ex praefatis locis idem contigit, quo casu scribere potuit card. Soglia § 191, catholicos etiam inter se contrahentes a lege Trid. in dictis Americae septentrionalis insulis esse liberos. Imo haec addiderim ex Conc. I Coloniarum Angliae, Hollandiae, Daniae, Americae meridionalis atque Antillarum a. 1854 (archidioecesis Portus Hispaniae, dioecesis Rosensis, Vicariatus Apostolici Jamaicae, Guyanae Britannicae, de Curaçao et Surinam). Patres pro certa habebant in illis omnibus regionibus validitatem matrimoniorum inter haereticos contractorum et mixtorum. De catholicis etiam dubitabant, quia in earum insularum nonnullis non constabat de promulgatione, in aliis vero nova efformata erat societas inde a dominatione haereticorum ; quare S. Sedis oraculum implorandum censuerunt. Quod an imploraverint et quid responderit S. Sedes, nullibi reperitur. Vid. Collect. Lacen, t. 3, col. 1091.

(1) Ap. Kenrick, *Theol. mor.*, ed. Mechl. 1860, t. 2, tr. 21, n. 184.

(2) Ap. Perron, l. c. p. 267.

iis locis habitant, ubi sunt parocciae constitutae; ibi enim nullo modo a lege Tridentini decreti immunes haberi possunt, ut proinde eorum matrimonia irrita fiant, si nullo teste praesente contrahantur (1). » Hinc in eodem documento declaravit S. Off., si catholici e Canadae regionibus ad Status foederatos se conferant, ut legem Tridentinam evadant, matrimonium ab iis in Statibus foederatis contractum coram magistratu civili esse « ratum, si conjuges transferant etiam domicilium; irritum, si primum domicilium retineant (2). »

« In plerisque Statibus Foederatis nullum est vestigium legis Tridentinae promulgatae (3). » S. C. de Prop. Fide 13 dec. 1817 haec rescripsit : « Cum eae sint in foederatis istis Americae septentrionalis provinciis circumstantiae, ut tridentini decreti publicatio quoad matrimonia multo plus detrimenti, quam utilitatis afferat, S. Congreg. convenit, ut ipsius decreti promulgatio tamdiu differatur, quamdiu salutares effectus, quos lex sibi proposuit, haud sit allatura (4). »

In Baltimorensi itaque et plerisque aliis dioecesibus decretum non viget. In dioecesi Detroitensi juxta S. Off. 26 januar. 1842 (5) in sola parochia civitatis Detroitensis obligabat decretum, non in aliis dioecesis partibus. In conc. prov. Baltimor. quinto, a. 1843, decretum legitur : « Censuerunt Patres haud expedire decretum Tridentinum de clandestino matrimonio ad alias paroecias dioeceseos Detroitensis, extra ipsam civitatem, adhuc extendere; nec ad alias dioeceses Americae Foederatae, praeter eas in quibus

(1) Ap. Kenrick, l. c., Konings, n. 1607 sub *e*, *Nouv. rev. th.* t. 13, p. 549 sq.

(2) Ap. Kenrick, l. c. n. 195. Porro de Canadis vid. praesertim Konings, n. 1608 sub B, et Not. sub 2. et cf. *Nouv. rev. th.* t. 13, p. 548 sqq.

(3) Kenrick, l. c. n. 192.

(4) Ap. Perron. l. c. De locis Foederatorum Statuum, in quibus vigeat vel non vigeat decretum, speciatim vid. Konings, n. 1608 sub A et Not. sub 1.

(5) Ap. *Mél. théol.* ser. 3 p. 342, Perron. l. c.

jam noscitur promulgatum : et orandam esse S. Sedem ut dispenset quoad ipsam civitatem Detroitensem. » Responsionem huic supplicationi tunc factam reperire non licuit; sed videtur pro civitate Détroit non fuisse concessum. Cf. finem hujus numeri.

Quoad proclamationes autem in concilio plenario a. 1852 ex omnibus Statibus foederatis coacto ita legitur decretum : « Statuunt Patres in omnibus harum Provinciarum dioecesibus, post festa paschalia anni proxime venturi 1853, banna matrimoniorum publicanda esse. Ordinarios vero hortantur ut ne hac in re, nisi gravissimis de causis, dispensent. » Citato hoc textu, conc. plenarium secundum, anno 1866 Baltimori habitum, haec addit tit. 5, c. 9, n. 333 : « Quam saluberrimam disciplinam, jam usu receptam, firmam manere omnino volumus. »

In conc. prov. Cincinnatensi secundo, a. 1858, juxta Acta in prima congreg. publica : « Actum est primum, utrum expediret promulgatio Decreti Concilii Tridentini — de Clandestinitate Matrimonii —, et ab omnibus responsum est negative; nec aliter quam in Concilio Nationali agendum hac de re, siquidem temporum et regionis circumstantiae id aliquando requirere videbuntur. »

In tota qua a. 1824 longe patebat Neo-Aurelianensi dioecesi, nimirum in Luisiana superiore et inferiore, Floridis, aliisque partibus olim Gallorum vel Hispanorum dominio subjectis, extensa est Declaratio Benedictina. Imo opinatur Kenrick (1) ipsos catholicos ibi non ligari nisi in parochiis olim erectis seu antiquis. Utitur argumento ducto ex responsis a Sede Ap. pro dioecesi Quebecensi; quibus citatis haec addit : « Par plane est ratio regionis quae dioecesibus Neo-Aurelianensi, Mobiliensi, S. Ludovici, et Detroitensi continetur : ad solas quippe antiquas paroecias disciplina illa referri videtur : sed et in novas induci deinceps potuit; nequaquam vero in missionibus, quales omnes fere

(1) L. c. n. 184.

sunt, viget. Sic etiam Episcopo S. Ludovici responsum est. » Hoc responsum vid. sup. n. 305. Ad citationem dioecesis Detroitensis, ap. Kenrick occurrentem, Heiss (1) signum interrogationis apponit. Conc. Prov. II S. Ludovici, a. 1858, decr. II statuit : « Visum est Patribus a S. Sede implorare ut Trid. Conc. decretum de clandestinis matrimoniis, quod aliquibus in locis vim habere agnoscitur, nullibi in hac provincia pro promulgato habeatur, cum in novis civitatibus vix promulgari possit ob rerum adjuncta, et plura incommoda ex varia legis dispositione hac in re sequi noscantur. » Juxta Konings l. c. « in provincia ecclesiastica Neo-Aurelianensi (seu Luisiana inferiori)... ubique censetur vim habere ; » non tamen hodiedum in Florida, neque in ipsa etiam civitate Detroitensi ; sed de civitate Détroit vid. supra hoc numero. Voto etiam Conc. prov. II S. Ludovici satisfactum fuisse non puto. Cf. finem hujus numeri.

In California valent matrimonia acatholicorum et mixta, et juxta S. Off. a. 1853 pro California superiore praesumptio tantum habebatur de decreti promulgatione, non vero optata necessaria certitudo (2). Scribit Konings l. c. in prov. eccl. S. Francisci censeri decretum ubique vim habere, et citat S. Off. 15 maii 1861 pro dioecesi S. Francisci, 5 dec. 1861 pro Monter. et Angel., 1 jul. pro Vallisp., sanatis matrimoniis antea clandestine initis. Pro regione Texana considerandum maxime est quid viguerit quando regio haec erat sub dominatione Mexicana.

Conc. plenarium secundum a. 1866 verbis conc. prov. Baltimorensis quinti, paulo superius in hoc numero citatis, haec addit (3) : « Cum vero eadem perdurent rerum adjuncta, eidem et nos adhaeremus sententiae. Plura enim incommoda certo oritura nobis videntur, si proprii sacerdotis praesentia ad id necessaria esset, ut valide iniri possent catholicorum nuptiae. Si quo vero

(1) *De matr.* Monach. 1861, p. 171.
(2) Cf. Perron. l. c.
(3) L. c. n. 340.

in loco dubium adhuc existat, utrum lex Tridentina ibidem promulgata fuerit, rem Ordinarii judicio relinquimus dirimendam. Ut omnis tamen controversia auferatur, conscientiarum securitati consulatur, ac in re maximi momenti uniformitas habeatur, optimum fore nobis videtur, si Summae Sedis auctoritate, ea disciplina quae jam fere ubivis apud nos viget, universe in hac regione, excepta provincia Neo-Aurelianensi, instituatur. » Sed S. C. de Prop. Fide, in instructione tertia, 24 januarii 1868, circa postulata a Patribus concilii, n. VII rescripsit : « SS^mus Pater postulationi huic minime censuit annuendum. »

335. In praedictis omnibus non regionis tantum vel dioecesis, sed singulorum locorum ratio habeatur necesse est.

Quae de parochiis et missionibus dicta fuerunt, paulo accuratius explananda sunt. Missiones enim duplici ratione concipi possunt; aut nempe non habent sacerdotem residentem, sed a sacerdote aliunde veniente interdum visitantur, aut sacerdotem residentem habent. Praeterea aut hujusmodi missio erecta est et regitur ad instar parochiae, ita ut fideles jure ipso teneantur parochialia suscipere sive a determinato missionario sive ab uno saltem ex diversis missionariis intra certum locum diversis ecclesiis praepositis. Aut haec parochialitatis ratio prorsus non existit, et libere possunt fideles ubique Communionem paschalem cet. suscipere, saltem ita ut legi communi de Communione paschali satisfaciant.

In hoc postremo casu, in quo parochialitatis ratio non existit, validum dicendum est matrimonium sine sacerdote et testibus contractum; idque admittendum est, etiamsi olim parochialitas exstiterit, nunc vero abrogata sit. Adeo hoc verum esse videtur ut in ejusmodi loco ne publicatio quidem ipsa umquam sit facienda, nisi forte quoad testium necessitatem (cf. n. 202), quamdiu in eo statu locus manet, quum de parocho proprio, vel sacerdote qui sit instar parochi, sermo ibi esse non possit.

At si dicta parochialitatis ratio existat, et ceteroqui in loco,

sive missionis sive alio nomine dicatur, decretum obliget, tunc videndum est utrum visitetur tantum interdum locus a sacerdote aliunde veniente, an vero missionarium residentem habeat. In priori enim casu validum est matrimonium clandestinum, dummodo duo saltem testes adsint. In ea enim hypothesi non est sermo nisi de illa impossibilitate, de qua dictum est n. 303 sqq. In posteriori vero casu pro valore debet matrimonium in tota forma Tridentina contrahi (1).

Haec quidem ita concinnanda esse videntur, inspectis tum principiis tum responso Sedis Ap. dato episcopi S. Ludovici (n. 303). Neque aliud potest deduci ex uno alterove verbo occurrente in responsis datis archiep. Quebecensi (n. 334); nam ex iisdem, et ex cit. resc. S. Off. 17 maii 1804, liquet solam missionis rationem non sufficere, ut locus non obligetur decreto Tridentino; praeterea fieri potest in Canadis certas missiones excipi praecise propter parochialitatis defectum vel quia non videbatur publicatum decretum.

In sensu igitur supra exposito intelligenda etiam videntur ea quae in fine n. 334 ex Kenrick citata fuerunt, et haec quoque alia ejus verba l. c. n. 185 : « Id igitur pro certo habemus, legem Tridentinam ad ea aretari loca in quibus parocciae erectae sunt, vel ecclesiae instar parochialium, apud quas sacerdos actu residet, curam gerens animarum intra designatos limites : non autem respicere ecclesias quae rure et in missionibus passim erectae sunt, a sacerdote aliunde veniente visitandas. Caeterum opus non est ut jura omnia parochi habeat sacerdos; sed satis est ut prope Ecclesiam commorans, parochi instar, curam animarum gerat, prout rescripsit S. Sedes 17 maii 1804 de Hollandiae sacerdotibus (2). »

336. Quum in aliis locis vigeat decretum *Tametsi*, in aliis vero non vigeat, peculiaris quaestio oritur circa eos qui ex uno loco

(1) Vid. S. Off. 17 maii 1804, ap. Moser, App. n. 5.

(2) De parochiis, quasi parochiis et missionibus cf. Konings, n. 1607. *Nouv. rev. th.* t. 13, p. 549 sqq.

transeunt in alium, ubi matrimonium contrahunt. Multos hac de re casus ponunt auctores (1); in iis autem solvendis diversa vim suam exerunt principia, imprimis quidem illud contractibus proprium *Locus regit actum*, praeterea exceptio fraudis casu quo non fuerit prius acquisitum domicilium vel quasidomicilium (n. 211 sq.), sufficientia domicilii vel quasidomicilii ab una saltem parte acquisiti vel qualitatis vagi in una saltem parte existentis (n. 239), exemptio unius partis alteri communicata (n. 315 sqq.). Haec igitur pro circumstantiarum varietate ob oculos habita diversorum casuum solutionem afferunt, et necesse non est recurrere ad discussionem auctorum (2), sitne lex Tridentina localis vel personalis vel tum localis tum personalis.

337. Itaque 1° invalidum est matrimonium a vago clam contractum in loco ubi lex Trid. omnes obligat, etiamsi nec compars ibi acquisiverit domicilium vel quasidomicilium (3). E contra vagus valide contrahit clandestine cum quacumque persona in loco, in quo lex Trid. prorsus non obligat. Quod si solos acatholicos ibi non obliget, valide contrahit clandestine si ipse sit haereticus; si vero ipse sit catholicus, compars vero haeretica, valide non contrahit clandestine, nisi compars aut vaga sit, aut in loco habeat domicilium vel quasidomicilium, aut in suo, a quo discessit, loco non teneatur lege Tridentina, aut (juxta multorum doctrinam n. 338 indicandam), etiamsi teneatur, ipsa saltem non transierit matrimonii ineundi causa. Seposito casu vagi, qui etiam in sequentibus prae oculis haberi debet, nunc dicendum de iis quorum neuter vagus est.

(1) Cf. Moser, c. 17, n. 11 sqq., Carr. *De matr.* n. 1184-1194, *Compend.* n. 190, van de Burgt, n. 264-270, tr. Mechlin. n. 86 q. 3 ad 2. et qq. 4 et 5; n. 89, q. 3, concl. 1 et qq. 4 et 5, Perron. l. c. p. 275 sqq., *Études de théol.* Par. 1859, p. 465 sqq. 641 sqq., Heiss, op. cit. p. 174, Scavin. t. 4, n. 549.

(2) Cf. citatos in nota praecedenti et Konings t. 2, p. 396, ubi vid. etiam S. C. de Prop. fide Instr. ad archiep. S. Francisci ex resolutione S. Off. 14 dec. 1859.

(3) Cf. n. 341, de Angelis t. 3, part. 1, p. 97 sq.

338. 2° Si domiciliati in loco ubi uterque decreto Trid. ligantur, transeant ad locum, in quo haec prorsus non viget (1), ibique clandestine contrahant, *a*) si transierint matrimonii contrahendi causa, certum est matrimonium esse irritum, nisi alteruter ibi prius acquisiverit domicilium vel quasidomicilium (2). *b*) Si non transierint eo animo, sed alia de causa vel fortuito ibi existentes matrimonium ineant, antequam alteruter saltem ibi acquisiverit domicilium vel quasidomicilium, dissentiunt auctores. Alii volunt tunc etiam matrimonium esse irritum, dicentes fraudem saltem materialem in proprium parochum adesse, nec in casu posito sub *a*) S. C. C. et Urb. VIII considerare eam praecise fraudem, quae consistit in animo legem eludendi; nam casu domicilii vel quasidomicilii prius acquisiti hanc non officere; si autem in casu, de quo nunc agitur, solius loci ratio eximeret a lege, sicut eximit domicilium vel quasidomicilium prius acquisitum in loco, tunc in casu etiam transitus facti animo matrimonium contrahendi dicendum fore locum patrocinari et valere matrimonium, quod tamen falsum est. Nullitatem igitur declaratam a Sede Ap. in casu posito sub *a*) non esse exceptionem regulae *Locus regit actum* appositam propter fraudulentam intentionem, sed applicationem legis ipsius Tridentinae utpote simul personalis ac localis, et consequenter a S. Sede considerari non fraudem quae est in intentione, sed fraudem realem qua lex eluditur, et id unum semper esse indagandum, fueritne acquisitum domicilium vel quasidomicilium. Alii vero valere matrimonium dicunt propter contractuum regulam *Locus regit actum*. Ili vero Urb. VIII decretum diversimode explicant; sunt enim qui sentiant esse exceptionem regulae illi appositam pro casu, quo matrimonii causa transitur et, non acquisito prius domicilio vel quasidomicilio, matrimonium clam

(1) Ex. gr. vir et mulier, sive catholici sive acatholici, in Belgio domiciliati, transeuntes in Angliam.

(2) Vid. Urb. VIII breve *Exponi Nobis* sup. n. 212, et cf. sup. p, 216, ac S. C. C. in *Parisien. Matr.* a. 1873, cit. supra n. 226, not. 3.

contrahitur, ut postea Clem. X irritam declaravit absolutionem a reservatis ab alterius dioecesis confessario datam poenitenti, qui in fraudem reservationis e dioecesi migravit; sunt vero plures qui tam Urb. VIII quam Clem. X dispositionem considerant tamquam meram sequelam doctrinae ab his auctoribus propugnatae, neminem scil. a legis imperio liberari, si animo eam eludendi e territorio exiverit. Utraque autem de matrimonio in casu *b*) opinio probabilis est, sed posterior videtur inter magni nominis auctores communior (1), et in praxi non posset matrimonium haberi pro invalido absque recursu ad Sedem Ap.

Si ex domiciliatis in loco, ubi uterque decreto ligantur, una tantum pars transivit animo contrahendi matrimonium, juxta multorum supra indicatam doctrinam valet hoc, a neutra licet acquisito domicilio vel quasidomicilio, clam contractum in loco a lege Trid. prorsus libero.

339. Ea quae numero praecedenti tradita fuerunt, pariter sunt dicenda de duobus acatholicis e loco, ubi acatholici decreto ligantur, transeuntibus in locum ubi soli acatholici liberi sunt (2). Sed quid si una pars est catholica, altera acatholica? Si acatholica etiam pars matrimonii causa transivit, invalidum est matrimonium, nisi illa prius contraxerit domicilium vel quasidomicilium; si vero non eo animo transivit, juxta multorum doctrinam n. 338 relatam valet matrimonium.

340. 3° Domiciliati in loco, ubi prorsus non obligat lex Trid., et contrahentes in alio ubi pariter non obligat (3), valide contra-

(1) Cum iis sentit de Angelis l. c. p. 97. Konings vero t. 2, p. 396 multo probabiliorem censet sententiam quae validitatem negat, putatque ei favere S. Off. resol. 14 dec. 1859 (sup. n. 336 not. 2), eamque firmari etiam ex causa S. C. C. in *Parisien.* 25 januar. 1873 (sup. n. 226 not. 3). Sed sententiae validitatem asserenti nec nocet illa resol. S. Off., nec illa *Parisien.* de qua vide potius editorem *Act. S. Sedis* t. 7. p. 557 sqq.

(2) Ex. gr. vir et mulier acatholici, domiciliati in Belgio, transeuntes in Hollandiam.

(3) Ex. gr. vir et mulier, domiciliati in Anglia, transeuntes Baltimorum.

hunt clandestine, etiamsi neuter ibi acquisierit domicilium vel quasidomicilium. Idem est si alteruter tantum sit e loco, in quo lex Trid. prorsus non obligat (1). Idem etiam si in utroque loco soli acatholici sint liberi, et sive utraque sive alterutra pars sit acatholica (2). Semper sufficit ut una tantum pars neque in loco sui domicilii, e quo transiit, neque in eo, in quo contrahit, lege teneatur; nihil enim tunc refert quaecumque sit persona cum qua contrahit (3).

341. 4° Domiciliati in loco, in quo prorsus non obligat decretum, et contrahentes in alio, ubi omnes obligat (4), invalide hoc faciunt clandestine, etiamsi nondum ibi sive ab utroque sive ab alterutro acquisitum fuerit domicilium vel quasidomicilium (5). Eadem est solutio, si transeuntes sint acatholici, vel una pars catholica, altera acatholica, et in loco, e quo pars acatholica discessit, soli acatholici decreto non ligentur, sed eo ligentur in loco ubi matrimonium contrahitur (6).

(1) Ex. gr. Baltimorum transeuntes quorum alter in Anglia, alter in Belgio habitat.

(2) Ex. gr. partes acatholicae, vel catholica una, acatholica altera, in Hollandia domiciliatae, transeuntes in Hiberniam.

(3) Ex. gr. pars acatholica, domiciliata in Hollandia, contrahens in Anglia cum parte catholica quae in sui domicilii loco, puta in Belgio, ligatur decreto. Vid. S. Off. 8 febr. 1860, in tr. Mechl. n. 86 in fine, et cf. Perron. l. c. p. 293.

(4) Ex. gr. partes, sive catholicae sive acatholicae, sive catholica una, acatholica altera, in Anglia domiciliatae, contrahentes in Belgio.

(5) Vid. S. C. C. 4 febr. 1580, ap Pignatellum, *Consult. can.* 79 tomi 5, n. 8 sq. In eamdem rem citantur a Perron. l. c. p. 276 sq. S. C. C. in *Augustana* a. 1742, S. Poenit. 28 mart. 1815, S. Off. 5 jul. 1848; sed rem non probat neque illa causa *Augustana* 24 nov. 1742 (*Thes. S. C. C.* t. 11) neque illa S. Off. 5 jul. 1848; illa vero S. Poenit. 28 mart. 1815 foret ex facti specie ponderanda. Immerito Carr. *De matr.* n. 1190 sqq., *Compend.* n. 190, opinatur praefatos non contrahere invalide, nisi prius acquisiverint domicilium vel quasidomicilium.

(6) Ex. gr. partes acatholicae, vel quarum una est catholica, altera acatholica, domiciliatae in Hollandia, transeuntes in Belgium.

342. Supra n. 193 in fine constitit Tridentinos Patres certitudini de matrimonio vere contracto etiam prospexisse jubendo ut in libro inseratur. Hac autem in re dispensare episcopus nequit; sed matrimonia conscientiae, de quibus in cap. sq., inscribenda sunt in libro peculiari his matrimoniis destinato (1), reliqua vero in libro matrimoniorum ordinario. Debet esse liber compactus, non folia, ut vocant, volantia, et in eo describere parochus tenetur « conjugum, et testium nomina, diemque, et locum contracti matrimonii (2). » Haec habet Rit. Rom. (3) : « Parochus manu sua describat in libro matrimoniorum nomina conjugum, et testium, et alia juxta formulam praescriptam (4); idque, licet alius sacerdos vel a se, vel ab Ordinario delegatus, matrimonium celebraverit. » Nullae vero fieri possunt adnotationes vel adhiberi verba, quae alicui injuriam vel infamiam inferant, etiamsi veritate nitantur (5). Praeterea vult Concilium ut librum hunc parochus « diligenter apud se custodiat; » liber enim matrimoniorum ordinarius, saltem quod spectat ad exemplar originale, non in curia episcopali sed ab ipso parocho asservandus est (6). Liber iste plenam fidem facit, sed ut fides ex eo extracta legitimam faciat in judicio probationem, necesse est ut fiat cum formali transcriptione de verbo ad verbum, et aliter facta fides seu attestatio parochi, quibuscumque verbis concepta, in judicio non probat (7).

(1) Locus igitur non est dispensationi episcopi, de qua scribit Devoti, *Instit. cann.* l. 2, tit. 2, § 108, not. 4 : « Dubitandi locus esse non potest, quin etiam cum ejus venia hujus matrimonii descriptio in ordinario matrimoniorum libro omitti possit. »

(2) Conc. Trid. sup. n. 193.

(3) *De sacr. matr.* in fine.

(4) Eam vid. in Rit. Rom. rubr. *Formulae scribendae in libris habendis a parochis.*

(5) Cf. Lucidi, *De visit. SS. Lim.* t. 1, p. 373.

(6) Cf. Pax Jordanus, *Elucubrationes diversae*, t. 1, l. 3, tit. 7, n. 159, Lucidi, op. cit. t. 1 p. 372 sq., t. 2 p. 612 sq.

(7) Cf. Lucidi, t. 1, p. 373 sq.

Matrimonii in libro descriptio propter maximas omissionis sequelas obligat sub gravi (1).

CAPUT XII.

DE MATRIMONIIS CONSCIENTIAE ET MORGANATICIS.

343. Cum matrimoniis proprie dictis clandestinis non sunt confundenda ea, quae dicuntur conscientiae (2), et, alio licet sensu olim ita appellata (3), hodie dicuntur illa, « quibus vir et foemina coram parocho, aut altero sacerdote, ab eo cui haec sit auctoritas deputato, et duobus testibus familiaribus, sed omissis ex indulto denuntiationibus, connubio junguntur. Omnis cura adhibetur ut haec matrimonia occulta remaneant ad evitanda hominum improbantium dicteria, aliasque molestias, quas facile subirent conjuges (4). »

344. Publice iniri matrimonia summopere Ecclesia exoptat, et ut plurimum matrimonia conscientiae per se abhorrent a Sacra-

(1) Cf. Pax Jordanus, l. c. n. 154, Lucidi, t. 1. p. 376. Plura de libro matrimoniorum horumque in eo descriptione habes ap. Bangen, tit. 3. p. 71 sqq., Kutschker, t. 4, p. 645 sqq., *Anal. jur. Pont.* ser. 2, col. 2776 sqq.

(2) De iis vid. Ben. XIV const. *Satis vobis* 17 nov. 1741 (*Bull. Ben. XIV*, t. 1 const. 35; ed. Mechl. vol. 1 p. 182 sqq.) et *De syn. dioec.* l. 13, c. 23 n. 12 sq., S. C. C. in una *Dubium matrimoniorum* 9 sept. 2 dec. 1724 (*Thes.* t. 3), *Granaten. Matr.* 28 sept. 1743, 14 mart. 27 junii 1744, 18 dec. 1745 (Ib. t. 13 et 14). Cf. Franc. Mazzei, *De matrimonio conscientiae*, Rom. 1768. ad cujus operis calcem exhibet etiam privatas de matrimonio conscientiae literas, quas dicit esse Ben. XIV ad card. archiep. Bononiensem. Soglia, § 170, Bangen, tit. 2, p. 49 sqq., Kutschker, t. 4, p. 676 sqq., Giovine, t. 1, p. 666 sqq., *Anal. jur. Pont.* ser. 1 col. 838 sqq., ser. 2 col. 2776 sq., ser. 11 col. 885, Téphany, n. 511 sqq., de Angelis, t. 3, part. 1, p. 99 sqq.

(3) Cf. Ben. XIV, *De syn.* l. c. n. 12.

(4) Ib. et cf. cit. const. *Satis vobis* § 1.

menti dignitate et ecclesiasticarum legum praescripto (1). Idcirco monet episcopos Benedictus XIV ne facile, nec nisi expensis prius diligenter petentium qualitatibus, ea permittant (2). Quum tamen gravem ob causam permitti aliquando possint (3), vult idem Pontifex, ut casu, quo permittuntur, certae cautiones adhibeantur per quas malis facile orituris obviam eatur. Ea autem quae ipse constituit praxim efformant Sedis Ap. inde a tempore Benedicti, cujus Constitutionem etiam a S. Poenitentiaria ut normam adhiberi ipse testatur (4).

345. Haec igitur episcopis injungit Pontifex : 1° « Deputari parochum alterius ex contrahentibus, quem notitia personarum, experientia, et diuturnus rerum usus quovis sacerdote extraneo peritiorem effecisse praesumuntur. Si quae tamen... occurrant circumstantiae, quae alium sacerdotem loco parochi exposcere videantur, gravi impellente causa : is sacerdos a Vobis eligatur, qui probitate et doctrina, et obeundi muneris peritia commendetur (5). »

2° Ut parocho vel sacerdoti deputando « districte praecipiatur, ne matrimonio intersit, nisi prius paterna charitate conjuges in Domino monuerit, sobolem procreandam regenerari quamprimum oportere sacro Baptismatis lavacro; ac Christo judici districtam reddituros esse rationem, nisi filios ut legitimos agnoverint, eosque pietate, bonisque moribus imbuerint, et frui patiantur bonis temporalibus, a majoribus in supremis tabulis relictis, vel provida legum auctoritate delatis (6). »

3° Ut celebrato matrimonio « indilate a parocho, vel alio sacerdote, coram quo initum est, exhibeatur Episcopo illius scri-

(1) Ben. XIV cit. const. § 2-4, *De syn.*, l. c. n. 13.
(2) Cit. const. § 5-7.
(3) Ib. § 6, et cf. *De syn.* l. c. n. 13.
(4) *De syn.* l. c.
(5) Cit. const. § 8.
(6) Ib. § 9.

ptum documentum, cum nota loci, et temporis, testiumque qui celebrationi interfuerint (1). »

4° Episcopi porro esse « postea diligenter incumbere, quod, ad perennem gestae rei memoriam, praefatum documentum fideliter transcribatur in libro prorsus distincto ab altero, in quo matrimonia publice contracta de more adnotantur (2). »

5° « Hujusmodi liber pro matrimoniis secretis apposite compactus, clausus, et sigillis obsignatus, » in episcopali cancellaria caute debet custodiri, et eo tantum casu resignari et aperiri ex episcopi licentia « quo alia id genus matrimonia describi oporteat, vel id sibi vindicet justitiae administrandae necessitas, vel demum aliquod documentum ab eo exposcant verum interesse habentes, quibus probationum aliunde petendarum non suppetit copia. » Sedulo tamen animadvertendum est ut, re absoluta, denuo liber claudatur et sigillis, ut antea, obsignetur (3).

6° Quomodo autem attestatio illius, qui adstitit, parochi vel sacerdotis est in libro describenda, et quid faciendum de ipsa attestatione? Attestationes illae « transcribantur in dicto libro, prout jacent, de verbo ad verbum a persona a Vobis deputanda, quae apud omnes integritatis, probatique nominis luculentum habeat testimonium. Fides vero, et attestationes ipsae in secretiori loco sartae tectaeque a Vobis serventur (4). »

7° Si ex occulto hujusmodi matrimonio proles nascatur, baptizanda est « in Ecclesia, in qua aliis infantibus hoc sacramentum indistincte confertur. » Quia vero « ad operiendum clam initum matrimonium facile est in libro baptizatorum nullam fieri mentionem parentum, et eorum nomina consulto reticeri (5), » expresse mandat Benedictus ut a patre baptizati, eoque defuncto,

(1) § 10.
(2) Ib.
(3) Ib.
(4) Ib.
(5) § 11, et cf. Lucidi, t. 1 p. 377.

ab illius matre, suscepta proles episcopo denuntietur, « dictaque denuntiatio fiat, vel immediate per parentes ipsos, vel per literas eorum charactere exaratas, vel per fide dignam personam ab ipsis parentibus designatam, ut certo et clare Vobis constet, quod proles tali loco, et tempore vel reticitis, vel falso expressis nominibus parentum, baptizata, est legitima, licet occulti matrimonii foedere procreata. » Quae quidem omnia quum episcopo innotuerint, ne illorum excidat memoria, in libro fideliter describentur ab eo, cui facta est ab episcopo potestas adnotandi matrimonia occulte celebrata. Porro « liber, in quem baptizatorum, ac utriusque parentis nomina referuntur, quamvis distingui debeat ab altero matrimoniorum; eadem tamen diligentia, iisdemque cautelis in Cancellaria Episcopali clausus, et sigillis obsignatus, erit custodiendus, » ut librum matrimoniorum caute custodiri supra Pontifex mandavit.

8° Quia tamen fieri posset aliquos his mandatis non obtemperare, eos debita poenarum districtione pro modo culpae ab episcopo puniendos esse statuit Benedictus. Insuper, quia ob humanos respectus ne tunc quidem facile obtemperatur vel saltem tardiores facile sunt homines ad obtemperandum, mandat ut matrimonium occultum ab episcopo evulgetur et notum fiat, si certo ipsi constiterit, ex eo procreatam fuisse sobolem et baptizatam suppressis parentum nominibus, nulla praestita episcopo notitia, ut par erat, ab illius parentibus, intra triginta dies a nativitate numerandos. Curandum autem, ut a parocho vel sacerdote adsistente moneantur contracturi, ita actum iri, si non steterint praescriptis de baptizanda prole et baptismi fide cum nota loci et temporis administrati Sacramenti, ac sincera indicatione parentum, episcopo exhibenda; ita autem actum iri in gratiam filiorum (1).

9° Denique vult Pontifex, ut fides seu attestationes matrimonii et sobolis ex eo procreatae, excerptae ex memoratis libris, modo, quo dictum est, apud episcopum caute custodiendis, tantam pro-

(1) § 12 sq.

mercantur fidem, « quantam sibi alii libri parochiales baptimatis, et matrimonii vindicare consueverunt (1). »

10° Posse insuper episcopos validiora remedia adhibere ex sua prudentia, ut malis ex ejusmodi matrimoniis orituris obviam eant (2).

346. Matrimonium *ad morganaticam* est quando vir nobilis, praesertim post susceptos ex nobili uxore defuncta liberos « coram parocho et testibus, obtenta prius a proclamationibus opportuna dispensatione, alteram ex humiliori ordine ducit, addita conditione, ut tam mulier, quam filii ex eo matrimonio nascituri, nihil sibi juris ex eo acquirere possint, praeterquam ad ea, quae ad victum sunt necessaria. Hujus conditionis vi et mulier a participanda mariti dignitate excluditur, et filii ab omnibus titulis, muneribus, et paternorum avitorumque bonorum successione extranei censentur (3). » Hac praecise conditione matrimonium hujusmodi distinguitur a matrimonio conscientiae, cum quo confundi non potest (4).

CAPUT XIII.

DE IMPEDIMENTO CONSANGUINITATIS.

347. Praecipua impedimenti cognationis species (5), nempe consanguinitas seu cognatio carnalis sive naturalis, est vinculum

(1) § 14.

(2) § 15.

(3) Ben. XIV, *De syn.* l. c. n. 12. De hujusmodi matrimonio et origine vocis cf. etiam Mazzei, op. cit. praef. p. XI sq., et c. I § 3 sq., c. 13-20, Devoti, *Instit. can.* l. 2, tit. 2, § 108, Soglia § 169, Kutschker, t. 4, p. 688 sq., Bangen, tit. 3, p. 109, 119, Phillips, *Deutsche Reichs-und Rechtsgeschichte*, § 42, von Moy, art. *Ehe zur linken Hand*, ap. Wetzer et Welte, *Kirchen-Lexikon*, t. 3, secret. S. C. C. in cit. *Dubium matrimoniorum* (n. 343 not.), Téphany, n. 517.

(4) Cf. Mazzei, op. cit. praef. p. XI sq., et c. I § 3.

(5) Cf. n. 79. De ea scribunt canonistae ad tit. *De consanguinitate et affinitate.*

quod propter sanguinis unitatem seu conjunctionem ex carnali generatione ortam existit inter personas aut una ab altera aut ab eodem communi stipite proximo descendentes. Vinculum igitur illud seu sanguinis conjunctio in uno casu locum habet eo quod personae descendant una ab altera, quae personarum series vocatur *linea recta*. In altero vero casu locum habet, quia communis sanguis trahitur ab aliquo communi stipite, a quo utrinque personae descendunt, quae itaque inter se non sunt in linea recta, sed in *linea collaterali* seu *transversali* seu *transversa* seu *obliqua*. Et quamquam omnes homines generalissimo aliquo sensu inter se consanguinei sunt, utpote omnes habentes communem stipitem in primo homine, ubi tamen de consanguinitate specifice sumpta seu de impedimento sermo est, solus stipes communis proximus attenditur; ex gr. duorum fratrum filii avum suum habent pro stipite communi, a quo eorum inter se consanguinitas repetitur.

Duplex igitur distinguitur linea, in utraque autem, ad noscendum qualis praecise sit propinquitas seu sanguinis conjunctio, computatio fit per *gradus*.

348. Plura motiva postulant ut quaedam personae consanguineae a nuptiis inter se ineundis impedimento dirimente prohibeantur (1). In primis id exigit verecunda reverentia ac subjectio, quam natura inspirat erga parentes et quae familiaritati conjugali valde repugnat. Cohibenda etiam est concupiscentia inter consanguineos, quos simul habitare vel familiariter conversari necesse est. Denique amicitiae vincula ad plures extenduntur, dum extranei per matrimonium in familiam assumuntur. Tristes qui matrimoniis inter consanguineos solent tum pro conjugibus tum pro liberis esse effectus, horum motivorum gravitatem mire confirmant.

(1) Cf. S. Thom. *Suppl.* q. 54, art. 3 corp., Moser. c. 6, n. 4, Ferrari. *Summa institt. canonicarum*, t. 2, n. 378.

349. Ut recte intelligatur hoc impedimentum, prius constet necesse est de significatione vocum et modo determinandi consanguinitatis existentiam atque extensionem.

Stipes est persona, a qua descendunt aliae de quarum cognatione agitur, et in qua (si de linea collaterali sermo sit) tamquam in communi et proxima radice conveniunt, quaeque consequenter dat principium lineis seu seriebus personarum inde descendentium. Quum autem vario modo possit quis a stipite descendere, varie etiam consanguinitas nominatur. Etenim 1° filii qui ex iisdem patre et matre geniti sunt, dicuntur *germani;* qui ex eodem patre sed diversa matre, *consanguinei* in strictiori vocis acceptione; qui ex eadem matre sed diverso patre, *uterini.* 2° Alia est *cognatio,* alia *agnatio;* agnati sunt qui conjunguntur per lineam masculinam, cognati qui per femineam (1); agnati interdum comprehenduntur etiam nomine cognatorum, hi vero numquam nomine agnatorum. Verum duplex haec de diverso consanguineorum nomine observatio nullam causat differentiam quoad consanguinitatis impedimentum, ideoque nullum habet peculiarem in re praesenti effectum; quod idem dicendum de discrimine inter legitimos et illegitimos.

350. *Linea* est series personarum a stipite descendentium. Recta autem, quamquam unica est, dicitur tamen aut *ascendentium* (ascendentalis) quando numerando progredimur a genitis ad gignentes, scil. patrem vel matrem, avum vel aviam, proavum vel proaviam, abavum vel abaviam. Aut dicitur *descendentium* (descendentalis), quando gradimur a gignentibus ad genitos, scil. filium vel filiam, nepotem vel neptem, pronepotem vel proneptem, abnepotem vel abneptem.

Linea collateralis eo ipso, quod necessario postulet mentionem stipitis communis proximi, duas ponit esse lineas rectas, in quarum una locum habet una ex personis, in quarum consanguinita-

(1) Cf. Reiff. n. 5 sq. h. t., Weber, p. 46 sq.

tem inquiritur, harumque altera in altera. Est autem vel *aequalis* vel *inaequalis;* aequalis, quando ab utraque parte seu in utraque linea recta personae, in quarum consanguinitatem inquiritur, distant aequali gradu seu distantia a communi stipite proximo, ex. gr. duo fratres; inaequalis, quando alterutra magis distat a communi stipite, ex. gr. patruus vel avunculus vel amita vel matertera, et nepos vel neptis.

351. *Gradus* est mensura distantiae unius personae ab altera seu, ut dicit Clericatus (1) : « habitudo distantium personarum, qua cognoscitur, quota agnationis, seu cognationis distantia duae personae inter se differant. Et dicuntur gradus ad similitudinem scalarum, et locorum proclivium, per quos vel ascendimus, vel descendimus, et gradimur de proximo in proximum, sive sursum ascensuri, sive descensuri deorsum. »

352. Magna in graduum computatione differentia est inter jus canonicum disponens de nuptiis, et jus civile Romanum disponens de rebus civilibus; hoc enim pro successionibus aliisque rebus civilibus eam sequitur regulam, ut tot sint gradus, quot generationes intercedunt inter personas, in quarum consanguinitatem inquiritur, seu ut tot sint gradus, quot sunt personae, dempto stipite; ita ergo ab utraque parte personae computantur, et gradus duplicantur. Quamquam autem haec computatio civilis est observanda ubi de rebus civilibus, maxime vero de successionibus, agitur; in sponsalibus tamen et matrimonio rebusque aliis ecclesiasticis, ex. gr. beneficiariis, propriam Ecclesia habet computationem necessario observandam.

Praefatam juris civilis Romani pro successionibus aliisque rebus civilibus computationem hodiernae leges civiles variarum regionum etiam pro nuptiis servant. Idem pro his fecisse jus Romanum multi tradunt, alii vero negant; ubi enim de nuptiis agit jus Romanum, aiunt hi, ibi differt quidem ab hodierno jure cano-

(1) Decis. 22 *De sacr. matr.* n. 7.

nico quoad indicationem consanguineorum, qui matrimonio jungi possint vel non possint, sed non loquitur de gradibus computandis (1).

In ecclesia Graeca et Orientali universim gradus computantur ut pro successionibus cet. in jure civili Romano (2). Sunt autem qui putent initio Latinam quoque Ecclesiam ita computasse ; quidquid hac de re sit (3), graduum computatio in Ecclesia Latina jam ab antiquo ea est quae sequitur (4).

553. 1° In linea recta tot sunt gradus quot generationes, seu tot sunt gradus quot personae, dempto stipite. Pro linea igitur recta convenit jus canonicum cum civili, et in schemate, quod numero sequenti exhibetur, Paulus est cum Elisabeth in gradu primo, cum Felice in secundo, cum Marco in tertio, cum Petro in quarto.

554. 2° In linea collaterali aequali personae, de quibus quaeritur, eodem gradu inter se distant, quo singulae distant a communi stipite, seu tot sunt gradus quot personae in una serie, dempto stipite, seu tot sunt gradus quot generationes in una serie. Hinc personae lineae collateralis eo gradu sunt inter se consanguineae, qui medius inter eas in sequenti schemate ponitur.

(1) Cf. c. 2 C. 35 q. 6, et ad eum canonem Berardus, *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti*, t. 3, c. 83, et *Comm. in jus eccl. universum*, t. 3, dissert. 4, c. 4.

(2) Cf. Ben. XIV const. *Etsi pastoralis* 26 maii 1742, § 8, n. 5 (*Bull. Ben. XIV* t. 1 const. 57 ; ed. Mechl. vol. 1. p. 370), Papp-Szilagyi, *Enchiridion juris Eccl. Orientalis catholicae*, Magno-Varadini 1862, part. 2, § 106, Zhisman, *Das Ehercecht der Orientalischen Kirche*, Vindob. 1864, p. 220 sqq. An nihilominus quoad extensionem impedimenti conveniat Ecclesia Orientalis cum Occidentali, vid. inf. n. 365.

(3) Cf. de Angelis t. 3, part. 1, p. 235 sq.

(4) Nomina diversorum consanguineorum, et quomodo conficiatur arbor consanguinitatis, passim auctores indicant ; cf. de Justis, *De dispensationibus matrimonialibus*, l. 2, c. 3, n. 24 sqq., Luc. Ferraris, *Prompta bibliotheca*, V° *Affinitas*, art. 1, n. 15, et V° *Matrimonium*, art. 5, n. 53 sqq., van de Burgt, n. 156 sq., Kutschker, t. 3 p. 291 (et de probatione con-



355. 3° In linea collaterali inaequali personae eodem gradu inter se distant, quo earum remotior distat a communi stipite, seu tot sunt gradus quot personae in longiori serie, dempto stipite, seu tot sunt gradus quot generationes in longiori serie. Hinc in proposito schemate inter Marcum et Annam, item inter Mariam et Felicem, est gradus 2 tangens primum, inter Felicem et Joannem, item inter Annam et Elisabeth, gradus 3 tangens secundum, inter Elisabeth et Helenam, item inter Joannem et Paulum, gradus 4 tangens tertium. Gradus igitur remotior trahit ad se propinquiorem. Nihilominus in libello supplici, quo dispensatio petitur, gradus etiam propinquior, quamquam non semper pro valore, exprimi debet; vid. c. 32 § 3.

356. Multiplex etiam inter personas, de quibus quaeritur, existere potest consanguinitatis vinculum, sive ex uno sive ex pluribus stipitibus, quando nempe utraque vel alterutra multipliciter descendit aut ab uno aut a multiplici stipite. Per varias causas id contingere patet ex sequentibus schematibus, in quibus exhibetur multiplicitas vinculi consanguinitatis aut ex diversis stipitibus communibus, aut ex unico sed viis diversis (1). Quo plures

sanguinitatis, ib. p. 523 sqq.), Scavin. t. 4, n. 681 sqq. et append. 5 ad calcem, Ferrari, t. 2, n. 377, Gury ed. Ballerin. t. 2, n. 802 sqq., Giovine, t. 1, p. 351 sq. 403 sq., tr. Mechl. n. 75, Planchard, *Dispenses matrimoniales*, Engolismi, 1882, n. 23 sq. et Append. n. 1, Konings, n. 1583, q. 2 sq.

(1) Nonnulli erronee opinati sunt consanguinitatem non multiplicari nisi ratione diversorum stipitum, nec sufficere diversitatem viarum per quas ab uno stipite descenditur.

concurrunt causae mox indicandae, vel quo magis una ex illis multiplicatur, eo magis multiplicatur consanguinitas (1). Res autem summi momenti est, quum singula ejusmodi vincula constituant impedimentum necessario exprimendum in libello supplici; vid. c. 32 § 3.

357. Prima multiplicitatis causa est, quando prolem quis habet ex persona sibi consanguinea, et haec sola causa est, quoties ex uno stipite multiplicitas oritur.



Vincentius et Dorothea sunt in duplici quarto aequali lineae collateralis ex stipite Antonio, a quo duplici via descendit Vincentius, quia Thomas et Antonia sibi erant consanguinei.

358. Aliud exemplum:



(1) De multiplicitate vinculi alii fusius, alii parcius, alii rectius, alii negligentius scribunt; cf. Pyrrhus Corradus, l. 7, c. 5, n. 70, 84 sqq., Garcia, *De benef.* part. 8, c. 3, n. 88 sqq., de Justis, l. c. n. 31 sqq., Carr. *De matr.* n. 673, *Compend.* n. 160, Seitz, *Darstellung der kath.*

Vincentius et Dorothea sunt in quadruplici quarto aequali lineae collateralis, duplici nempe ex stipite Antonio, a quo dupliciter descendit Vincentius, quia Thomas et Antonia sibi erant consanguinei; alio duplici ex stipite Josepho, a quo duplici via descendit Dorothea, quia Benignus et Beatrix sibi erant consanguinei.

339. Aliud exemplum :



Henricus et Elisabeth in primis quidem sunt in secundo gradu aequali lineae collateralis, sed iste gradus non est duplex, quia in eo computando sistitur in Marco et Anna, et multiplicitas numquam tunc causatur eo quod proles sit ex iisdem patre et matre; aliud est esse germanos, aliud esse dupliciter consanguineos. Praeterea sunt Henricus et Elisabeth in quarto gradu aequali praefatae lineae ex stipite Joanne, et, uti videtur (1), in duplici

Kirchendisciplin in Ansehung der Verwaltung der Sacramente, Ratisb. 1850, p. 626 sqq., Knopp, ed. 2, p. 158, Schoepf, *Handbuch des kath. Kirchenrechts*, t. 4, Schaffh. 1858, p. 83, et tabella ad calcem, sub 2, van de Burgt, *De dispens.* ed. 4, Sylvaeduc. 1865, n. 19, et *De matr.* n. 160, Stapf, *Vollstaendiger Pastoralunterricht ueber die Ehe*, ed. 6, Francof. 1845, p. 231 sq., tr. Mechl. n. 75, Kenrick, t. 2, p. 319, Aichner, § 171 n. 1 sub *c*, Kutschker, t. 5 § 326, Binder, *Praktisches Handbuch des kath. Eherechtes*, t. 1, fasc. 3, S. Hippol. 1857, p. 97 sqq., Giovine, t. 1, p. 352 sqq., t. 2, p. 22 sqq., Planchard, n. 21 sqq. et Append. n. 1.

(1) Giovine, t. 1, p. 353, n. 12, non tractat nostram quaestionem, dicit

quidem ejusmodi gradu, quia duplici via, nempe tum per Marcum tum per Annam, ab eo descendunt. Hujus enim rei ratio habenda videtur quando non sistitur in hoc stipite, sed agitur de gradu, pro quo ad ulteriorem stipitem proximum recurrendum est. Et certe Henricus et Elisabeth sunt cum Norberto in duplici quarto aequali lineae collateralis, quia tam per Marcum quam per Annam descendunt a stipite Joanne, qui est eorum stipes proximus communis cum Norberto. Ex quo firmari omnino videtur quod dictum est de duplici quarto gradu existente inter Henricum et Elisabeth; nam certo sunt in quarto etiam gradu; quo posito, duplex gradus iste dici debet aeque ac cum Norberto; quod tantum posset negari si non essent ullatenus in quarto.

360. At objecerit quis Henricum et Elisabeth non esse nisi in secundo gradu, minime vero in quarto; nam 1° solum stipitem communem proximum esse considerandum; 2° si legitima fuit conjunctio Marci et Annae, dispensationem sustulisse pro futuro rationem consanguinitatis; 3° nisi haec dicatur esse vis dispensationis, dicendum fore rationem incestus habere omnem matrimonii abusum inter dispensatos commissum.

361. Sed hae rationes non sufficiunt; nam 1° regula de solo proximo communi stipite considerando cum tantum finem ac sensum habet, ut a qualitate consanguineorum excludantur qui sunt ultra gradus, in quibus matrimonium est prohibitum; nequaquam vero ut ab ea excludantur ii, qui intra gradus illos continentur (1). Consanguinitatis igitur rationem non tollit, quamdiu

tamen eos esse etiam in quarto aequali. Expositionem nostram adoptat Planchard, Append. n. 1.

(1) Rationem sic exprimit Giovine l. c. : « Neque obstat juris regula, quod computatio graduum fit a proximo stipite : ea enim respicit computationem graduum canonicorum, inter quos nullum intercedit matrimonium cum dispensatione, et ideo non excludit, ut isto intercedente, sponsi in casu proposito eo quoque quarto gradu detineantur, quo certe devincti fuissent, dicto matrimonio non interveniente. » Ad haec verba animadver-

manetur intra gradus prohibitos, et consequenter in isto casu ulterior etiam stipes attenditur, ut dictum fuit n. 359. 2° Dispensationis vis non ea est ut tollat consanguinitatem pro futuro, sed ut inter dispensatos id tollat quod Ecclesia constituit, nempe prohibitionem matrimonii. Si verum esset quod objicitur, Petrus et Maria non forent consanguinei descendentium a Marco et Anna, nulla quoque foret consanguinitas inter Norbertum ex una parte, et Henricum ac Elisabeth ex altera; quod nemo dixerit. 3° Neque idcirco rationem incestus habet omnis matrimonii abusus inter dispensatos. Disputant quidem auctores, an incestus rationem habeat peccatum post executioni mandatam dispensationem commissum inter dispensatos (1), sed indubitanter cum Sanchezio negat Pyrrhus Corradus (2), allata etiam S. C. C. 12 januar. 1606. Rei autem rationem non eam allegat Corradus quod per dispensationem tollatur consanguinitas; sed quod accessus ad consanguineam usque ad quartum gradum nulla alia ratione sit incestus, nisi quia Ecclesia ita conjunctos impedit matrimonium contrahere ac sic contractum dirimit. « Ergo, sublata matrimonii prohibitione inter hujusmodi consanguineos... in illo gradu jam amplius coitus, etiam infra dictum quartum gradum, non est incestus, qui nihil aliud est, nisi commixtio venerea inter consanguineos, vel affines, absque dispensatione matrimoniali (3). »

362. Secunda multiplicitatis causa est, quando personae inter se consanguineae prolem procrearunt ex personis inter se consanguineis.

teris idem procedere si nullum intercessisset ex dispensatione matrimonium; in omni enim casu multiplicationis vinculi sufficit procreatio prolis sive in matrimonio sive extra, estque haec observatio tenenda in legendis pluribus auctoribus mentionem semper facientibus matrimonii quod intercesserit.

(1) Cf. S. Alph. ed. Mechl. l. 4. n. 452.

(2) L. 8, c. 1, n. 43 sqq.

(3) Ib. n. 44.



Bertha et Josephus sunt in duplici quarto aequali lineae collateralis, nempe tum ex stipite Marco tum ex stipite Luca; quod manifestum est si arborem compositam arboribus simplicibus explices.



363. Tertia multiplicitatis causa est, quando prolem quis habet ex pluribus personis inter se consanguineis.



Matthaeus et Sophia sunt in tertio aequali lineae collateralis ex stipite Petro, et in quarto aequali ejusdem lineae ex stipite Joanne.



364. In linea recta matrimonium esse irritum in infinitum his verbis expressit Nicol. I (1) : « Inter eas enim personas, quae parentum liberorumve locum inter se obtinent, nuptiae contrahi non possunt, veluti inter patrem et filiam, vel avum et neptem, matrem et filium, aviam et nepotem, et usque ad infinitum. » Canon autem mox citandus Conc. Later. IV, quo impedimentum consanguinitatis fuit a gradu septimo restrictum ad quartum, de linea collaterali accipiendus est; ceterum opinio eorum, qui de recta quoque linea eum intelligunt, non offert difficultatem in praxi, in qua profecto numquam agetur de matrimonio inter personas ultra quartum gradum invicem distantes.

365. Extensio impedimenti consanguinitatis in linea collaterali non semper fuit eadem, sed diversam diversis epochis societatis humanae rationem secuta est. Initio existebat impedimentum in gradu primo cum secundo, seu inter patruum vel avunculum et neptem, inter amitam vel materteram et nepotem, non vero in secundo aequali seu inter consobrinos. Labente saec. IV inter hos quoque impedimentum existebat, et in fine saec. VII etiam Ecclesia Graeca se hac in re conformavit Ecclesiae Occidentali. Haec disciplina duravit usque ad saeculum circiter VIII, quo tempore

(1) Resp. ad. consulta Bulgar. n. 39.

ad septimum usque incl. gradum impedimentum fuit extensum, idque plurimum contulit charitatis vinculo uniendis diversis gentibus, quarum aliae aliarum regiones invaserant. Qua causa cessante, et quum praeterea tam late extensa matrimonii prohibitio ulterius non posset absque gravi dispendio generaliter observari, Innoc. III in Conc. gen. Later. IV hoc impedimentum limitavit ad quartum incl. gradum (1). Et quum gradus remotior trahat ad se propinquiorem, consequenter ad impedimentum excludendum sufficit ut alterutra pars sit in gradu quinto (2). Haec disciplina etiam nunc vigens Orientalem quoque Ecclesiam obligat, uti liquet ex Innoc. IV epistola ad Ottonem cardinalem Tusculanum in regno Cypri, relata in syn. prov. Maronitarum a. 1736 (3), a S. Sede approbata (4), et ex Ben. XIV Const. *Etsi pastoralis* 26 maii 1742, § 8 n. 5 (5). Ad praxim tamen notat Papp-Szilagyi (6) : « Cum vero epistola Innoc. IV pro regno Cypri prudenti oeconomia Ap. Sedis non fuerit publicata neque ad praxim in regno Cypri deducta, constitutio autem Ben. XIV *Etsi pastoralis* Italo-Graecos respiciat, non vero omnes Orientales, ideo non immerito dici potest, tolerantia ac indulgentia ejusdem Sedis Ap. factum esse, ut matrimonia in Ecclesia Orientali inita inter consanguineos et affines, qui octavo inter se distant orientali gradu, non essent irrita, nisi agatur de aliqua Graecorum provincia, pro qua ab Ap. Sede aliter declaratum fuerit, prout constat de Maronitis. » Adde : et de Italo-Graecis.

366. Multum disputatur quo jure irritum sit matrimonium in-

(1) Cap. *Non debet* 8 h. t. Propter praefatam observationis difficultatem ab Innoc. III pro ratione indicatam non pauci hodie merito optant quarti quoque gradus abrogationem.

(2) Cf. c. *Vir qui* 9 h. t. et vid. sup. n. 355.

(3) Ap. Papp-Szilagyi, l. c. § 109.

(4) Vid. Ben. XIV const. *Singularis* 1 sept. 1741 (*Bull. Ben. XIV*, t. 1 const. 31, ed. Mechl. vol. 1, p. 151).

(5) Ib. t. 1, const. 57; ed. cit. vol. 1, p. 370.

(6) L. c.

tra gradus prohibitos (1). In linea recta fere omnes conveniunt jure naturae irritum esse in primo gradu; quamquam sunt qui putent id esse jure positivo divino. De reliquis gradibus disputatur; numquam tamen in ullo gradu lineae rectae fuit dispensatum aut dispensabitur. Quod spectat ad lineam collateralem, controvertitur an in primo gradu sit irritum matrimonium jure naturae; saltem autem jure positivo divino irritum dixeris; quidquid sit, certum est Ecclesiam in eo numquam dispensasse aut dispensaturam (2).

Atque haec quidem de matrimonii nullitate; multi autem auctores illud jure naturae illicitum reputant in variis gradibus, in quibus juxta ipsos eo jure irritum non est; sed rursus circa ejusmodi gradus dissentiunt.

367. Quid igitur statuendum de conjugio duorum infidelium, quando uterque vel alteruter ad fidem convertitur (3)?

Conjugia ab infidelibus inita in primo gradu lineae rectae certo sunt invalida; de contractis in ulteriori gradu consulenda est Sedes Ap.; cap. *Gaudemus*, 8, De divort. de sola linea collaterali intelligendum est (cf. n. 364). De hac autem in eo Capite dicitur valida esse matrimonia in gradu secundo et sequentibus inita ab infidelibus, quia non ligantur legibus canonicis. De primo gradu nec dubitavit consulens nec locutus est Pontifex; nullatenus itaque juri tantum ecclesiastico invaliditatem matrimonii in eo gradu contracti attribuisse videntur. Sic conjuncti separandi qui-

(1) Cf. Moser, c. 6, n. 8 sqq., Carr. *De matr.* n. 674 sq., Perron. *De matr. christ.* ed. cit. t. 2, p. 132 sqq., Giovine, t. 1, p. 360 sqq., tract. Mechl. n. 76, de Angelis t. 3, part. 1. p. 236, Konings n. 1583 q. 1, *Nouv. rev. th.* t. 14, p. 514 sqq. 521 sqq.

(2) Cf. Ben. XIV epist. *Aestas anni* 11 oct. 1757, n. 13. (*Bull. Ben. XIV*, t. 4 App. alt., ed. Mechl. vol. 12, p. 316), S. C. C. in *Leodien. Dispens. matr* 14 dec. 1793 (*Thes. S. C. C.* t. 62, et Zambon. V° *Dispensatio* § 10, n. 49).

(3) Cf. Verricellus, op. cit., q. 98, dub. 14, Perron. l. c. p. 330 sqq. coll. 139, tr. Mechl. l. c. in fine, Giovine l. c. p. 361 sqq.

dem sunt ob periculum incestus et gravem ejusmodi conjunctionis indecentiam, sed propter controversiam de ejus validitate, casu occurrente, adeunda est Sedes Ap. Iis autem omnino contradicendum est, qui simpliciter scribunt (1) gentilem, qui ante baptismum contraxit matrimonium cum sorore, in hoc perseverare debere post baptismum.

Recte intelligendum est quod scribit Perrone (2), posse Ecclesiam aut confirmare aut solvere matrimonia olim inter infideles contracta in aliquo gradu consanguinitatis mere ecclesiastico, et utriusque rationis agendi exempla suppetere. Quum valida sint, confirmatione non indigent; an autem et quandonam ab Ecclesia possint quoad vinculum dissolvi, id pendet ex quaestione c. 30 § 1 habenda circa potestatem Pontificiam dissolvendi matrimonium consummatum, tempore infidelitatis contractum, quam potestatem ipse Perrone negat. Dissolutio itaque illa vel confirmatio seu dispensatio, de qua loquitur, non est intelligenda de vinculo matrimonii sed de separatione cohabitationis facienda necne post conversionem (3).

368. Haec de infidelibus dicta respiciunt sola conjugia ab ipsis inter se contracta; nam matrimonium infidelis cum fideli non tantum irritum est propter disparitatem cultus, sed ob consanguinitatem etiam intra gradus ab Ecclesia prohibitos. In his enim et similibus casibus locus non est communicationi exemptionis, de qua sermo fuit ubi de clandestinitate; in illis non agitur de forma contractus ejusque individuitate (cf. n. 315 sqq). Ab infidelitate conversus post baptismum impedimento dirimente prohibetur nuptias inire, in gradibus licet ecclesiastico jure vetitis, cum persona sibi intra illos gradus consanguinea. Praeter rationes, ob quas de aliis quoque impedimentis dicemus conversum ligari,

(1) Ut Verricellus l. c.
(2) L. c. p. 330 sq.
(3) Hac de re cf. Giovine, t. 1, p. 630 sq.

adest hic ratio quoque naturalis vinculi consanguinitatis; cf. n. 380.

Praeterea quaestio de duorum infidelium conjugiis connexa est cum illa generaliore de potestate principum civilium in matrimonia infidelium; hac enim admissa, invalida dicenda sunt eorum conjugia intra gradus, pro quibus princeps civilis impedimentum dirimens constituit, etiamsi invaliditas non sit repetenda ex jure naturae vel positivo divino. Illa civilis principis potestas supra fuit negata (1); attamen, casu occurrente, dubium de valore est Sedi Ap. proponendum, quum opinio potestatem illam propugnans non solum omnino libera sed et communior sit.

369. Quod attinet ad poenas aliasque animadversiones consti-

(1) N. 67 sqq. Opinio hanc potestatem negans juvari videtur per cit. c. *Gaudemus*, in quo Innoc. III valida pronuntians conjugia infidelium in secundo et sequentibus gradibus inita, quia canonicis legibus non ligantur, ne memorat quidem hypothesim impedimenti dirimentis a principe civili constituti. Scribit quidem Ballerin. ad Gury, n. 802, resp. 2, not. *b*, adversus praefatam opinionem magnum praejudicium profluere ex controversia n. 366 memorata circa matrimonium inter fratrem et sororem. Negata enim principis potestate, et posito pro infidelium matrimoniis solum jus naturae [adde : et jus positivum divinum] valere, matrimonium ejusmodi non posse ceu certo invalidum haberi, utcumque etiam a principe civili damnaretur, et cum in dubio sit standum pro valore matrimonii, proinde si ambo converterentur, cum summo infidelium simul et fidelium scandalo separari non posse. At praejudicium illud non perspicitur; nam, posita etiam principis potestate, 1° eadem urgeri possunt si forte princeps civilis in casu non statuerit impedimentum dirimens; 2° impedimento ab eo statuto, matrimonium ejusmodi non potest simpliciter ceu certo invalidum haberi, sed ad Sedem Ap. recurrendum est, tum propter controversiam de hac ipsa principis potestate, tum propter eam quae de tali in primo gradu matrimonio viget. Quapropter in quavis opinione ob scandalum aliasque n. 367 indicatas rationes sunt separandi. Idque eo magis quod opinio ex humano jure nullitatem matrimonii inter fratrem et sororem repetens sit valde paucorum, et ea sive ex jure naturae, sive ex jure divino positivo, cui etiam infidelos subjacent, repeti soleat. Quo fit contra separationem in casu multo difficilius urgeri posse generale principium, juxta quod in dubio standum est pro valore actus.

tutas adversus scienter contrahentes in gradu prohibito, 1° olim ipso facto incurrebant excommunicationem non reservatam Clem. un. h. t.; ab ea excusabat ignorantia, etiam crassa, dummodo non affectata, et licet existens tantum tempore contracti matrimonii, non vero secutae cohabitationis; nec incurrebatur ab iis qui falso credebant se esse consanguineos (1). Excommunicatio illa existere cessavit per Pii IX const. *Ap. Sedis* 4 Id. Oct. 1869; superfluum igitur est eam ulterius exponere, ex. gr. inquirere an in locis, ubi viget decretum Trid. de clandestinitate, incurratur etiam per attentatum matrimonium clandestinum, imo per illud quod civile appellant.

2° Separandi sunt, et difficilius seu cum severioribus clausulis obtinent dispensationem, idque multo magis si consummaverint (2).

3° Ex praxi Sedis Ap. in dispensationis literis saepe additur clausula, vi cujus scienter sic contrahens non potest licite, post conjugis obitum, aliud cum quavis persona matrimonium inire, nisi, ut patet, de licentia Sedis Ap. Imo juxta plures (3) non existit quidem haec interdictio si agatur de incestu extra figuram matrimonii, sed ipso jure semper existit pro scienter ejusmodi matrimonium attentante, sive de hujus deinde revalidatione agatur sive non. Alii vero hoc interdictum sive jure non existere sive desuetudine cessasse docent, illudque tunc tantum locum habere quando praefata clausula fuit apposita. Quamquam priorum opi-

(1) Plura de hac poena vid. ap. Girald. *Expos. jur. Pont.* part. 1, sect. 686, Giovine, t. 1, p. 401 sqq.

(2) Conc. Trid. Sess. 24, c. 5 de ref. matr.; idem ibi statuitur de ignorantibus, qui solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerint; cf. sup. n. 264 sub 2°. Imo commune hoc est omnibus contrahentibus impedimentum dirimens scientibus, etiamsi denuntiationes factae fuerint; cf. inf. c. 31 § 12, Giovine, t. 1, p. 403.

(3) Inter quos secretarius S. C. C. in *Luceoren. Nullit. matr.* 7 sept. 1720, 28 febr. 1722 (*Thes. S. C. C.* t. 1 et 2), Giovine, t. 1, p. 332 sq. 356 sqq.

nio gravi nititur auctoritate, nihilominus in praxi indubitanter observandam esse affirmari nequit.

CAPUT XIV.

DE IMPEDIMENTO AFFINITATIS.

370. Affinitas (1) est propinquitas, quam quis contrahit cum consanguineis illius personae, quacum habuit copulam carnalem ita perfectam, ut per se sit apta generationi.

Ex quo sequitur 1° non esse affines eos, qui copulam inter se habuerunt; causa sunt et veluti stipes affinitatis. 2° Affinitatem non oriri ex sponsalibus de futuro, neque ex matrimonio rato tantum (2); ex iis oritur aliud impedimentum, de quo in cap. sq., nempe publicae honestatis. 3° Contrahi affinitatem a viro cum consanguineis mulieris, a muliere cum consanguineis viri, non vero ab utriusque consanguineis inter se. 4° Eam oriri tum ex copula illicita seu extramatrimoniali tum ex licita seu matrimoniali. 5° Non sufficere copulam nisi adeo consummatam ac perfectam ut per se sit apta generationi, semine itaque virili intra debitum vas muliebre immisso (3); si autem de copula constet, talis fuisse semper praesumitur; attamen in affinitate ex copula

(1) De ea scribunt canonistae ad titt. *De consang. et affin.* et *De eo qui cognovit consanguineam uxoris suae, vel sponsae.*

(2) Vid. S. C. C. 27 apr. 1568 (ap. Corrad. l. 8, c. 7, n. 20, Giovine, t. 1, p. 533), et in *Valentina* quae anno 1607 adscribitur in una *Dubium matr.* 21 nov. 1722 (*Thes. S. C. C.* t. 2), sed ap. Zambon. V° *Matr.* § 14 n. 2 dicitur esse 15 sept. 1605. Cf. Corrad. l. c. n. 15 sqq., Giovine, l. c.

(3) Cf. Kutschker, t. 3 p. 364 sqq., Caillaud, *Manuel des dispenses*, ed. 4, Bituric. 1873, n. 171, Soglia, *Inst. jur. priv. eccl.* § 189, van de Burgt, n. 183 sq., tr. Mechl. n. 79, Giovine, t. 1, p. 553, Gury et Ballerin. t. 2 n. 811 sub II, de Angelis, t. 3, part. 1. p. 247, Konings, n. 1589 sub II.

illicita debet copula ipsa esse omnino probata in foro externo ut in eo pronuntietur existere affinitas (1). Ut igitur affinitas oriatur, non sufficit copula in qua vasis feminei penetratio locum habuit, non vero seminis virilis immissio, seu in qua secuta non fuerunt quae tum ad prolis generationem tum ad perfectam copulam requiruntur (2).

371. Ut consanguinitas interdum multiplex est, ita affinitas. Hujus autem multiplicitas (3) non causatur per iterationem copulae licitae vel iterationem copulae illicitae cum eadem persona, sed oritur 1° ex copula habita cum pluribus comparti consanguineis; 2° ex copula habita cum persona comparti multipliciter consanguinea; 3° quando utraque pars copulam habuit cum persona comparti consanguinea; 4° quando cum persona comparti consanguinea habita fuit copula tum licita tum illicita. Praeterea multiplicatur affinitas si plures ex hisce causis concurrant. Omnia autem et singula ejusmodi vincula sunt in supplici libello memoranda, ut valeat dispensatio; in quarta tamen supra indicata hypothesi hodie non requiritur copulae illicitae expressio quando ante matrimonium copula habita fuit cum defuncta comparte, cum qua dein fuit consummatum matrimonium; vid. c. 32, § 3 sub 6°.

372. Habet affinitas quoque, non tamen per se sed ratione consanguinitatis, quae est inter personam cum qua copula intervenit ejusque consanguineos, lineas et gradus. Regulae autem hae sunt: 1° In qua linea et gradu consanguinitas est inter personam, cum qua copula habetur, ejusque consanguineos, in ea linea et gradu

(1) Vid. S. C. C. in *Pisauren. Matrimonii* 22 maii 1875, ap. *Acta S. Sedis*, t. 8, p. 630 sqq., *Anal. jur. Pont.* ser. 15, col. 96 sqq.

(2) An ejusmodi copula, quamquam non causans affinitatem, sufficiat ad necessitatem incestum exprimendi in libello supplici pro dispensatione obtinenda, vid. inf. c. 32, § 3 sub 8°.

(3) De ea cf. Corrad., l. 7, c. 5, n. 91 sqq., van de Burgt, *De disp.* n. 23, *De matr.* n. 192, Giovine, t. 1, p. 569 sq., t. 2, p. 28 sq.

cum his contrahitur affinitas ab altera parte, quae cum praefata persona copulam habuit (1). 2° Affinitas non parit affinitatem (2). Olim contraria vigebat disciplina, et triplex distinguebatur affinitatis genus (3), ex primo, ex secundo et ex tertio genere; sed Innoc. III in Conc. gen. Later IV (4), abrogatis duobus posterioribus, primum tantum, seu id quod nunc existit, in posterum vigere voluit, et exinde valet secunda regula supra indicata.

373. Motiva quibus matrimonii inter quosdam affines prohibitio et nullitas nititur, non eadem quidem vi urgent qua ea quae pro consanguinitate allata fuerunt n. 348, his tamen sunt similia; ex eo quod vir et mulier fuerint facti una caro, pro utroque nascitur quaedam propinquitas ac reverentia respectu consanguineorum alterius partis.

374. Affinitas, quam conjuges inter se contrahunt per copulam durante matrimonio habitam cum persona comparti consanguinea, profecto non dissolvit ipsorum matrimonium; eum tamen habet effectum ut reum privet jure petendi debitum (n. 382). Haec igitur affinitas *superveniens*, seu effectum habens in matrimonium jam contractum, distingui debet (n. 84) ab *antecedente* seu habente effectum in matrimonium contrahendum. De utraque separatim nunc dicendum, ac primo quidem de antecedente.

375. In linea recta affinitas matrimonium dirimit probabilius

(1) Nomina diversorum affinium et quomodo conficiatur arbor affinitatis, vid. ap. Luc. Ferraris V° *Affinitas* art. 1, n. 16, Kutschker, t. 3, p. 366, (et quomodo probetur, ib, p. 523 sqq.), Scav. append. ad calcem t. 4. van de Burgt, *De matr.* n. 188, Caillaud, ed. 4, n. 11, tr. Mechl. n. 79 et Append. n. IV, Gury ed. Ballerin., t. 2, n. 814, Giovine, t. 1, p. 559, 568 sq., Konings, n. 1591, q. 2.

(2) Cf. Konings, n. 1590 sub 3°, van de Burgt, *De matr.* n. 194.

(3) Cf. Conrad., l. 7, c. 1, n. 20 sqq., Reiff. n. 33 sq. *De consang. et aff.*, de Justis, l. 2, c. 7, n. 36 sqq., Ben. XIV, *De syn.* l. 9, c. 13, n. 2, Moser, c. 9, n. 4 sqq., Kutschker, t. 3, p. 365 sqq., van de Burgt, n. 190, resp. 2, Giovine, t. 1, p. 554.

(4) C. *Non debet*, 8, De consang. et aff.

in quocumque gradu. In linea transversa eadem, quae pro consanguinitate (n. 365), disciplinae variatio locum habuit. Sacri enim canones ab antiquo pro affinitate secuti sunt normam quae vigebat pro impedimento consanguinitatis, cum qua intime est connexa affinitas. Tandem itaque fuit impedimentum affinitatis in linea transversa, abrogato etiam secundo et tertio affinitatis genere, restrictum ad quartum incl. gradum ab Innoc. III in Conc. gen. Later. IV (1); ac deinde Concilium Trid. Sess. 24, c. 4 de ref. matr. illud pro affinitate ex copula fornicaria seu extra speciem matrimonii (2) ad secundum incl. gradum limitavit, quod tamen de sola linea transversa esse intelligendum multi merito notant. Exinde igitur in hac linea affinitas ex copula conjugali sola sequitur antiquam regulam, ut affinitas eodem modo, quo consanguinitas, ordinetur. Nomine autem fornicationis Tridentinum decretum intelligit copulam extramatrimonialem quamlibet, etiamsi specialem aliam denominationem mereatur, stupri, sacrilegii, adulterii, incestus. Ceterum falso prorsus unus alterve jurisperitus civilis opinatus est affinitatem ex copula illicita non constituere impedimenium dirimens, si occulta remanserit copula (3).

376. In affinitate quoque gradus remotior trahit ad se propinquiorem, adeo ut, si ex copula conjugali oriatur, nulla adsit matrimonii prohibitio quando alterutra pars est in gradu quinto; si vero ex copula extramatrimoniali, nulla adsit quando alterutra pars est in gradu tertio, neque etiam impediens impedimentum remaneat in gradibus secundum excedentibus, quod expresse declaravit S. Pius V const. *Ad Romanum* 28 nov. 1566. Attamen,

(1) C. *Non debet* cit. sup. n. 372. De disciplina Ecclesiae Orientalis cf. Papp.-Szilagyi, op. cit. part. 2, § 115, Ben. XIV const. *Etsi pastoralis* 26 maii 1742, § 8, n. 5 (*Bull. Ben. XIV*, t. 1, const. 57, ed. Mechl. vol. I, p. 370), et allata sup. n. 352, 366.

(2) Cf. inf. n. 378, de Angelis l. c. p. 227 sq. 231 sq.

(3) Eos non intellexisse textus aliquos tituli *De eo qui cognovit consanguineam uxoris suae, vel sponsae*, ostendit Carr. n. 835.

quamdiu manetur intra gradus prohibitos, in supplici pro dispensatione obtinenda libello debet exprimi gradus propinquior, licet non semper pro dispensationis validitate; vid. c. 32, § 3 sub 6°.

377. Occasione praefati decreti Tridentini controvertitur ad quem gradum se extendat impedimentum affinitatis ex matrimonio consummato invalido (1).

Sunt primo qui volunt quovis casu extendi ad secundum tantum incl. gradum, quia, aiunt, revera seu in se fornicaria copula est.

Sunt secundo qui semper ad quartum incl. gradum extendi sentiunt, his utentes argumentis : 1° Decretum Trid. est correctivum juris communis praeexistentis; in hujusmodi autem decretis stricta fit interpretatio. Jamvero voce fornicationis communiter ea intelligitur, quae est extra omnem speciem seu figuram matrimonii. 2° Inter causas gravissimas, ob quas Tridentinum affinitatem ex fornicatione ortam limitavit, peculiaris haec est, quod fornicatio latere nec ad forum externum deduci posse soleat, et consequenter matrimonia invalida multiplicarentur absque medio ea impediendi, si nullitas usque ad quartum incl. gradum perstitisset. Pro matrimoniis autem invalidis haec ratio non existebat, quum in foro externo probari posse soleant. 3° In *Brixien. Matr.* 3 dec. 1667 (2), quum matrimonium consummatum declaratum fuisset irritum ob consanguinitatem, et vir vellet ducere praetensae suae uxoris in tertio gradu consanguineam, S. C. C. respondit eum non posse, obstante impedimento tum publicae honestatis

(1) Cf. Boeckhn, n. 43 *De consang. et aff.*, Girald., *Expos. jur. Pont.* part. 1, sect. 725, Carr. *De matr.* n. 836 sq., van de Burgt, n. 191, Knopp, p. 212 sqq., Kutschker, t. 3, p. 372 sq., Scavin., t. 4, n. 545, Giovine, t. 1, p. 557, Gury ed. Ballerin., t. 2, n. 815, de Angelis l. c. p. 138, 227 sq. 231 sq., Giovine, t. 1, p. 533 sq., t. 2, p. 27 sq. 48 sq.

(2) Ap. secretarium S. C. C. in cit. *Dubium matr.* 21 nov. 1722 (*Thes. S. C. C.* t. 2), et Zambon. V° *Matr.* § 9, n. 2.

tum affinitatis. Pariter in *Valentina Disp.* 15 apr. 1752 (1), quum post matrimonium invalide contractum ob impedimentum ligaminis, quod vir reticuerat, mulier decepta et vitiata nubere vellet alteri viro prioris in secundo et tertio gradu consanguineo, S. C. C. interrogata an matrimonium absque Ap. dispensatione contrahi posset, respondit : « Negative. »

Sunt tertio qui secundam amplexi opinionem excipiunt matrimonium invalidum ob clandestinitatem, ex cujus consummatione affinitatem ad secundum tantum incl. gradum extendi volunt, quia juxta ipsos militat tunc ratio, ob quam Tridentinum hanc restrictionem decrevit et deest figura matrimonii; cf. alterum secundae opinionis argumentum.

Demum sunt quarto qui, distinctione adhibita inter bona et mala fide contrahentes, opinantur ad secundum incl. gradum extendi impedimentum, si utraque pars malae fidei fuerit, quia tunc copula fuit formaliter fornicaria; ad quartum vero incl. gradum, si utraque pars bona fide contraxerit, quum materialis tantum fornicatio fuerit et agatur de matrimonio putativo. Quod vero attinet ad casum, quo una tantum pars fuerit bonae fidei, alii ex his auctoribus scribunt pro quarto incl. gradu propter putativi matrimonii rationem, alii pro secundo, quum, aiunt, non possit pro una parte ad secundum, pro altera ad quartum gradum extendi impedimentum, pro ea autem, quae malae fidei fuit, ad quartum extendi nequeat.

378. Argumenta pro diversis hisce opinionibus allata quaestionem non solvunt, sed, casu occurrente ultra secundum gradum, consulenda est Sedes Ap. Quod tamen ad singularum opinionum momentum spectat, prima sibi evidenter contrariam habet citatam *Brixien.*, et consequenter non valet ratio pro hac opinione allata. Distinctio, quae fit in quarta opinione inter bona et mala fide contrahentes, neque deducitur ex resolutionibus S. C. C. neque

(1) *Thes. S. C. C.* t. 21.

ratione probatur; e contra rationes, quas secunda opinio allegat, tam pro bonae fidei quam pro malae fidei contrahentibus urgent, et bonae fidei non alii in jure reperiuntur effectus, quam exemptio a poenis concubinariorum et legitimitas prolis. Secunda igitur opinio videtur praeferenda et fortius stabilita; quamquam *Valentina*, quae pro ea citatur, argumentum non praebet, quum resolutionis ratio potuerit esse publica honestas, de qua certe in toto Secretarii discursu sermo est. Neque videtur posse cum tertia opinione secundus tantum incl. gradus admitti in casu matrimonii ob clandestinitatem invalidi; nam Conc. Trid. de ea sola fornicatione videtur locutum, in qua nulla matrimonii invalidi ratio intervenit. Matrimonium autem ob clandestinitatem invalidum ea quidem caret matrimonii figura, quae consistit in extrinseca forma celebrationis ab Ecclesia praescripta; species tamen aliqua seu figura matrimonii in eo est propter externe manifestatum mutuum consensum, in quo conspicitur externa matrimonii imitatio, adumbratio, seu forma generaliori sensu accepta; cf. n. 406, 768. Utrum vero secunda haec opinio sit etiam applicanda matrimonio mere, ut vocant, civili, an vero ex hujus consummatione affinitas oriatur tantum usque ad secundum incl. gradum, id quidem in c. 36 examinabitur, ubi trademus ad quartum incl. gradum extendi.

379. Si quaeratur quo jure irritum sit matrimonium propter affinitatem (1), certum est jure tantum ecclesiastico irritum esse in linea transversa. Idem certum est de affinitate lineae rectae ex copula illicita seu fornicaria, etiam in primo gradu, et revera Ecclesia interdum in hoc ipso dispensat, ita tamen ut, si affinitas proveniat ex copula habita cum matre illius personae, quam quis vult ducere in uxorem, omnino debeat hujus nativitas praeces-

(1) Cf. Rigant. n. 18 sqq. ad reg. 49 Canc., Moser, c. 9, n. 10 sqq., Carr., n. 845 sqq., tr. Mechl. n. 79, van de Burgt, n. 190, Soglia, § 189, Perron., op. cit. t. 2, p. 145 sqq., Kutschker, t. 3, p. 379 sqq., Giovine, t. 1, p. 560 sqq., de Angelis l. c. p. 250 sq.

sisse copulam cum matre habitam; secus enim periculum foret ne quis duceret propriam filiam in uxorem (1). Quoad affinitatem in linea recta ex copula licita consentiunt auctores impedimentum esse juris ecclesiastici, quoties non agitur de gradu primo. De gradu primo disputatur, sed juxta communiorem opinionem etiam in hoc gradu matrimonium non dirimitur nisi jure ecclesiastico; nihilominus Pontifices Romani, licet pluries rogati, numquam dispensarunt (2), imo numquam in ullo gradu affinitatis legitimae in linea recta.

Solent auctores de quibusdam gradibus affinitatis notare matrimonia in iis contracta non quidem esse jure naturae invalida, eodem tamen improbari et illicita esse; cf. n. 366 in fine.

380. Quod itaque spectat ad matrimonium inter duos infideles (3) contractum, pro irrito haberi nequit etiam post utriusque vel alterutrius conversionem, idque de primo quoque gradu lineae rectae ex copula conjugali dicendum esse colligitur praeterea ex praxi antiquitus observata a conciliis Agathensi, Epaonensi, Aurelianensi III (4). Nihilominus ob controversiam circa praefatum gradum existentem videtur consulenda Sedes Ap., quod pariter faciendum si pro quocumque affinitatis gradu princeps civilis subditis suis infidelibus impedimentum dirimens constituerit (n. 368). Praeterea hic quoque recurrit dicendum quod occasione consanguinitatis fuit notatum n. 367 de confirmatione vel solutione matrimonii olim inter infideles contracti in aliquo gradu jure tantum ecclesiastico prohibito.

(1) Cf. Konings, n. 1591, resp. 2.

(2) Cf. Ben. XIV, *De syn. dioec.* l. 9, c. 13, n. 4, et epist. *Aestas anni* 28 oct. 1757, § 14 (*Bull. Ben. XIV*, t. 4, Append. alt.), S. C. C. in *Leodien. Matr.* 28 maii 1796 (*Thes. S. C. C.* t. 65), S. Poenit. ap. *Acta S. Sedis*, t. 2, p. 127 sq., Perron.'l. c. p. 146, 150, 153.

(3) De matrimonio enim inter fidelem et infidelem vid. n. 368.

(4) Ap. Rigant., l. c. n. 20, Perron. l. c. p. 146 sq. De conc. Limano a. 1583, quod opponi posset, cf. Ben. XIV, *De syn.* l. c., Perron., l. c. p. 332 sq.

Post baptismum ligatur conversus impedimento, etiamsi affinitas tempore infidelitatis orta sit (1), idque etiam dicendum de affinitate ex copula fornicaria, non solum ex sententia multorum auctorum (2), sed auctoritate etiam S. Sedis. Propositis enim dubiis : « 1. Vir infidelis, qui adhuc in infidelitate positus cognovit sive publice sive private, illicite tamen, mulierem quamdam sive fidelem sive infidelem, potestne post susceptum Baptismum valide et licite matrimonium contrahere cum consanguinea ejusdem cognitae mulieris, si ista consanguinea Baptismum susceperit sive ante sive post copulam, de qua agitur? 2. Et quatenus affirmative (de quo valde dubitandum), idem infidelis ad fidem conversus post mortem legitimae uxoris infidelis possetne matrimonium contrahere cum consanguinea (usque ad 4 gradum inclusive) ejusdem defunctae uxoris, sive ista consanguinea Baptismum susceperit ante sive post mortem praedictae uxoris infidelis? », S. C. de Prop. Fide 23 aug. 1852 respondit : « Ad 1 Negative. Ad 2. Negative (3). » Similiter jam responderat S. Off. ad dub. 2 archiep. Quebecensis, fer. 5, die 16 sept. 1824, hanc addens rationem : « Distingui namque debet affinitas in se ac physice spectata ab impedimento affinitatis. Porro affinitas in se etiam ab infidelibus contrahitur, quia etiam inter infideles verum est, quod vir et mulier per carnalem copulam una caro efficiuntur. Itaque, ut habetur in cap. *Fraternitatis*, 35, q. 10, *si una caro fuerit, quomodo poterit aliquis eorum propinquus uni pertinere, nisi pertineat alteri?*... Id tantum est discriminis, quod affinitas ecclesiasticum non parit infidelibus impedimentum; fidelibus autem parit. Quapropter, cum per Baptismum non tollatur a Balbina ejus jam physice contracta cum Paulo affinitas, haec ipsa affinitas radicali-

(1) Vid. c. *Deus qui* fin. De divort., et cf. sup. n. 368.

(2) Cf. Fagn., n. 12 ad c. *Per tuas*, 10, De probat., Carr., n. 848 sq., tr. Mechl. n. 79, Giovine, t. 1, p. 555, Gury et Baller., t. 2, n. 813, van de Burgt, n. 47.

(3) Ex Gury ap. Konings, t. 2, p. 394, coll. n. 1591, resp. 1.

ter in ea inhaerens, quae eidem infideli impedimento non erat ad contrahendum, impedimentum evadit post Baptismum, quo subdita fit Ecclesiae, ejusque proinde legibus subjecta (1). »

381. De poenis aliisque animadversionibus constitutis adversus scienter contrahentes in gradu affinitatis prohibito dicendum est ut de consanguinitate (n. 369).

Circa affinitatis quoque impedimentum leges civiles in plerisque hodie regionibus longe recedunt a sacris canonibus.

382. Hactenus de affinitate antecedente. Superveniens autem (2) non dirimit matrimonium contractum, sed jure petendi debitum privat reum vel ream, quando copulam habuit cum persona comparti in primo vel secundo gradu consanguinea; reddere tamen juste petenti comparti tenetur (3); debeatne autem vel possit pars innocens reddere, exponunt Moralistae. Praefata ad secundum incl. gradum limitatio a plerisque tacite, a nonnullis expresse, etiam de linea recta intelligitur; quamquam autem per se non videtur huic applicanda, quum decretum Trid. de copula fornicaria solam lineam collateralem respiciat (cf. n. 375); nihilominus intra secundum tantum incl. gradum privatio, de qua agitur, concludenda est ob rationem poenae ei, ut mox dicetur, propriam.

383. Dirimens quidem impedimentum affinitatis contrahitur non obstante ignorantia vel bona fide, sed non illico idem dicendum de privatione juris petendi per affinitatem supervenientem inducta. Discrepant enim auctores propter diversam a diversis indicatam hujus privationis naturam, aliis eam inhabilitatem, aliis vero poenam esse dicentibus; horum autem opinio communior est eique videtur adstipulandum.

(1) Ap. Konings, t. 2, p. 394 sq., Praeter alias itaque rationes, ob quas passim dicemus conversum aliis quoque impedimentis ligari post Baptismum, existit hic vinculum aliquod naturale; cf. n. 368.

(2) De ea scribunt canonistae ad tit. *De eo qui cognovit consanguineam uxoris suae, vel sponsae.*

(3) Cf. de Angelis t. 3, part. 1, p. 228 sqq.

Hac igitur admissa opinione, privatio illa non incurritur (1) 1° quando vis absoluta seu violentia fuit adhibita; 2° in casu metus gravis; 3° quum sacri canones loquantur de scienter ejusmodi incestum committente, a poena illa excusat ignorantia, etiam crassa, non tamen affectata, sive facti qua quis ignorat personam, cum qua copulam perfectam habet, esse comparti consanguineam in primo vel secundo gradu, sive juris, nempe aut legis ecclesiasticae specialiter ejusmodi incestum prohibentis, aut hujus poenae in eum constitutae (2).

Quum tamen haec doctrina, praesertim quoad ignorantiam legis, maxime vero quoad ignorantiam poenae, sit controversa, in praxi consulenda sunt statuta et usus dioecesis; quae tamen si severiora habeant, in circumstantiis difficilibus nihilominus usui illa doctrina esse potest. Magna circumspectione est hac in re cum poenitentibus procedendum, et interdum propter praevisam monitionis inutilitatem vel nocumentum omnino silendum neque interrogandus aut monendus poenitens.

CAPUT XV.

DE IMPEDIMENTO PUBLICAE HONESTATIS.

384. Publica haec honestas est quaedam propinquitas ex sponsalibus vel matrimonio rato tantum, non consummato, contracta cum sponsae (seu sponsi) vel conjugis consanguineis. Dirimens istud impedimentum (3) induxit Ecclesia propter reverentiam

(1) Cf. S. Alph. ed. Mechl. n. 1071 sqq. de matr., Carr. *De matr.* n. 839 sqq., *Comp.* n. 169, Scavin., t. 4, n. 650, van de Burgt, n. 196, tr. Mechl. n. 46, Giovine, t. 1, p. 558, Gury et Ballerin., t. 2, n. 815, q. 4.

(2) Cf. Planchard, n. 602, et in sensu contrario, quoad ignorantiam juris, de Angelis l. c. p. 230 sq.

(3) De eo scribunt canonistae ad titt. *De sponsal. et matr.* et *De sponsa duorum*, et *De conditionibus appositis in desponsatione, vel in aliis contractibus.*

ejusmodi consanguineis debitam, seu, ut sacri canones loqui solent, propter justitiam publicae honestatis. Quum ad instar affinitatis, quae ex unione corporum oritur, publica honestas, quae oritur ex unione animorum, fuerit inducta, antiqui auctores non pauci posterius etiam hoc impedimentum improprie vocarunt affinitatem vel quasi affinitatem; imo ipsa Dataria, ob causas tamen peculiares, in dispensationis literis super honestate publica consuevit dicere « honestatis seu affinitatis impedimentum (1). »

Ab antiquissimo tempore viget hoc impedimentum, et falso dicunt haeretici illud ante Bonif. VIII non extitisse (2).

385. Contrahitur impedimentum publicae honestatis tam cum illegitimis quam cum legitimis sponsae (seu sponsi) vel conjugis consanguineis, et gradus ratione hujus consanguinitatis computantur; non tamen contrahitur cum affinibus (3). Multiplex etiam esse potest, quum ex duplici fonte, sponsalibus nempe et matrimonio, proveniat, ac fieri possit cum diversis alterius partis consanguineis intervenisse sponsalia vel matrimonium (4).

386. Vinculum publicae honestatis ex matrimonio fortius est eo quod e sponsalibus oritur, et in hoc facilius quam in illo dispensatur (5). Ex utrovis autem fonte promanans perpetuum est,

(1) Cf. Corrad. l. 8, c. 7, n. 20, Giovine, t. 1, p. 533. Rationes peculiares ibi adducuntur; equidem puto Datariam maluisse utramque vocem simul adhibere ob diversum loquendi modum auctorum antiquorum; attamen si petita fuisset dispensatio in publica honestate, non valeret dispensatio pro vera affinitate, non obstante hac quoque voce a Dataria, ut supra, addita.

(2) Cf. Devoti *Instit. can.* l. 2, tit. 2, § 139, not. 2, et Mazochii Diatriba ad can. Illiber. 54, n. 15 et not. VI, ad calcem operis Muscettulae, *De spons. et matr. quae a filiisfam. contrahuntur.*

(3) Erronee contrarium docuerunt nonnulli, inter quos Clericat. Decis. 30 *De sacr. matr.* n. 7.

(4) Cf. Giovine, t. 1, p. 180 sq.; raro tamen haec multiplicitas existit, et probabiliter idcirco silere de ea solent auctores.

(5) Vid. S. Pii V const. *Ad Romanum* 1 jul. 1568 (inf. n. 387). S. C. C. 4 dec. 1597 (sup. n. 282), *Valentina* a. 1605 vel 1607 (sup. n. 370), Ben. XIV, § 15 const. *Inter omnigenas* 2 febr. 1744 (*Bull. Ben. XIV*, t. 1 const. 89, ed. Mechl. vol. 2, p. 178 sq.).

id est, durat licet solvantur sponsalia, etiam mutuo consensu, vel licet solvatur matrimonium (1); imo admitti non posse videtur quod aliqui scribunt (2), prolem natam post soluta sponsalia non affici impedimento publicae honestatis.

387. Ante Conc. Trid. publica honestas, sive ex sponsalibus sive ex matrimonio oriretur, usque ad quartum incl. gradum extendebatur, et oriebatur etiam ex sponsalibus invalidis, dummodo non essent invalida defectu consensus (3). In Conc. gen. Lugdun. II cogitatum fuit de mutanda disciplina, nihil tamen effectum (4). Sed Conc. Trid. Sess. 24, c. 3 de Ref. matr. quoad sponsalia duo mutavit, decernendo impedimentum in posterum non oriturum ex sponsalibus quacumque ratione invalidis, et ex validis primum gradum non excessurum; « quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari. »

Quum autem dubitaretur an praefata ad primum gradum restrictio respiceret etiam matrimonium, quia hoc in jure aliquando appellatur *sponsalia de praesenti*, S. Pius V, inhaerens sententiae S. C. C., motu proprio (5) declaravit : « Nos itaque, ut omnis difficultas dubitatioque tollatur, attendentes quod Sponsaliorum appellatione, qua dictum Concilium utitur, nonnisi improprie Matrimonium verbis de praesenti conceptis contractum continetur, quodque agitur de correctione juris veteris, quo casu secundum proprietatem verborum dumtaxat procedendum est, praesertim cum longe majorem rationem prohibitionis in matrimonio per

(1) Duas S. C. C. declarationes vid. ap. Fagn. n. 29 ad c. *Ad audientiam* De sponsal. et matr.; earum secunda, quae est 6 jul. 1658, appellatur *Cervien. seu Ravennaten.* ap. Zambon. V° *Matr.* § 14, n. 4.

(2) Knopp, p. 239 sqq., Kutschker, t. 2, p. 184.

(3) C. un. *De sponsal. et matr.* in VI.

(4) Cf. Fagn. n. 26 ad c. *Non debet*, De consang. et aff., et n. 7 ad cit. c. *Ad audientiam*.

(5) Const. *Ad Romanum* 1 jul. 1568; sententiam S. C. C. vid. ap. Fagn. n. 12 sq. ad cit. c. *Ad audientiam*, coll. secr. S. C. C. in mox citanda *Dubium matr.* a. 1722.

verba de praesenti contracto, quam in sponsalibus de futuro vigere a nemine dubitetur; ideirco Motu proprio auctoritate Ap. tenore praesentium declaramus et definimus, decretum Concilii hujusmodi omnino intelligendum esse, et procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio sic, ut praefertur, contracto, sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus et gradibus, in quibus de jure veteri ante praedictum decretum Concilii introductum erat. Et ita ab omnibus judicari debere mandamus atque statuimus. » Consequenter, quum ante Trid. Concilium impedimentum publicae honestatis oriretur ex matrimonio etiam invalido, dummodo non defectu consensus, idque ad quartum incl. gradum, sequitur nunc quoque idem vigere; quod ceteroqui et praxi receptum est et a S. C. C. expresse resolutum (1).

388. Existit itaque hoc impedimentum in primo tantum gradu ex sponsalibus validis, et usque ad quartum incl. gradum ex matrimonio rato tantum, non consummato, etiam invalido, dummodo non ob defectum consensus (2). Sed ante utriusque hujus causae explanationem notanda est specialis dispositio c. un. *De spons. et matr.* in VI, juxta quam persona, cum qua inita sunt sponsalia, non attingitur per publicam honestatem, dein, manentibus praefatis sponsalibus, ortam ex facto sponsi sui vel sponsae. Aequa est haec exceptio, quae vim retroagendi huic facto negat, licet eadem exceptio non existat pro affinitate. Observa tamen verba « manentibus praefatis sponsalibus; » nam si haec fuerint dissoluta ante illud sponsi vel sponsae factum publicam honestatem inducens, exceptioni non est locus (3).

(1) In una 18 junii 1611 (ap. secret. in causa *Dubium matr.* 21 nov. 1722, *Thes. S. C. C.* t. 2), quae absque dubio eadem est ac *Caesenaten.* sub iisdem die et anno citata a Monacello, *Formul. leg. pract.* tit. 16. form. 2. n. 32. et a Zambon. V° *Matr.* § 14, n. 3; praeterea in *Brixien. Matr.* 3 dec. 1667 cit. sup. n. 377.

(2) De Ecclesia Orientali cf. Papp-Szilagyi, part. 2, § 116.

(3) Cf. Giovine, t. 1, p. 536.

389. Manifestum est per factum praefatum sponsi vel sponsae intelligi sponsalia vel matrimonium cum persona prioris sponsi vel sponsae consanguinea; et non videtur dubitandum, quin exceptio, de qua agitur, etiam pro matrimonio et non pro sponsalibus tantum posita fuerit (1). Imo hodie pro solo matrimonio usuvenit. Si enim ex. gr. Petrus post sponsalia valida inita cum Maria, alia deinde, illis non solutis, ineat cum sorore Mariae, haec secunda sponsalia, utpote invalida, post Trid. non inducunt publicam honestatem. At si Petrus, nondum solutis sponsalibus cum Maria contractis, matrimonium de facto ineat cum ejus sorore, propter istud matrimonium invalidum habet Petrus impedimentum publicae honestatis cum omnibus praetensae suae uxoris intra quartum incl. gradum consanguineis, excepta sola Maria. Verum in praxi rarissime locus est ejusmodi exceptioni, vi cujus potest absque dispensatione matrimonium cum persona excepta contrahi; nam adesse solet et praesumi debet (n. 395) affinitas cum ea ob invalidi matrimonii consummationem, et consequenter in sola opinione hanc affinitatem ad secundum tantum incl. gradum extendente potest tunc esse praefatae exceptioni locus, si agatur de gradu tertio vel quarto (n. 377 sq.).

390. Ut ex sponsalibus (2) oriatur impedimentum publicae honestatis, debent esse 1° *valida*. Necesse igitur est ut adsit ipsius viri ac mulieris promissio futuri inter eos contrahendi matrimonii plene deliberata, directe voluntaria, tum interna (3) tum externa, non mere acceptata sed vere reciproca, cum persona determinata, absque errore substantiali vel in substantiam redundante, absque

(1) Cf. Moser, c. 10, n. 10, Carr. n. 824 sq.

(2) Quae de sponsalibus hoc et sequentibus numeris concinne indicantur, fusius tractantur a canonistis ad titt. citt. sup. n. 384, et a moralistis; cf. etiam Soglia, *Institt. jur. priv. eccl.* § 134 sqq., van de Burgt, n. 329 sqq., Bangen, tit. 1, Kutschker, t. 2, tr. Mechl. n. 1 sqq., Giovine, t. 1, p. 301 sqq. 530 sqq. Alia vid. inf. n. 556-558, 563 sqq.

(3) Cf. n. 391.

violenta coactione. Requiri etiam absentiam metus gravis injuste incussi, probabilior opinio sustinet contra alios (1) volentes eo casu esse tantum rescindibilia sponsalia, non vero per se invalida.

Debent etiam personae esse habiles. Si inter spondentes existat impedimentum matrimonii sive dirimens sive impediens de se perpetuum, certo sunt invalida sponsalia absolute inita (2); de initis sub conditione obtinendae dispensationis dicetur n. 394. Quod si impedimentum sit temporaneum, et de se postea cessaturum, invalida quidem sunt sponsalia quibus promittitur matrimonium contractum iri intra tempus, quo durabit impedimentum; valida vero, quibus matrimonium intenditur contrahi tempore quo impedimentum de se cessaverit; (de initis sub conditione obtinendae dispensationis vid. n. 394). Modo indicata intentio praesumitur, nisi ex adjunctis contrarium pateat. Ideirco valida per se censentur sponsalia inita inter impuberes; idemque passim traditur de impedimento perpetuo, quod per se possit absque dispensatione cessare, dummodo in isto casu posita fuerit conditio contrahendi tempore quo illud cessaverit, ex. gr. postquam pars acatholica fuerit conversa ad fidem catholicam. Ligaminis vero impedimentum semper annumeratur impedimentis de se perpetuis. Invalida etiam sunt sponsalia inita sub conditione repugnante substantiae matrimonii et post hoc contractum implenda, imo juxta non paucos etiamsi implenda ante matrimonium, quia, aiunt, sunt de re turpi atque illicita. Sed de conditionatis sponsalibus illico.

Si superveniat impedimentum, sponsalia dissolvuntur (3).

391. Ex sponsalibus « quacumque ratione, » ut dicit l. c. Trid., invalidis impedimentum non oritur, idque contra paucos quos-

(1) Inter quos de Angelis, t. 1, part. 2, p. 384 sq., t. 3, part. 1, p. 6 sq.

(2) Cf. S. C. C. in *Trivicana Sponsalium* 31 mart. 1708, ap de Justis, Append. cas. XI.

(3) De hac controversa quaestione cf. *Vindiciae Alphonsianae* ed. Tornacen. t. 2, p. 453 sqq., de Angelis, t. 3, part. 1, p. 226.

dam omnino etiam tenendum de sponsalibus mere interno vel occulto vitio irritis; aliud enim est in foro externo ea pro validis haberi, quum in eo non judicetur de occultis, aliud est coram Deo seu in conscientia ac revera esse valida (1).

Ex validis vero sponsalibus nascitur impedimentum sive privata tantum, occulta, clam contracta sint, sive solemnia et publica. Docuerunt aliqui (2) ex prioribus in conscientia non oriri publicam honestatem, allegantes hujus rationem tunc non existere, et Datariam non admittere impedimentum ex sponsalibus clam contractis. Primum quidem eorum motivum gravem affert difficultatem; sed S. Poenitentiaria accepit a Summis Pontificibus facultatem dispensandi in publica honestate orta ex sponsalibus occultis; vid. n. 605 sq., et praeterea S. Poenit. 10 sept. 1834 (3). Simul itaque infirmatur ratio allata ex praxi Datariae, vid. inf. n. 605. Ceterum ob multa incommoda interdum ex clandestinis seu occultis sponsalibus provenientia saepius agitata fuit quaestio de quadam forma sponsalium validitati praescribenda; vid. n. 558.

392. Debent sponsalia esse 2° *absoluta*. Quominus autem talia sint, poenae adjectio non impedit; sed ex vere conditionatis seu suspensivam conditionem adjectam habentibus sponsalibus publica honestas non oritur nisi impleta vel revocata conditione. Non licet tamen ante hunc eventum sponsalia vel matrimonium cum alia persona inire; sponsalia sine conditione dissolutionis priorum inita sunt invalida, matrimonium vero illicitum quidem sed validum, etiamsi contractum cum sponsae, resp. sponsi, in primo gradu consanguinea persona. Sponsaliorum illa invaliditas non causatur per publicam honestatem, sed per obligationem expectandi eventum; matrimonii vero validitas sequitur ex eo, quod

(1) Cf. S. Alph. n. 1062, Giovine, t. 1, p. 532 sq.

(2) Contra eos cf. Giovine, t. 1, p. 530, 532, Ferrari, t. 2, n. 384, not. 1, *Acta S. Sedis*, vol. 2, p. 381 sq., de Angelis, t. 3, part. 1, p. 124 sq.

(3) Ap. de Angelis, l. c.

publica honestas non existat nisi inde a momento, quo per conditionis purificationem sponsalia fiunt absoluta, non vero inde a tempore quo conditionata sponsalia inita fuerunt (1). Sed estne validum matrimonium si, ante conditionis eventum orto impedimento inter sponsos, ex. gr. affinitatis ex copula illicita cum persona alteri parti in primo gradu consanguinea, deinde cum hac contrahatur post purificatam conditionem? Diverse hac de re scriptum legitur (2), sed videtur tuenda validitas, quia publica honestas non oritur nisi inde a momento quo sponsalia fiunt absoluta, in casu autem eo momento inter sponsos existit impedimentum, propter quod valida inter eos sponsalia esse nequeunt; aliis verbis, impedimentum praecedit existentiam sponsalium validorum absolutorum, e quibus solis publica honestas oritur. Praeterea superveniens etiam impedimentum sponsalia dissolvit (n. 390). Aliud autem est quaerere an reus teneatur resarcire damna, et dispensationem petere in impedimento affinitatis quando postea solutum erit matrimonium jam contractum (3); aliud vero, an matrimonium contractum sit validum.

393. Conditio impossibilis vel turpis in foro externo habetur pro non adjecta, nisi tamen substantiae matrimonii repugnet; hoc enim casu irrita sunt sponsalia si conditio sit post matrimonium implenda, et juxta multos etiamsi sit implenda ante illud (n. 390). Fieri tamen potest in foro interno consensum vere esse conditioni turpi alligatum; idem dicito de impossibili, quae tamen si manifesto talis sit, potius indicat consensus defectum nec serio rem actam fuisse.

394. Quid si inter spondentes existat impedimentum matrimonii, praesertim dirimens, pro quo tollendo opus sit dispensa-

(1) C. un. *De spons. et matr.* in VI, § 1.

(2) Cf. *Rev. théol.* ser. 3, p. 29 sqq., *Études de théol.* Par. 1859, p. 316 sq.

(3) Cf. Reiff. n. 294 sqq. *De spons. et matr.*, S. Alph. n. 857 sq., *Vindiciae Alphonsianae*, ed. Tornacen. t. 2, p. 453 sqq.

tione, et spondentes addant conditionem si obtineatur dispensatio? Vetus et gravis est hac de re controversia.

Sunt primo qui indistincte negant ejusmodi sponsalium valorem, nullamque ex iis obligationem oriri sentiunt (1), tum quia, allatis etiam legibus juris Romani, ejusmodi conditionem habent pro illicita, quum ordini publico adversetur in pactum deducere quod a sola principis voluntate pendet, tum vero maxime propter S. C. C. resolutiones (2).

Alii (3) distinguunt, et opinantur invalida esse sponsalia, si impedimentum sit ejusmodi in quo dispensari nequit vel non solet, vel pro cujus relaxatione petenda non adest justa causa; valida vero si in eo dispensari soleat et justa sit causa dispensationem petendi. Publicam quidem honestatem non oriri nisi eo momento quo obtinetur dispensatio, sed antea existere obligationem procurandi dispensationem et expectandi eventum. Hi enim conditionem ejusmodi habent pro licita nec publico ordini contraria, leges Romanas aliter explicant vel ab iis recedendum dicunt, et

(1) Card. de Luca, discursu 7 *De matr.* (*Theatr. verit. et just.* t. 2) coll. n. 11 disc. 27 *Annot. ad S. Conc. Trid.* (t. 2), Clericat. decis. 17 *De Sacr. matr.* n. 41, Zallinger, l. 4 Decret. § 89 sqq., Berardi, *Comment. in jus eccl. univ.* t. 3, dissert. 2 q. 3, Honorante, *Prax. secretariae card. Urbis vic.* c. 29, § 3, vs. *Inducitur*ne, Girald. *Expos. jur. Pont.* part. 2, sect. 122, Bangen, tit. 1 p. 3 sq., Scavin. t. 4, n. 471, Gury ed. Baller. t. 2, n. 725, Giovine, t. 1 p. 305 sq. 531 sq., Avanzin. *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 121 sqq. coll. p. 75 sqq. 79 sqq., t. 4 p. 324, *Mél. théol.* ser. 2, p. 592, *Rev. théol.* ser. 1, p. 75, *Rev. théol. Nouvelle série*, t. 2, p. 202 sqq., *Nouv. rev. théol.*, t. 4, p. 571 sqq., t. 13, p. 143 sq.; in eamdem opinionem inclinat van de Burgt, n. 333 vs. *Tandem* sqq., 337 in fine.

(2) In *Brugnaten. Sponsalium* 26 januar. 1709 (*Thes. S. C. C.* t. 9), *Januen. Spons.* 12 dec. 1733 (Ib. t. 6), *Melevitana Spons.* 22 febr. 1862 (Ib. t. 121), *Beneventana Impedimenti spons.* 27 junii 1863 (Ib. t. 122).

(3) Reiff. n. 23 sqq. *De conditionib. appos.*, Pichler, n. 18 eod., Wiestner, n. 31 sqq, eod., de Justis, l. 2, c. 1, n. 65 sqq., S. Alph. ed. Mechl. l. 4, n. 650, l. 6, n. 843, 859, Soglia, § 145, Ballerin. ad Gury, l. c., de Angelis t. 3 part. 1, p. 147 sqq. et in dissertatione anonyma quae memoratur ap. *Nouv. rev. théol.* t. 4, p. 591.

resolutionibus S. C. C. non eum sensum esse contendunt (1) quem iis prima opinio attribuit, sed respicere casum quo quis ante impletam conditionem a sponsalibus recesserit.

Alii (2) valorem quidem admittunt, sed addunt utramque partem posse tum ante tum post obtentam dispensationem resilire, quia, aiunt, novus post hanc requiritur consensus (3), et prior consensus, utpote datus ab inhabilibus, est revocabilis, quamquam valide tunc praestitus quia referebatur ad tempus habile.

De duabus tantum prioribus opinionibus serio agi posse opinamur, e citatis autem causis S. C. C., quamquam non eamdem singulae vim prae se ferunt, omnino videtur erui sensus S. C. C. favore primae opinionis, ita ut ne obligatio quidem eventum expectandi adsit.

395. Alter hujus impedimenti fons est matrimonium ratum tantum, etiamsi invalidum, dummodo non defectu consensus. Consummato dein matrimonio, una cum inde orta affinitate remanet publica honestas (4). Quoties tamen existit affinitas intra eos gradus, intra quos adest etiam publica honestas, sufficit petere dispensationem in affinitate, quum ex hac tunc noscatur illa adesse, quia in ea includitur. Casus igitur impedimenti publicae honestatis ex matrimonio in praxi vix occurrit, quum soleat consummari, imo consummatio praesumatur et copula praesumatur

(1) Cf. praesertim Ballerin. ad Gury l. c., de Angelis ll. cc.; sed contra eos cf. *Nouv. rev. théol.* l. c. p. 588 sqq.

(2) Gutierrez, *Canonicarum quaestionum* l. 1, c. 22, cui adhaeret Corrad. l. 7, c. 5, n. 103, coll. l. 8, c. 5, n. 33 sq. Sunt etiam qui opiniones indicant, sed ipsi non pronuntiant, ut Boeckhn. n. 29 sqq. *De conditionib. appos.*, tr. Mechl. n. 9, *Études de théol.* Par. 1859, p. 316 sq.

(3) Casu sponsaliorum sub licita conditione initorum non requiri novum consensum post purificatam conditionem, vid. ap. de Angelis ll. cc., *Nouv. rev. th.* t. 13, p. 144 sq.

(4) Vid. S. C. C. in *Brixien.* 3 dec. 1667, cit. sup. n. 377. Non erat cur Carr. n. 836 haereret circa doctrinam Ben. XIV, *De syn.* l. 9, c. 13, n. 4, et dubitaret an ex matrimonio consummato oriri possit honestas: ex eo non oritur, sed in eo remanet.

perfecta. De exprimenda igitur publica honestate ex matrimonio orta sermo esse vix potest, nisi quando agitur de affinitate in gradu tertio vel quarto ex copula habita in matrimonio invalido; tunc enim res pendet ex quaestione utrum ad secundum tantum, an vero ad quartum incl. gradum extendatur affinitas (n. 377 sq. 389).

396. Ex matrimonio tamen invalido non oritur publica honestas, quando est invalidum ob defectum consensus (1). Falso autem aliqui putaverunt etiam in postremo hoc casu impedimentum oriri, si defectus consensus sit internus tantum et occultus, et, ut non oriatur, defectum consensus debere esse publicum vel saltem externum. Confundunt illi duo valde diversa; profecto enim in foro externo impedimentum reputabitur existere quamdiu de consensus defectu non constat, sed coram Deo revera non existit.

397. Qualis autem intelligendus est defectus consensus, ob quem ex matrimonio invalido publica honestas non oritur? 1° Absque dubio excluditur impedimentum, quando defuit consensus substantialis naturalis, ex. gr. si fictus fuerit alterutrius saltem consensus, vel datus ex errore substantiali aut in substantiam redundante, vel revocatus ante matrimonium per procuratorem contractum; verbo, in omni casu quo naturalis seu substantialis consensus defuit. Pariter si suspensiva conditio addita fuerit (liceatne aliquando id facere hic non quaeritur), honestas publica non oritur nisi aut impleta aut revocata conditione. Eousque enim consensus absolutus, qui ad impedimenti existentiam requiritur (n. 392), non adest, quamquam in foro externo interdum aliter judicari debebit, ex. gr. quia in eo conditiones impossibiles vel turpes, quae non repugnent substantiae matrimonii, habentur pro non adjectis (2).

(1) Haec exceptio propria est publicae honestati, non affinitati, quia haec oritur ex unione corporum, cui non obest defectus consensus, illa vero ex unione animorum, cui obest.

(2) C. *Si conditiones* fin. *De condit. appositis*, et cf. n. 393 in fine.

398. 2° Quid si substantialis quidem consensus adfuerit, sed non ille omnino liber, quem Ecclesia requirit? Ex matrimonio ob gravem metum irrito oriri publicam honestatem sunt qui affirmant, sed merito negat doctrina communis, quam fulcit etiam S. C. C. in una 22 mart. 1664 (1), et revera vox *consensus* in jure non de solo substantiali, verum de plane libero quoque quem Ecclesia requirit accipitur (n. 139). De ignorata conditione servili idem quod de metu scribunt aliqui (2), nempe non oriri publicam honestatem, sed valde dubia res est, et de ea communiter silent auctores. Denique matrimonium contractum ab impubere seu habente impedimentum aetatis, nisi malitia hanc suppleat, non producit publicam honestatem quatenus haec e matrimonio oritur. Attamen quia etiam nunc matrimonium ejusmodi invalidum resolvitur in sponsalia, dummodo contrahentes haec non exclusserint, idcirco in tali casu adest honestas publica tamquam ex sponsalibus. An autem requiratur ut, in loco ubi viget decretum *Tametsi*, non fuerit clandestine contractum matrimonium, vid. n. 282, 400 in fine, 535. Communiter traditur non requiri; dubium tamen aliquod manet propter allatam a nonnullis S. C. C. 4 dec. 1597 (n. 282). Imo si civile tantum, ut vocant, matrimonium in praefato loco fuerit contractum, publica honestas non producitur ob decretum SS. D. N. Leonis XIII 17 mart. 1879 n. 403, 784 sq.). Iste igitur casus est excipiendus a communi doctrina, quam n. 282 reverenter accepimus, cum formidine tamen de opposita ob allatam a nonnullis S. C. C. declarationem 4 dec. 1597. Quare quaestio praefata et communis doctrina remanent tantum pro alio impuberum, vel impuberis cum pubere, matrimonio ob clandestinitatem invalido in locis ubi decretum *Tametsi* viget.

399. Quid autem dicendum de matrimonio ob clandestinitatem

(1) Ap. Monacell. tit. 16, form. 2, n. 32.
(2) Inter quos Sog'ia, § 145.

invalide contracto a duobus puberibus? Quum ejusmodi matrimonium non transeat in sponsalia (n. 282), publica honestas, si ex eo oriatur, ad quartum gradum se extendit. Sed quaestio ardua est, an ex matrimonio ob clandestinitatem invalido publica honestas revera oriatur. Plerique affirmant (1), multi tamen negant (2).

(1) Cf. Fagn. n. 11 sqq. ad c. *Ad audientiam*, De spons. et matr., n. 2 ad c. *Sponsam* eod. et n. 49 ad c. *Cum venissent*, De judic., Gutierrez, op. cit. l. 3, De matr. c. 103, n. 9, Gonzalez Tellez, n. 5 ad cit. c. *Ad audientiam*, Schmalzgrueber, n. 102 *De spons. et matr.*, Wiestner, n. 270 eod., Boeckhn, n. 64 eod., Farinacius et Gallemart, ll. mox citandis, Armendariz, l. mox citando, n. 87, Rebellus, *De obligationibus justitiae, religionis, et caritatis*, part. 2, inter Declarationes S. C. C. de matr. et spons. n. 102, Hurtado, *Tract. de Sacr. et cens.*, De matr. disput. 20. diffic. 2, n. 7, Pontius, *De Sacr. matr.* l. 7. c. 35, n. 5, Perez. *De sancto matr. Sacr.* disp. 32, sect. 3, n. 2 sq., Salmanticenses, *Theol. mor.* tr. 9. de matr. c. 12, punct. 7, n. 86, Leander, *Quaest. morales theologicae in septem Ecclesiae Sacramenta*. tr. 9, de matr. disp. 19, q. 13, Gobat, *Theol. experim.* tr. 9, cas. 15, n. 386, Bonacina, de matr. q. 3, punct. 11, n. 18. La Croix, de matr. n. 681, Pignatelli, *Consult. can.* 78, n. 6 (t. 7), Monacell. tit. 16, form. 2, n. 32, Giribald. de matr. c. 13, dub. 4, n. 33, Castro Palao, tr. 28, de spons. et matr. disp. 4. punct. 10, n. 3, Vallensis ad tit. *De consang. et aff.* § 4. n. 3, Tamburin. *Theol. mor.* l. 8, de matr. tr. 1, c. 11, § 3. n. 4, Kugler, *De matr.* part. 2, n. 1291. et *Opusc. de sponsalib*, part. 2, q. 8, n. 82 sqq., Leuren. *For. eccl.* l. 4, q. 111, n. 3, Concina, *Theol. christiana dogm.-mor.*, t. 10. l. 2 de matr. dissert. 3, c. 2. § 8, n. 4, Busembaum, *Medulla theol. mor.* l. 6, tr. 6, c. 3, dub. 2, vs. *Dicitur* 10, Patuzzi, *Theol. mor.* tr. 10, De sacramentis Ecclesiae, dissert. 3, c. 11, n. 6, S. Alph. de matr. n. 1064, ubi hanc sententiam dicit veriorem, ideoque oppositam non putat probabilem (cf. *Monitum ad lect.* ejus Theologiae praemissum), Carr. *De matr.* n. 821, *Comp.* n. 171, Gury et Baller., ed. a. 1866. t. 2, n. 818 sq., Ballerini ad Gury, ed. cit. t. 2, n. 730, Grassi. *Univ. theol. mor.* vol. 3, Aesii 1854, p. 450, Giovine, t. 1. p. 534 sq. 540, t. 2, p. 49, tr. Mechl. n. 80, Ferrari, t. 2, n. 386, van de Burgt, n. 180, Scavin. t. 4, n. 452, *Nouv. rev. théol.* t. 4, p. 232 sq. 236, de Angelis l. c. p. 126 sqq. Cf. etiam secret. S. C. C. in *Bojanen Matr.* 3 aug. 1720 (*Thes. S. C. C.* t. 1), et in una *Dubium matr.* 21 nov. 1722 (Ib. t. 2).

(2) Cf. Navarrus, *Enchiridion seu manuale confessariorum, et poenitentium*, c. 22, n. 58, Sa, *Aphorismi confessariorum*, v° *Impedimenta diri-*

409. Ex matrimonio propter clandestinitatem invalido oriri publicam honestatem probatur 1° auctoritate S. C. C. Scribit Fagnanus (1) : « Ex facto quaesitum est, posito decreto Conc. Trid. d. c. 3 Sess. 24 de reformat. matrim. et Declaratione Pii V in Extravagan. *Ad Romanum*, et stante Declaratione Sacrae Congregationis, quod matrimonium non servata forma Concilii contractum non resolvatur in Sponsalia de futuro : an ex matrimonio per verba de praesenti contra formam a Concilio traditam contracto oriatur impedimentum publicae honestatis; et quatenus oriatur, an sit restrictum ad primum gradum per decretum Concilii d. c. 3. » Deinde, post expositas rationes quae in contrarium

mentia, n. 12, Sanchez, *De sancto matr. Sacr.* l. 7, disput. 70, n. 13, Engl, § 6, n. 5, *De spons. et matr.*, Corrad. l. 8, c. 7, n. 10 vs. *Nono*, Filliuccius, *Moralium quaestionum de christianis officiis et casib. consc.*, t. 1, tr. 10, de Sacr. matr. part. 2, c. 6, n. 224, Barbosa, *De off. et pot. Ep.* part. 3. alleg. 51, n. 181, Tancredus, *De sancto matr. Sacr.* disput. 70. n. 3, Coninck. *De Sacramentis et censuris ecclesiasticis*, t. 2. disput. 32, dub. 5, n. 70, Pax Jordanus, *Elucubrationes diversae*, t. 3, l. 3, tit. 7, n. 296, Pirhing, n. 62 *De consang. et aff.* vs. *Infertur* 2, de Justis, l. 2, c. 8, n. 13, Clericat. decis. 30 *De Sacr. matr.* n. 13, Cosci, *De separatione tori conjugalis*, t. 1, c. 11, n. 16, Piton. *Discept. eccles.* 52, n. 99 sq. Eorum tamen pauci tantum tangunt resolutiones quae in contrariam partem allegantur; imo Pax Jordanus et de Justis scribunt a Barbosa citari declarationem contra impedimenti existentiam. Attamen Barbosa praecise citat illam quae ex Armendariz aliisque notatur inf. n. 400. Scribit enim Barbosa l. c. : « Et ita decisum fuisse post haec scripta inveni ap. Armend. dicto loco n. 87; » quae quidem verba indicant Barbosam. post ea quae contra impedimenti existentiam scripserat. invenisse illam pro ejus existentia resolutionem; quemadmodum etiam in *Collectan. Doctorum in Conc. Trid.* ad sess. 24, c. 3 de Ref. n. 11 idem Barbosa scribit : « Impedimentum publicae honestatis oriri ex sponsalibus per verba de praesenti, et nulliter contractis, omissa forma Conc. Trid. supra hac sess. cap. 1 refert decisum Armendar. d. lib. I de matrimoniis. num. 87. » Potius igitur delendus est Barbosa e numero auctorum modo indicatorum. Ballerin. ad Gury ll. cc. in ed. a. 1869. mutata priori sententia, inclinat in contrariam, et vult ut procedatur tamquam pro impedimento dubio.

(1) N. 11, ad cit. c. *Ad audientiam.*

allegari possunt (1), fuse ipse propugnat (2) : « Ex matrimonio sive ex praedicta, sive ex alia causa nullo, praeterquam ex defectu consensus, oriri de jure publicae honestatis impedimentum dirimens usque ad quartum gradum ; » quo facto, notat (3) : « Et ita resolutum. »

Multi alii auctores (4) hanc referunt S. C. C. resolutionem : « Praesupposita declaratione per Constitutionem S. D. N. Pii V super hoc decreto : Censuit Congregatio, oriri impedimentum justitiae publicae honestatis ex sponsalibus per verba de praesenti etiam nulliter contractis, omissa forma decreti Conc. Trid. cap. 1 hujus Sessionis (24). »

Pariter scribit Pignatellus (5) : « Consequenter orta dubitatione, an ex matrimonio per verba de praesenti contra formam a Concilio traditam contracto, oriatur impedimentum publicae honestatis? Et quatenus oriatur, an sit restrictum ad primum gradum per hoc Decretum? Cum ad Greg. XIII controversia haec delata fuisset una cum rationibus, et Doctorum pro utraque parte opinionibus, Sanctitas Sua inclinavit in receptiorem sententiam, nempe ut ex matrimonio nulliter etiam a scientibus contracto, oriatur impedimentum publicae honestatis. Non enim probavit distinctionem inter contrahentes scienter, vel ignoranter... Tamen dixit dubitationem proponendam in Congregatione, quae censuit impedimentum justitiae publicae honestatis oriri etiam ex matrimonio nulliter contracto ob non servatam formam Concilii. »

Ne dicas nullam haberi posse fidem his resolutionibus, quarum nec dies nec annus citatur. Etenim Fagnanus numquam leviter

(1) N. 16 sqq.

(2) N. 20 sqq.

(3) N. 28. Ad eamdem resolutionem remittit n. 2 ad cit. c. *Sponsam*, et n. 49 ad cit. c. *Cum venissent*.

(4) Farinacius et Gallemartius ad Trid. sess. 24 c. 3 de ref. matr., Armendariz, n. 87 l. c. sup. n. 282, Rebellus, Pontius, Perez, aliique indicati sup. n. 399. Refertur etiam ex Gallemartio a S. Poenit. in rescripto 13 mart. 1820, quod vid. inf. n. 401.

(5) L. c. n. 6.

citat declarationes S. C. C., cui multis annis fuit a secretis, et ipsa S. Poenit. in rescr. 13 mart. 1820 (n. 401) allegat S. C. C. resolutionem ex Gallemartio. Imo opinamur facile ad diei atque anni notitiam perveniri; omnes enim supra factas allegationes ad unam eamdemque S. C. C. resolutionem referri ostendit manifesta circumstantiarum et ipsorum verborum similitudo, et quum Pignatellus eam referat ad tempus Greg. XIII, jure merito concluseris esse eam, quam Monacellus (1) dicit esse 8 nov. 1584.

Aliud ex auctoritate S. C. C. argumentum haberetur in causa 4 dec. 1597, relata sup. n. 282, si satis constaret de ejus authenticitate. De casu enim quo malitia aetatem non supplevit, dicit S. C. matrimonium transire in sponsalia, et oriri publicam honestatem tamquam ex sponsalibus, si servata fuerit forma Tridentina. Nullam vero facit distinctionem pro casu quo malitia supplevit aetatem; sed simpliciter dicit tunc oriri publicam honestatem, nulla facta mentione servatae vel non servatae formae Tridentinae: eo enim casu agitur de publica honestate quatenus ex matrimonio oritur. Sed vide quae notavimus l. c.

401. Matrimonio ob clandestinitatem invalido publicam induci honestatem, probatur 2° auctoritate S. Poenitentiariae. Imprimis quidem huc faciunt ejus ad parochum Sabaudum responsiones 13 mart. 1820, a Pii VII approbatae. Inter alia dubia hoc erat: « *Se tutti i matrimonii nulli a causa di qualche altro impedimento diverso dalla mancanza di consenso producano quello di publica onestà* (2). » Respondit autem S. Poenitentiaria: « Affirmative, scilicet sponsalia de praesenti seu matrimonium ratum ex quocumque licet impedimento nullum, dummodo nullum non sit ex

(1) L. c. Ibidem memorat aliam, nempe *Caesenaten.* 18 junii 1611, sed ex loquendi modo secretarii S. C. C. in cit. *Dubium matr.* a. 1722 colligitur illam universim tantum de invalido matrimonio, non vero praecise de clandestino, agere; eam in generali hoc sensu allegatam habes sup. n. 387.

(2) Latine: An omnia matrimonia propter aliud quodpiam impedimentum, praeterquam defectus consensus, nulla producant illud publicae honestatis.

defectu consensus, impedimentum parere publicae honestatis. Hoc enim manifeste colligitur ex cap. un. de sponsal. et matr. in 6, atque ita unanimiter tradunt Doctores. Solummodo inter eos disputatur an impedimentum istud inducatur etiam per matrimonium ratum quod nullum et irritum sit ob impedimentum clandestinitatis, quod nempe contractum non fuerit coram parocho et testibus : et verior atque omnino tenenda sententia affirmat ex hujusmodi etiam matrimonio publicae honestatis impedimentum oriri. Etenim de jure veteri seu ex cit. cap. un. de spons. et matrim. in 6 impedimentum istud publicae honestatis inducebatur per quodcumque matrimonium ratum licet irritum, dummodo non esset irritum ex defectu consensus. Hoc autem jus antiquum circa matrimonium ratum minime immutatum est per Trid. Synodum sed integrum mansit in omnibus illis gradibus et casibus, in quibus de jure veteri introductum erat, prout in haec ipsa verba declaravit S. Pius V in decreto anno 1568 emanato, quod incipit *Ad Romanum*. Quare S. Congr. Cardinalium teste Joanne Gallemart. in cap. 3 Sess. 24 Conc. Trid. ita hac super re pronuntiavit. Praesupposita declaratione per Constit. S. Pii V super hoc decreto (Trid. circa impedimentum publicae honestatis) censuit S. Congr. oriri impedimentum publicae honestatis ex sponsalibus per verba de praesenti etiam nulliter contractis omissa forma decreti Conc. Trid. Sess. 24 cap. 1, id est contractis clandestine sine parocho et testibus. »

Aliud quoque hoc dubium idem parochus proposuerat : « *I matrimonii civili, contratti cioè dinnanzi l'ufficiale civile allorchè i contraenti potevano ricorrere al loro Pastore legitimo, od almeno in di lui mancanza ad altro Prete cattolico nella supposizione eziandio che non siano stati seguiti dalla coabitazione producono il d. impedimento di publica onestà usque ad quartum gradum* (1). » Et S. Poenit. respondit : « Matrimonia contracta coram

(1) Latine : Matrimonia civilia, contracta scil. coram officiali civili

civili Magistratu cum contrahentes ad legitimum suum Pastorem aut ad alium sacerdotem ab eo delegatum recursum habere poterant, matrimonia fuerunt in sensu Ecclesiae clandestina. Matrimonia autem rata licet irrita clandestina impedimentum parere publicae honestatis, illudque usque ad quartum gradum ex declaratione S. Pii V et Cardinalium dictum jam est in superiori responsione. Idem ergo impedimentum eodemque modo pariunt etiam matrimonia ista civilia, et illud quidem, etiamsi deinceps non fuerint consummata. »

402. Item quum nonnulli parochi dioecesis Ambianensis hoc dubium proposuissent : « *Se ed in qual grado nasca l'impedimento di publica onestà dai matrimonii contratti innanzi al Magistrato civile per l'impedimento di clandestinità* (1), » S. Poenit. 14 maii 1835 respondit : « Affirmative usque ad quartum gradum. »

Tandem simili dubio a quibusdam Gallis proposito S. Poenit. 9 maii 1843 respondit : « Matrimonia civilia in Galliis impedimentum publicae honestatis parere usque ad quartum gradum. »

403. Itaque juxta S. Poenit. ex matrimonio ob clandestinitatem invalido oritur hoc impedimentum usque ad quartum incl. gradum, imo in pluribus rescriptis idem fuit ab ea dictum de matrimonio quod vocant civile. Sed nonne difficultatem ingerit ejusdem S. Poenit. rescriptum ad dubia a quodam episcopo Italiae proposita die 4 mart. 1866? Dubia haec erant : « 1. Num ex illo actu, vel caeremonia, quam vocitant matrimonium civile, oriatur impedimentum publicae honestatis usque ad quartum

quando contrahentes poterant recurrere ad suum pastorem legitimum, vel saltem in ejus defectum ad alium sacerdotem catholicum, posito etiam non esse secutam cohabitationem, producuntne dictum impedimentum publicae honestatis usque ad quartum gradum?

(1) Latine : An et in quo gradu nascatur impedimentum publicae honestatis ex matrimoniis contractis coram Magistratu civili propter impedimentum clandestinitatis.

gradum? 2. Num hujusmodi actus vel caeremonia vocitatum matrimonium civile considerari possit saltem ut promissio sponsalitia, ex qua proinde oriatur impedimentum publicae honestatis usque ad primum gradum? » Eodem autem mense respondit S. Poenit. : « *Spettando a questo Tribunale il provvedere, come meglio crede nel Signore, al caso prattico, e la decisione in massima del proposto quesito essendo propriamente di pertinenza della S. C. del Concilio; così V. S. Illma nel caso che realmente voglia effettuarsi il matrimonio fra l'uomo superstite alla defonta donna* (1), *potrà chiedere a questo medesimo Tribunale l'opportuno provvedimento, e per la risoluzione del proposto quesito rivolgere le sue istanze alla S. C. del Concilio* (2). » Est forte qui suspicetur in hoc rescripto S. Poenitentiariae amplius non esse persuasum de impedimenti existentia ex matrimonio ob clandestinitatem invalido. Animadvertat tamen urgeri id non posse universim quoad matrimonium propter clandestinitatem invalidum, pro quo ipsa S. Poenit. jam citaverat S. C. C. resolutionem (n. 401), sed tantum quoad matrimonium, ut vocant, civile; de hoc autem dicemus n. 784 sq. Hodie quidem ex novo decreto, lato ex voto S. C. C. 13 mart. 1879, a SS. D. N. Leone XIII 17 mart. ejusdem mensis et anni, per actum, qui vulgo dicitur matrimonium civile, in locis ubi viget decretum *Tametsi*, impedimentum publicae honestatis non producitur (n. 784 sq.). Hoc tamen decretum de solo matrimonio, ut vocant, civili statuit, pro quo disciplinam declarat et constituit diversam ab anterioribus quibusdam responsioni-

(1) In textu, quem prae manibus habeo, desiderantur aliqua verba quibus indicetur defunctae mulieris consanguinea.

(2) Latine : Cum ad hoc Tribunal spectet ut provideat, prout melius visum fuerit in Domino, casui practico, et decisio doctrinalis propositae quaestionis proprie pertineat ad S. C. C.; idcirco A. T., si ad effectum deduci velit matrimonium inter virum defunctae mulieri superstitem [cf. not, praec]. poterit ab hoc ipso Tribunali petere opportunam provisionem, et pro resolutione propositae quaestionis instare apud S. C. C.

bus; intactam autem relinquit quaestionem nostram generalem de matrimonio clandestino (1).

404. Accedit 3° ratio juridica in ipsis documentis supra relatis expressa. Ex una enim parte matrimonium ob clandestinitatem invalide contractum inter duos puberes hodie non resolvitur in sponsalia (n. 282, 599); ex altera vero Concilium Trid. nihil prorsus immutavit quoad publicam honestatem quatenus ex matrimonio oritur, sed, declarante S. Pio V, in matrimonio durat adhuc impedimentum in omnibus illis casibus et gradibus, in quibus de jure veteri ante Conc. introductum erat (n. 387). Jamvero ante Trid. oriebatur usque ad quartum incl. gradum impedimentum publicae honestatis ex matrimonio, licet invalido, etiamsi clandestine contracto, dummodo non esset invalidum defectu consensus.

405. At gravia sunt quae ab adversariis opponuntur, ut ostendant non eum posse S. Pio V sensum attribui, quo ejus declaratio comprehendat matrimonium ob clandestinitatem invalidum. Pontifex, aiunt, declarat impedimentum durare post Trid. in omnibus illis casibus et gradibus, in quibus de jure veteri introductum erat. Jamvero *a*) jure veteri non existebat impedimentum dirimens clandestinitatis; impedimenta autem in futurum constituenda profecto non respicit lex odiosa. *b*) Post formam consensui praescriptam a Concilio matrimonium, de quo agitur, etiamsi forte naturalis consensus non desit (2), invalidum tamen dici debet ex defectu consensus, quia legitimus saltem consensus deest, quemadmodum is solus deest in casu gravis metus (n. 398). *c*) Post Trid. deest etiam forma seu figura matrimonii in casu nullitatis ob clandestinitatem, ideoque non potest dici ex matrimonio tunc oriri publicam honestatem, quod tamen jure veteri requirebatur; clandestinum enim matrimonium ne nomen quidem matrimonii meretur, cujus nec figuram habet. *d*) Publicae honestatis ratio non

(1) Cf. de Angelis l. c. p. 136, *Acta S. Sedis* t. 12, p. 176.

(2) Hunc non necessario semper excludi per scientiam impedimenti vid. n. 407, 777 sq.

adest nisi externa apparentia saltem matrimonii adsit; nullatenus autem ea adest in matrimonio occulto et propter clandestinitatem invalido. *c*) Post Trid. *ratum* dici non potest ejusmodi matrimonium; aliud enim matrimonium irritum eo nomine dici potest saltem ob extrinsecam solemnitatem ab Ecclesia approbatam; hic vero nulla, ne extrinseca quidem, ejus appellationis ratio existit, unde Catechismus Romanus de clandestinis matrimoniis dicit : « Ea neque vera neque rata matrimonia habenda esse (1). »

406. Est quod his respondeatur; nempe ad *a*) : Jure veteri oriebatur impedimentum ex matrimonio invalido etiamsi clandestine contracto, et nihil hic refert hanc clandestinitatem tunc nondum fuisse per se impedimentum dirimens. Impedimenta etiam in futurum constituenda lege contineri vel ex eo colligitur, quod veteri jure non statuebatur de determinatis invaliditatis casibus, sed generaliter de matrimonio quocumque invalido, praeterquam defectu consensus. Ad *b*) : Jure etiam veteri facta exceptio matrimonii defectu consensus invalidi respiciebat consensum naturalem; impedimentum autem metus hunc ipsum, nempe ejus libertatem, nequaquam vero, ut clandestinitas, solam consensus legitimitatem et externam solemnitatem afficit. Ad *c*) : Deest illa forma seu figura matrimonii, quae consistit in forma ecclesiastica externa celebrationis, sed non deest illa matrimonii species seu figura, quam praefert externe manifestatus mutuus consensus, cf. n. 377, 768. Quamquam igitur ejusmodi conjunctio nec rem nec nomen veri matrimonii meretur, denominationem tamen habet matrimonii invalidi, quemadmodum testamentum formis praescriptis destitutum veri testamenti nec rem nec nomen meretur, et nihilominus testamentum invalidum appellatur, et judicis sententia definitiva ob extrinsecae solemnitatis essentialiter requisitae defectum irrita verae sententiae nomen non meretur, et nihilominus sententia invalida nuncupatur. Praeterea jure veteri

(1) Part. 2. c. 8. n. 29.

dicebatur impedimentum oriri ex matrimonio, etiamsi hoc, aliunde invalidum, fuisset clam seu absque ulla forma ecclesiastica ideoque illegitime initum. Ad *d)* : Gravem id causaret difficultatem, si non refutaretur exemplo sponsalium occultorum, ex quibus publicam honestatem oriri constitit n. 391. Ad *e)* : Ratum dici non potest si hac voce intelligatur validitas vel saltem celebratio in forma approbata ab Ecclesia, quo sensu interdum, ut in Catechismo Romano, vox accipitur; sed ratum appellari potest et appellatur quia, licet invalidum, fuit initum inter fideles, et sic etiam ante Trid. matrimonium invalidum dicebatur ratum, licet nullatenus fuisset contractum in forma extrinseca approbata ab Ecclesia, sed clam inter solas partes seu in forma quam Ecclesia graviter, quamquam non sub poena nullitatis, improbabat ac detestabatur. Quapropter matrimonii rati etiam in casu nostro appellationem indubitanter adhibet Corradus (1), qui tamen citatur inter auctores impedimentum negantes, imo ipsa S. Poenit. in rescr. 13 mart. 1820 (n. 401).

407. Quod si denique quis objecerit ipsum etiam naturalem consensum non posse adesse saltem in iis qui scientiam impedimenti clandestinitatis habent, is non ponit objectionem propriam clandestinitati, sed tangit quaestionem omnibus impedimentis communem, possitne cum scientia impedimenti consistere naturalis saltem consensus in matrimonium (2). Is autem regulariter quidem deficit in habentibus scientiam impedimenti; existere tamen potest tum in iis qui sciunt impedimentum, sed hujus vim non perspiciunt vel ad eam hic et nunc non attendunt, tum in iis

(1) L. 8, c. 7, n. 30 : « Matrimonium ratum, et non legitimum, est illorum fidelium, qui, contemptis omnibus solemnitatibus, solo affectu, aliquam sibi in conjugem copulant, ut in c. fi. 28, q. 1, quod quidem est reprobatum, cum potius dicatur concubinatus, quam matrimonium. »

(2) Cf. n. 767 sq.. Fagn. n. 6 sq. et 27 ad c. *Ad audientiam*, De spons. et matr., tr. Mechl. n. 66, 80, Gury ed. Baller. t. 2, n. 904, q. 2, van de Burgt, *De dispens. matr.* n. 105, *Nouv. rev. th.* t. 13, p. 151 sqq.

qui sciunt se nulliter contrahere coram Ecclesia, et nihilominus sive ex ignorantia sive ex despectu putant se posse matrimonialem praestare consensum (cf. n. 405, 767 sq.).

Ceterum, adhaeremus quidem sententiae admittenti publicam honestatem oriri ex matrimonio ob clandestinitatem invalido; optandum tamen existimamus ut, quemadmodum factum fuit a SS. D. N. Leone XIII pro matrimonio, ut vocant, civili (n. 403), contrarium decernatur, imo fortasse pro matrimonio ex quacumque causa invalido.

408. Quum hoc impedimentum sit juris ecclesiastici, eo non ligantur infideles inter se contrahentes sponsalia vel matrimonium. Disputant auctores an existat inter fidelem et infidelem, item an existat si, sponsalibus vel nuptiis tempore infidelitatis contractis, uterque vel alteruter infidelis baptizetur (1); in priori casu affirmandum esse censemus (n. 368), in posteriori negandum est juxta S. Off. 19 apr. 1837 (2). Huc quoque pertinet quaestio de potestate civili (n. 368, 380).

CAPUT XVI.

DE IMPEDIMENTO COGNATIONIS SPIRITUALIS.

409. Secunda haec cognationis species (3) spiritualis dicitur propter spiritualem originem; oritur enim ex Baptismo et Confirmatione (4). Quia per Baptismum spiritualis accipitur nativitas, quae per Confirmationem roboratur, hinc qui ad haec Sacra-

(1) Cf. Carr. n. 826, Kutschker, t. 2, p. 185, t. 3, p. 400, van de Burgt, *De matr.* n. 47 sq., Giovine, t. 1, p. 529 sq.

(2) Ap. Konings, t. 2, p. 396.

(3) Cf. n. 79. De ea scribunt canonistae ad tit. *De cognatione spirituali.*

(4) Ex nulla alia causa oritur; cf. Ben. XIV const. *Inter omnigenas* 2 febr. 1744. § 17 (*Bull. Ben. XIV*, t. 1, const. 89. ed. Mechl. vol. 2, p. 179 sq.).

menta concurrunt tamquam minister, vel in Baptismo ut susceptor (levans), in Confirmatione ut tenens, habentur veluti parentes spirituales; quare qui suscipiunt vel tenent *patrinus* et *matrina* appellantur. Propter hanc autem parentelae similitudinem impedimentum fuit ab Ecclesia inductum. Est hoc quoque impedimentum perpetuum, neque extinguitur per mortem personae, qua mediante fuit contractum. Non semper tamen eumdem habet effectum; aut enim existit ante matrimonium, quo casu dirimit sponsalia licet jam contracta (n. 390, 392), et est impedimentum dirimens matrimonii contrahendi; aut supervenit matrimonio, et tunc non dirimit illud, sed ad summum causat privationem juris petendi conjugale debitum.

410. Antiquitus latiores erant impedimenti limites; inducebatur enim etiam paternitas indirecta, compaternitas indirecta, et fraternitas (1). Sed Concilium Tridentinum illud limitavit sess. 24, c. 2 de ref. matr., ita ut non contrahatur cognatio spiritualis nisi inter susceptores vel tenentem ac baptizatum vel confirmatum hujusque patrem et matrem, et inter baptizantem vel confirmantem et baptizatum vel confirmatum hujusque patrem et matrem (2). En decreti verba: « Docet experientia, propter multitudinem prohibitionum, multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno scandalo dirimuntur. Volens itaque Sancta Synodus huic incommodo providere, et a cognationis spiritualis impedimento incipiens, statuit, ut unus tantum, sive vir sive mulier, juxta sacrorum canonum instituta, vel ad summum unus, et una baptizatum de baptismo suscipiant; inter quos ac baptiza-

(1) Cf. Reiff. n. 6 sqq. h. t., Boeckhn, n. 8 sqq. eod., Giovine, t. 1, p. 388 sq. coll. p. 390.

(2) De disciplina Ecclesiae Orientalis cf. Papp-Szilagyi, part. 2, § 111, collata tamen Ben. XIV const. *Inter omnigenas* l. c., et const. *Etsi pastoralis* 26 maii 1742, § 8, n. VI (*Bull. Ben. XIV*, t. 1, const. 57, ed. cit. vol. 1, p. 370).

tum ipsum, et illius patrem, et matrem, necnon inter baptizantem, et baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur. Parochus, antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab eis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant; et eum, vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat; et in libro eorum nomina describat; doceatque eos quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. Quod si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant, constitutionibus in contrarium facientibus non obstantibus. Si parochi culpa vel negligentia secus factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniatur. Ea quoque cognatio, quae ex Confirmatione contrahitur, confirmantem, et confirmatum, illiusque patrem, et matrem, ac tenentem non egrediatur: omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis (1). »

Prius dicemus de cognatione spirituali antecedente, dein de superveniente, ac primun quidem de conditionibus requisitis; de his autem agentes expendemus varias partes citati decreti Tridentini.

411. Ut cognatio spiritualis contrahatur, requiritur 1° ut baptizans vel suscipiens vel tenens sit baptizatus. De Confirmatione olim disputabatur an requireretur tenentem esse confirmatum; certum autem hoc est ex S. C. C. in *Licien.* 13 junii 1654 (2).

(1) Postremum hoc denuo declaravit S. Pius V const. *Cum illius* 28 nov. 1566. In S. C. de Prop. Fide Instr. 4 maii 1774 legitur : « Quod quidem Concilii decretum locum habet in iis, qui ad Tridentini statuta servanda adstringuntur. Ceteri vero disciplinae in suis regionibus vigenti hac in parte se conforment; » *Acta S. Sedis* t. 7, p. 309. Partes aliquas Orientalis Ecclesiae haec videntur respicere.

(2) Ap. Pignatell. consult. 10 (t. 1), syn. dioec. Tusculan. a. 1763, part. 3, c. 16, art. 6, n. 9, Girald. *Expos. jur. Pont.*, part. 1, sect. 710, ubi affirmat se eam invenisse l. 19 Decretor. p. 358 his verbis extensam : « Paulus Russus etc. mature etc. censuit, non confirmatum, si susceperit

412. Requiritur 2° ut vere conferatur Baptismus. Non enim oritur ex suppletione ceremoniarum, ut declaravit S. C. C. in *Murana Cogn. spir.* 13 apr. 1669 (1), alia 2 oct. 1687 (2), *Tolentinaten. Cogn. spir.* 16 maii 1711 (3), *Leopolien. Matr.* 30 junii 1759, 19 sept. 1761 (4); neque ex Baptismo invalido, ut patet ex citt. *Murana* et *Tolentinaten.* et causa 2 oct. 1687; neque ex invalida Confirmatione. Quando Baptismus fuit sub conditione iteratus, nulla difficultas est si deinde prior Baptismus evadat certo validus vel certo invalidus; manente autem dubio, procedendum est ut in casu impedimenti dubii, de quo postea (5). At dubium de impedimento averti potest adhibendo eosdem in utroque Baptismo susceptores. Sedulo autem a parocho omnia notari debent in libro parochiali (6).

413. Controvertitur an cognatio oriatur ex Baptismo privatim in necessitate collato, sed haec controversia solos respicit susceptores; minister enim in omni casu (exceptis indicandis pro cognatione spirituali matrimonio superveniente) cognationem contrahit cum baptizato hujusque patre ac matre, quum semper vere ministret Baptismum, et nullibi in jure vel insinuetur quoad ministrum distinctio inter Baptismum solemnem et privatum.

aliquem in sacramento Confirmationis, non contrahere cognationem spiritualem. » Juxta cit. S. C. de Prop. Fide Instr. a. 1774 (*Acta S. Sedis* l. c. p. 308), si in locis Missionum nullus adsit jam confirmatus, permittitur ut aliqui sine patrino confirmentur, qui postea patrini ceterorum esse poterunt.

(1) Citatur in *Ventimilien. Cogn. spir.* 8 junii 1782 (*Thes. S. C. C.*, t. 51).

(2) Ap. *Anal. jur. Pont.* ser. 8, col. 1732.

(3) *Thes. S. C. C.*, t. 9; erronee igitur *Analecta jur. Pont.* l. c., col. 1735, eam communicant tamquam ineditam.

(4) *Thes. S. C. C.*, t. 28 et 30.

(5) N. 636; cf. S. Alph., ed. Mechl. l. 6, n. 151. Giovine, t. 1, p. 383. Ballerin. ad Gury, t. 2, n. 805.

(6) Cf. Rit. Rom. rubr. *Formulae scribendae in libris habendis a parochis*, et *Anal. jur. Pont.* l. c. col. 1733 sqq.

Multi (1) affirmant susceptores etiam ex Baptismo privato in casu necessitatis collato contrahere cognationem, quia, aiunt, vere cooperantur regenerationi, et consequenter adest ratio impedimenti. Praeterea in omni Baptismo opus est susceptore, ut defectu parentum sit qui puerum instruat in rebus fidei, idque in nonnullis Ritualibus reperitur expresse statutum; saltem licet eum adhibere etiam in privato Baptismo. Demum S. C. C. 5 mart. 1678 (2) declaravit cognationem spiritualem contrahi etiam in Baptismo sine solemnitatibus ob necessitatem domi secuto.

Alii vero (3) communius negant; nam, aiunt, sacri canones, et ipsum etiam Conc. Trid., loquuntur de iis, qui *de fonte* suscipiunt, ideoque solum Baptismum solemnem indicant. Insuper in Baptismo privato ex disciplina communi non requiruntur susceptores; imo juxta aliquos ne possunt quidem adhiberi, nam quaecumque Baptismum praecedunt debent omitti in Baptismo privato in casu necessitatis collato (4). Etiamsi autem adhiberentur, non tamen contraherent cognationem spiritualem, uti liquet ex praecedente argumento. Futuram vero puerum instruendi obligationem, non tamen cognationem spiritualem, contrahit qui in suppletione ceremoniarum sponsorem agit. Demum in causa S. C. C. a. 1678 non agebatur de patrinis, sed de baptizante, uti liquet ex ipso Ferraris (5). Pro secunda hac opinione citant aliqui (6) indeterminate S. C. C., aliqui vero supra citatam *Tolentinaten.*

(1) Inter quos Reiff., n. 14 h. t., Wiestner, n. 20 sq. eod., Boeckhn, n. 22 eod., Pichler, n. 10 eod., Leuren. *For. eccl.* l. 4, q. 205.

(2) L. 30 Decret. fol. 33, ap. Ferraris, v° *Matr.*, art. 5, n. 78.

(3) Inter alios cf. S. Alph. ed. Mechl., l. 6, n. 149, Scavin., t. 4, n. 685, Soglia § 181, Carr., *De matr.* n. 684, *Comp.*, n. 163, Bangen, tit. 2, p. 139, van de Burgt, *De matr.* n. 172, *Mél. théol.*, ser. 2, p. 574 sqq., Giovine, t. 1, p. 385, Gury ed. Baller. n. 806.

(4) Cf. Rit. Rom. *Ordo baptismi parvulorum* in fine, et S. C. Rit. in *Calaguritana et Calceaten.* 23 sept. 1820, ap. Gardell. n. 4572, ubi vide notam Gardellini.

(5) V° *Baptismus*, art. 7, n. 20.

(6) Ut Ferraris ib.

Sunt etiam qui existimant esse procedendum ut pro impedimento dubio (1).

Spectatis rationibus disputationi locus est, sed primam opinionem certam reddit S. C. C. in una *Dubium cogn. spir.* 17 apr. 1605 (2), et in alia *Dubium cogn. spir.* 29 maii 1677, 5 mart. 1678 (3). Causa vero *Tolentinaten.*, quae pro secunda opinione allegatur, de re nostra non agit, sed tantum probat non oriri cognationem ex suppletione ceremoniarum; alia autem declaratio huic opinioni favens nullibi reperitur.

414. Quod spectat ad quaestionem, sintne in Baptismo privato in necessitate collato adhibendi susceptores, communius tradunt auctores, utramvis circa impedimentum opinionem propugnent, necessarios non esse, praestantius tamen adhiberi. Sunt vero etiam qui volunt esse prohibitos, quia in ejusmodi Baptismo omitti debent quaecumque ipsum Baptismum praecedunt (4). Non esse necessarios vel ex eo colligitur, quod hujusmodi Baptismus in necessitate confertur; atque haec ipsa ratio est cur tunc omitti debeant quaecumque ipsum Baptismum praecedunt. Ex quo sequitur etiam esse omittendas interrogationes, quibus in ordinario Baptismo susceptores respondere debent. Sed an ideirco, dummodo haec serventur, ipsa quoque susceptorum adhibitio est prohibita? Id quidem affirmare non ausim, quia nullibi in causis citatis id innuitur. Ea tamen difficultas obest, quod adhiberentur absque ceremoniis quoad eos indicatis, unde videri potest esse revera prohibitos. Variarum dioecesum statuta et usus magno-

(1) Ballerin. ad Gury, t. 2, n. 805; olim etiam tr. Mechl. n. 77, in cujus tamen ed. a. 1872 prima opinio pro certa habetur propter mox citandas S. C. C. declarationes.

(2) Ap. *Anal. jur. Pont.* ser. 8 col. 1708. Ipsa S. C. in hac resolutione verba *de sacro fonte* adhibet de privato Baptismo.

(3) Eam una cum tota causae discussione votisque consultorum ex manuscriptis card. Casanatensis referunt *Analecta jur. Pont.* l. c. col. 1708—1731.

(4) Cf. *Mél. théol.* l. c., *Rev. théol.* ser. 1, p. 70.

pere inter se differunt; quaecumque autem sint, curandum est ut numquam possit ex Baptismi dilatione periculum oriri pro baptizando. Si susceptor adhibitus fuerit, convenit ut idem in suppletione ceremoniarum sponsoris officium impleat. Semper etiam debet a parocho sedulo notari Baptismum in necessitate collatum, et in ecclesia solas ceremonias suppletas fuisse (n. 412 in fine) (1).

415. Requiritur 3° ut vere exerceatur munus patrini. Quare necesse est ut adsit intentio saltem virtualis hoc munus obeundi, etiamsi non cogitetur de cognatione spirituali. Ex quo sequitur non contrahi cognationem ab iis, qui non habent usum rationis. Maxime quidem convenit ut impuberes non admittantur ad munus susceptorum (2); attamen, dummodo notitiam habeant muneris quod agunt, ideoque sufficientem usum rationis, jure communi non excluduntur; nullam enim hoc aetatem determinavit (3). Quod si statutis dioecesanis prohibitum illud sit, his est obtemperandum; sed si secus factum fuerit, cognatio contracta est, dummodo usus rationis adfuerit.

416. Praeterea ex hac tertia conditione sequitur non contrahi cognationem ab eo, qui infantem non suscipit nisi ad majorem commoditatem baptizantis, neque ab eo qui procuratorio nomine munus patrini obit. Non enim procurator sed mandans impedimentum contrahit, ut certum est tum principiis juris tum declarationibus S. C. C. in *Pisana* 20 apr. 1589 (4), *Nullius* 15 mart.

(1) Plura de baptismo solemni et privato habes in S. Off. Instr. 15 sept. 1869 (*Nouv. rev. th.* t. 9, p. 455 sqq.), 28 febr. 1663 (in modo cit. Instr.). S. C. Rit. in una *Vicariatus Apostolici de Dania* ad 3 (Gard. n. 5469), Ferrari, t. 2, n. 311 not., *Nouv. rev. th.* l. c., et t. 10, p. 149 sqq., t. 11, p. 412 sqq. 614 sqq.

(2) Cf. Rit. Rom. rubr. *de Sacr. Bapt.*

(3) S. C. C. ap. Fagn. n. 16 ad c. *Ex litteris* h. t.; cf. *Rev. théol.* ser. 5. t. 1, p. 390 sqq. Attamen cit. S. C. de Prop. Fide Instr. a. 1774 pro Confirmatione excludit minores annis quatuordecim (*Acta S. Sedis* t. 7, p. 308).

(4) L. 5, p. 283, ap. Girald. *Expos. jur. Pont.* part. 1 sect. 712.

1631 (1), *Theatina Matr.* 13 sept. 1721 (2); cf. etiam *Nucerina Matr.* 11 junii, 10 sept. 1881 (3). Accurata igitur esse debet in libro parochiali adnotatio (4). Ut autem ipse principalis cognationem contrahat, requiritur ut antea munus patrini acceptaverit (5); si enim se inscio fuisset in patrinum assumptus et ad hoc pro eo alia persona in Baptismo adhibita, cognationem non contraxisset. Quod autem dictum fuit, non a procuratore sed a mandante contrahi cognationem, id ad susceptores, non vero ad baptizantem pertinet; is enim, licet ab alio delegatus, ipse eam contrahit, quum agat ut minister Christi, non vero ut minister delegantis.

417. Demum ex praedicta tertia conditione sequitur quid sit dicendum de casu, quo patrinus erraret circa personam. Qui credit se agere patrinum filii unius, cum sit filius alterius, certo contrahit cognationem, si velit agere patrinum infantis praesentis absolute, cujuscumque sit. Si tamen haec ei intentio non sit, ut profecto esse non solet, alii censent nihilominus contrahi impedimentum, quia valet Baptismus, ideoque ille cooperatur regenerationi, eodem modo quo affinitatem contrahit, qui copulam habet cum una, quam putat esse aliam. Alii vero tradunt non contrahi, quia requiritur intentio agendi patrinum, quae quidem in ita errante non videtur existere, quum munus patrini imponat obligationes, multumque igitur intersit cujusnam infans suscipiatur; quo fit errorem ejusmodi non esse accidentalem, sed substantialem.

Posteriorem sententiam amplectimur; exemplum autem affinitatis immerito contra eam affertur; nam haec non pendet ex in-

(1) L. 14, p. 398; allegatur in mox citanda *Theatina*, et ap. Girald. l. c., Zambon. v° *Matr.* § 10, n. 1.

(2) *Thes. S. C. C.* t. 2, Zambon. l. c. n. 5.

(3) Ap. *Anal. jur. Pont.* ser. 22 col. 41 sqq. 470 sqq., *Acta S. Sedis*, t. 14, p. 411 sqq.

(4) Cf. S. C. C. in *Pisana Coyn. spir.* 8 maii 1688, ap. *Anal. jur. Pont.* ser. 8, col. 1733 sq.

(5) Vid. cit. S. Off. Instr. 15 sept. 1869 (*Nouv. rev. th.* t. 9. p. 456 sq.).

tentione, sed ex copula. De facto plerumque intentio susceptorum fertur in certae personae infantem, et, quamvis non expressa, implicita tamen est intentio non agendi patrinum nisi prolis illius. Haec de errore dicta non pertinent ad baptizantem, sed tantum ad susceptores.

418. Ut vere exerceatur munus patrini verba quidem, quibus ministro respondetur pro baptizando, non sunt essentialiter requisita, sola tamen intentio agendi patrinum non sufficit, verum actus quoque a susceptore per se vel per procuratorem (1) ponendus requiritur. Exigi nempe ut, sive per se sive per alium, susceptores physice tangant eum cujus susceptores agunt, indicant tum plurimorum canonum verba tum Conc. Trid. (2), tum S. C. C. in *Abulen.* 1 sept. 1588 (3), *Cremonen.* (4), et alia (5).

Tactus iste physicus fieri debet aut dum Baptismus confertur, aut immediate post, aut (quod probabilius sufficit) immediate ante. Huc spectant nonnullae S. C. C. declarationes. In *Bobien.* 20 dec. 1633 (6) declaravit contrahi cognationem ab eo qui, in patrinum designatus, infantem baptizatum de manu sacerdotis, qui baptizaverat, recepit, licet in actu Baptismi non tetigerit. Sed quid si infantem susceperit de manu obstetricis vel matrinae seu patrini? Sufficere negat de Justis (7), Giraldus vero (8) scribit :

(1) Non intelligo potuisse de Angelis t. 3, part. 1, p. 210 sq. adhuc probabilem habere opinionem, juxta quam ipse etiam principalis non contraheret cognationem spiritualem, quia ipse non tangit. Nec facile admiserim quod scribit Baller. ad Gury n. 806 sub 6°, not. *d.*, non sufficere tactum momentaneum digiti vel manus, quia id non esset *levare* vel *tenere*.

(2) Cf. Fagn. n. 1-10 ad c. *Veniens* h. t.

(3) Ap. Pignatell. consult. can. 93 (t. 7), n. 16. Gallemart. et Farinac. ad Trid. sess. 24 c. 2 de ref. matr.

(4) Ap. Fagn. l. c. n. 8, Pignatell. l. c. n. 13.

(5) Ap. Fagn. n. 2 ad c. *Super eo* h. t.

(6) L. 21 Decr. p. 296, ap. Girald. *Expos. jur. Pont.* part. 1, sect. 712 ; cf. Corrad. l. 8, c. 8, n. 8.

(7) L. 2, c. 5, n. 49. Item Baller. l. c.

(8) L. c.

« Imo eadem S. C. 18 dec. 1688 l. 38 Decr. p. 618 ad dubium *Cognationis spirit.* respondit eam contraxisse Titium cum matre pueri, quem de sacro fonte levavit, non obstante, quod illum non susceperit in actu baptismi de manu baptizantis, sed de manu obstetricis, contra opinionem Julii Caponi (1), affirmantis ad contrahendam cognationem spiritualem requiri, ut patrinus recipiat puerum de manu baptizantis, pluribus DD. in suam sententiam allegatis. » Sufficere quidem opinamur si continuato actu et destinato consilio fiat (2), sed ex cit. decl. a. 1688 argumentum non haberi ; nam in specie facti hujus causae patrinus infantem e manibus obstetricis acceptum dein tenuerat in actu Baptismi (3). Sufficere etiam si susceptor immediate ante Baptismum porrigat sacerdoti infantem baptizandum, tamquam probabilius tuetur Fagnanus (4), et pro certo habent Corradus (5), de Justis (6), alii, citantes ex Barbosa declarationem S. C. C. 27 sept. 1601.

In Confirmatione etiam tactus physicus a tenente fieri debet (7).

419. Juxta varios auctores requiritur 4° ut designati fuerint patrini, sed hoc non admittatur absolute, verum ex sequentibus rite intelligatur. Duae partes decreti Trid. considerandae sunt, una quidem in qua loquitur de numero susceptorum, altera vero ubi de eorum designatione.

Quod ad priorem partem attinet, juxta sacrorum canonum instituta unus tantum vel una poterat suscipere, sed si contra hanc prohibitionem plures id fecissent, omnes cognationem contrahe-

(1) *Institt. canonicae*, l. 2, tit. 13.

(2) Cf. Giovine, t. 1, p. 387, n. 10.

(3) Cf. card. Petra, Comment. ad const. 5 Honor. III sect. 2, n. 23 sqq. (*Commentar. ad constitt. Apostolicas*, t. 2), et *Anal. jur. Pont.* l. c. col. 1732 sq.

(4) N. 13 sqq. ad cit. c. *Veniens.*

(5) L. c.

(6) L. c. n. 50.

(7) De modo tangendi vid. S. C. Rit. in *Laurinen.* 20 sept. 1746 (Gard. n. 4205).

bant, idemque, quantum ad hoc, judicandum erat de Confirmatione (1). Concilium autem Trid. plus concessit pro Baptismo, scil. unum et unam (2) posse admitti; de Confirmatione id non dicit, ideoque contra aliquos affirmamus pro ea standum esse disciplinae ante-Tridentinae, et unum tantum vel unam posse admitti, quod communi doctrinae et Ecclesiae praxi conforme dicit secret. S. C. C. in *Fesulana Sacr. Confirm.* 14 junii, 12 jul. 1823 (3). De usu autem unum tantum pro omnibus masculis, unamque pro omnibus feminis adhibendi in Confirmatione resolvit tunc S. C. : « Non esse probandum, sed tolerandum in casu necessitatis ab Episcopo judicandae ad formam Pontificalis Romani. » In hoc autem (4) legitur : « Nullus praesentet nisi unum aut duos, non plures, nisi aliter necessitas suadeat, arbitrio Episcopi. » In conc. plenario secundo, Baltimori habito a. 1866, decretum de patrinis in Confirmatione adhibendis conditum, sed plurium Patrum voto omissum, jussu S. C. de Prop. Fide (5) sub breviori verborum formula, et adhibitis vocibus hortationis loco praeceptivarum, hoc modo fuit restitutum (6) : « Quanquam de necessitate hujus Sacramenti non sit, ut in eo recipiendo Patrinus vel Matrina adhibeatur, cum tamen id laudabilis Ecclesiae consuetudo suadeat, sacrique canones praescribant, Episcopi nullum non movebunt lapidem, ut disciplina hujusmodi, jam in nonnullis harum Provinciarum Dioecesibus invecta, ubique introducatur. Confirmati vero habebunt Patrinos singuli singulos, nec tamen

(1) Cf. c. fin. h. t. in VI, ubi nulla fit distinctio inter simul et successive tangentes.

(2) Non igitur duos viros nec duas feminas, quamquam procurator feminae potest esse vir, et vice versa.

(3) *Thes. S. C. C.* t. 83. Vid. etiam cit. S. C. de Prop. Fide Instr. a. 1774 (*Acta S. Sedis*, t. 7. p. 308). Cf. Giovine, t. 1, p. 388, n. 14.

(4) Rubr. *De confirmandis*.

(5) In instruct. generali seu prima, 24 januar. 1868, de decretis Concilii corrigendis, n. 11.

(6) Tit. 5, c. 3, n. 253.

foeminis mares nec maribus foeminae Patrini officium praestabunt (1). Quod si hoc fieri omnino nequeat, saltem duo pro pueris Patrini, et duae pro puellis Matrinae adhibeantur. » Praesertim quando pro pluribus confirmandis unus patrinus vel una matrina vel unus alterve adhibetur, curetur ut pro hujus propria vel compartis prole alius vel alia adhibeatur; cf. n. 425 sqq.

In secunda parte supra memorata Conc. Trid. quoad baptismum loquitur de designatione, et dicit parochum non posse admittere alios praeter designatos, illosque qui ultra designatos baptizatum tetigerint non contrahere cognationem. In casu igitur designationis factae illi, qui ultra designatos baptizatum tetigerint, post Trid. non contrahunt impedimentum (2), ante Trid. illud contrahebant (3). Designatio spectat ad parentes, et his negligentibus ad parochum; adultus vero sui juris ipse designare potest, quod si non fecerit, res spectat ad parochum. Designatio autem fit parocho, cujus est rejicere eos quos non licet in patrinos assumere; qui juste a parocho rejiciuntur non sunt patrini nec contrahunt cognationem, licet reliqua ad susceptorum munus necessaria praestiterint.

420. Comparando duas illas decreti Trid. partes, colligitur priorem, quae est de non assumendo nisi uno et una, prohibere quidem sed non annullare; et posteriorem non statuere universim designationem ut conditionem sine qua non, sed juxta eam parochum debere sciscitari quinam sint designati, nec ei licere

(1) Cf. etiam cit. S. C. de Prop. Fide Instr. a. 1774 (*Acta S. Sedis* l. c.). De obligatione assumendi patrinum vel matrinam in Confirmatione vid. etiam S. C. Rit. in *Maurianen.* 7 jul. 1877 (Gard. n. 5698) et cf. *Nouv. rev. th.* t. 13, p. 542 sq., ibique p. 537 sqq. de uno vel una pro pluribus confirmandis.

(2) Idque ex irritatione facta a Conc. Tridentino; nam prorsus infirma est verborum Concilii explicatio quam adoptat de Angelis l. c. p. 212, scil. esse intelligenda de iis, qui tangunt sed non habent animum suscipiendi.

(3) C. fin. h. t. in VI.

alios ultra designatos admittere, neminemque ultra eos admissum contrahere cognationem. Ne verbo quidem Concilium tangit casum quo nullus fuerit designatus, neque eum quo designati et admissi fuerint plures uno et una. De his igitur casibus, circa quos dissentiunt auctores, nonnulla sunt notanda.

421. Si ex negligentia parentum et parochi nullus fuerit designatus, et plures quam Trid. permittit susceperint, contra eos qui volunt neminem contrahere cognationem, censemus omnes eam contrahere; nam prior pars decreti Trid. prohibet tantum, non annullat, et posterior, de solo casu designationis factae loquens, decernit eos qui ultra designatos admittuntur non contrahere cognationem. Simpliciter igitur applicandum est jus ante-Tridentinum, et dicendum ab omnibus contrahi cognationem, sive omnes simul sive successive tetigerint (1).

422. Si designatio facta fuerit, et plures uno et una fuerint designati et admissi, a nemine quidem ultra designatos contrahitur cognatio, sed quaestio de designatis iterum pendet ex intellectu Tridentini. Audiendi imprimis non sunt qui putant nullos ex pluribus illis designatis contrahere cognationem, quia nullus suscipit modo ab Ecclesia constituto. Sed, his licet dimissis, diversa se offert decreti Trid. explicatio. Aut huc quoque trahens legem de uno et una, dixeris simul quidem tangentes omnes contrahere cognationem, sed, si successive tangant, solos virum et mulierem primo, respectu aliorum sui sexus, loco tangentes eam contrahere; si autem nesciatur quis primus tetigerit, eam ab omnibus contrahi. Aut dixeris, quoties de designatis agitur, prohibitionem adesse, non vero irritationem, et nulla distinctione facta inter simul vel successive tangentes, sed propter mox afferendam

(1) Pro hac doctrina Giraldus l. c. aliique allegant etiam declarationem S. C. C. in *Cremonen.*, sed haec non dicit quod illi sumunt; quaestio erat de duobus viris designatis, quorum unus tetigerat, alter adstiterat, et S. C. declaravit priorem solum contraxisse cognationem; cf. n. 418. Quod itaque animadverteris ad de Angelis l. c. p. 211 sq.

S. C. C. declarationem distinctione facta inter successive designatos, omnes designatos, vel resp. primo designatos, nec revocatos, contrahere cognationem. In hac autem sententia soli primo designati contrahunt cognationem, etiamsi, illis non revocatis, alii quoque deinde fuerint designati. Quod tamen non impedit quominus alterius fiat adjectio, quamdiu manetur intra unum et unam. Si vero primo designati fuerint revocati, soli deinde designati attenduntur, sed revocatio illa debuit esse parocho intimata.

Posteriorem hanc doctrinam tenendam esse opinamur, omnes nempe designatos impedimentum contrahere, sive simul sive successive tangant, nisi sciatur qui primi fuerint designati, hoc enim casu eos solos illud contrahere. Argumenta haec sunt : 1° Jure antiquo omnes suscipientes, sive simul sive successive tangentes, contrahebant cognationem, huic autem Concilium in casu non derogavit ; tantum statuit non contrahi cognationem ab iis qui tangunt ultra designatos, sed de designatis nihil hujusmodi dicit. Prohibet quidem parocho ne admittat alios praeter designatos, et pro admissis ultra designatos decretum irritans habet, sed non pro iis quibuscumque, qui sunt ex designatis. Prior vero decreti pars de uno et una est tantum prohibens, non annullans. 2° Auctoritas S. C. C., ex cujus resolutionibus praeterea habetur solutionem etiam pendere ex eo, an sciatur qui primi fuerint designati. Scribit Fagnanus (1) : « Verum cum negligentia parochi factum esset, ut tres designarentur, et in libro scriberentur, de sacro baptismi fonte feminam suscepturi, nempe Titius, Titia et Sempronius, qui omnes levarunt baptizatum, et tetigerunt : fuit dubitatum an omnes cognationem spiritualem contraxissent cum baptizata, an vero ii tantum duo, qui priores sunt designati, Sac. Congregatio censuit omnes contrahere si non appareat qui primi sint designati, per cap. fin. de Cogn. spir. et licet unus tantum,

(1) N. 5 ad c. *Ex litteris* h. t. Eamdem declarationem citant Pignatell. l. c. n. 7, alii.

et una suscipere debeant, tamen si omnes susceperint, omnes contrahere. » Hanc aliam S. C. C. resolutionem allegat Corradus l. c. : « Petrus et Anna conjuges elegerunt in susceptores baptismo filii Andream et Lauram : sed adveniente tempore baptismi, audiens Andreas a Petro, fuisse electam Lauram in commatrem, rogavit Petrum ut, illa posthabita, eligeret Rosam : Replicavit Petrus, se id facere non posse citra injuriam, cui responsioni Andrea non acquiescente, idem Petrus omnia retulit parocho; et facta expressa declaratione animi sui, quod nullo pacto intendebat Rosam in commatrem habere, parochus consilium dedit, ut ambae admitterentur; sed pollicebatur expresse, se nullatenus admissurum Rosam ad tangendum infantem; cui consilio Petrus acquiescens, designavit etiam Rosam in commatrem : ista autem praeter intentionem Petri, et promissionem eidem Petro factam a parocho, infantem in actu baptismi simul cum Laura tetigit. Quaeritur an fuerit contracta compaternitas, etiam inter dictam Rosam, et Petrum, an potius inter Petrum et Lauram; S. C. C. die 10 mart. 1631 in causa Aquin. censuit contraxisse etiam cum Rosa, quia fuit designata. » In hac causa vides Lauram et Rosam simul designatas (1) una cum Andrea, et juxta S. C. C. declarationem utramque contraxisse cognationem cum Petro.

Objeceris in utroque hoc casu resoluto a S. C. actum forsitan fuisse de simul tangentibus, vel saltem non constitisse quis prior tetigisset, ideoque ex iis non patere utrum idem sit dicendum si successive tetigerint, an vero tunc primus tantum vir et prima mulier cognationem contrahant. At distinctionem inter successive tangentes repellit ratio in fine primae resolutionis expressa verbis « et licet » cet.; lex de numero, seu de uno tantum vel una, pro-

(1) Prima enim a parentibus facta electio Laurae non videtur nisi inter ipsos contigisse, non vero fuisse designatio facta parocho; secus enim S. C. non declarasset cognationem a Petro fuisse contractam etiam cum Rosa, ut patet ex priori resolutione citata.

hibitoria, non vero irritans, erat ante Trid. absque distinctione inter simul vel successive tangentes (n. 419), et talis etiam est quoad unum et unam post Trid. (n. 420). Praeterea, in priori resolutione praecise citatur c. fin. h. t. in VI, ubi nulla fit distinctio inter simul vel successive tangentes.

425. Varii auctores censent idem semper, quod de Baptismo, servata proportione dicendum esse de Confirmatione; sed opinamur pro ea standum esse juri ante-Tridentino expresso in c. fin. h. t. in VI, ideoque omnes contrahere cognationem sive designati fuerint sive non; de Confirmatione enim non loquitur Conc. Trid. l. c. quoad numerum et designationem.

424. Cognatio spiritualis potest esse multiplex, estque haec multiplicitas in libello supplici exprimenda ut valeat dispensatio. Non autem multiplicatur quando quis plurium alicujus filiorum in eodem Sacramento patrinum agit, sed aliis modis, nempe quando alter alterius prolem invicem suscipiunt vel tenent, et quando quis eumdem (quod tamen absque necessitate (1) non licet) vel alterum ejusdem personae filium et suscipit in Baptismo et tenet in Confirmatione (2).

425. Quod spectat ad qualitates patrinorum, imprimis quidem ad valide hoc officium gerendum et contrahendam cognationem supra constitit requiri usum rationis, et ut suscipiens vel tenens sit baptizatus, in Confirmatione autem requiri ut tenens sit confirmatus. Probabilius etiam post Baptismum hoc impedimentum non oritur ex facto posito in infidelitate; fidelis quoque probabilius illud non contrahit cum baptizati parentibus infidelibus (3).

(1) Vid. cit. S. C. de Prop. Fide Instr. a. 1774 (*Acta S. Sedis* t. 7, p. 308 sq.). Cf. *Nouv. rev. th.* t. 13, p. 537, 540.

(2) Cf. Conrad, l. c. n. 16 sq., de Justis, l. c. n. 43, Giovine, t. 1, p. 180 sq. 390, t. 2, p. 42.

(3) De his cf. Verricelli, *De apostolicis missionibus*, q. 123, de Justis, l. c. n. 45, Kutschker, t. 3, p. 314, van de Burgt, *De matr.* n. 47 sq., tr. Mechl. n. 77

Sensus enim legis omnino videtur is esse ut debeat oriri cognatio tempore collati Baptismi, adeo ut, si tunc orta non fuerit, postea oriri nequeat. Ratione etiam intelligitur; nam ubi de consanguinitate vel affinitate agitur (vide quae de his diximus supra n. 368, 380), existit ratio vinculi naturalis; hic vero spiritualis tantum, quod non intelligitur contrahi cum infideli. Idem illustratur ex eo quod non confirmatus tenens aliquem in Confirmatione non tantum tunc non contrahat cognationem, sed neque, si postea confirmetur, existere haec pro eo incipiat ex facto ab eo non confirmato posito. Alii quoque plures arcentur, qui tamen, si reliquae conditiones adsint, cognationem contrahunt (1). Inter eos sunt etiam pater et mater, maritus et uxor. Attamen, quum Administrator Ap. in Australiae missionibus proposuisset « utrum in casu necessitatis, nimirum deficientibus omnino extraneis patrinis, liceat parentibus propriam sobolem in solemni baptismo materialiter tenere, seu potius in casu illo, solemni privatus baptismus sit subrogandus, » S. Off. 15 sept. 1869 respondit : « Hisce positis, quamvis vix concipi possit, quomodo desertis in locis in quibus nullus alius occurrit praeter baptizandorum parentes, caeremoniae in baptismo adhiberi queant; tamen, admisso quod earum aliquae servari possint, defectus patrini non efficiet, ut ceteri ritus omitti debeant, vel possint, et sic baptismus fiat privatus : sed Missionarii tenentur *illis uti, quibus possint*. Imo Sacer Ordo censet, posse hoc in casu praesentiam ex-

(1) De iis qui admitti possint necne, et de patrinorum obligationibus, cf. Rit. Rom., Pont. Rom., card. Petra l. c. n. 13 sqq., Giovine, t. 1, p. 390, *Rev. théol.* ser. 5, t. 1, p. 385, *Anal. jur. Pont.* ser. 8, col. 1706 sq., et passim canonistae ad h. t. vel etiam ad tit. *De Baptismo ejusque effectu,* Moralistae ubi de Baptismo, de Confirmatione, et de cognatione spirituali; cf. etiam card. Urbis Vic. ap. *Corresp. de Rome* 1863, p. 207, et cit. S. C. de Prop. Fide Instr. a. 1774 (*Acta S. Sedis*, t. 7, p. 308 sq.) Sacramenti ministrum, si simul agat patrinum, debere id facere per procuratorem, liquet ex S. C. Rit. in *Policastren.* 14 junii 1873 (Gard. n. 5555).

tranei patrini per baptizandorum parentes quodammodo suppleri. Quandoquidem nil impedit, quominus patrinorum vices gerant, suos infantes materialiter tenendo, et pro iis baptizanti respondendo, citra tamen veri et proprie sumpti patrinatus praerogativam, videlicet citra necessitatem obeundi onera, quae ejusmodi munus secum fert contrahendi impedimentum cognationis spiritualis usum matrimonii prohibens. Ita fiet, ut in solemnitate baptismi omnes quadam ratione serventur ritus, et parentum materiali praesentia, formalis patrinorum suppleatur. Ceterum per hoc intelliges, minime quempiam eximi ab onere curandi pro posse, ut in solemni baptismo unus saltem patrinus proprie dictus adhibeatur (1). »

Ad cognationem spiritualem attendi praesertim debet quando affines volunt matrimonium inter se inire; saepe enim utrumque impedimentum concurrit.

426. Cognatio spiritualis matrimonio superveniens hoc non dirimit, sed ad summum inducit privationem juris petendi debitum (n. 409). Agitur de casu quo pater vel mater propriam vel compartis prolem baptizavit vel suscepit, et quaeritur an cum comparte contrahat cognationem spiritualem, quae jure petendi prt-vet eum qui baptizavit vel suscepit.

De hujus cognationis spiritualis supervenientis existentia et juris petendi privatione gravis est disputatio; nam, contradicentibus aliis, varii auctores sustinent antiquitus eam exstitisse (de quo ipso aliqui dubitant), sed esse abrogatam per c. 2 h. t., ubi haec legimus : « Si vir vel mulier scienter, vel ignoranter filium suum de sacro fonte susceperit, an propter hoc separari debeant? Consult. t. t. respondemus, quod, quamvis generaliter sit institutum, ut debeant separari, quidam tamen humanius sentientes aliter statuerunt. Ideoque nobis videtur, quod sive ex ignorantia, sive ex malitia id fecerint, non sunt ab invicem separandi, nec

(1) Ap. *Nouv. rev. th.* t. 9, p. 455 sq.

alter alteri debitum debet subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci : quia, si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur : si ex malitia, eis sua fraus non debet patrocinari vel dolus. »

Communior tamen opinio est eam hodie etiam existere, exceptis necessitate, ignorantia, et speciali illa malitia qua intendatur frustratio compartis (n. 427). Rituale Romanum (1) insinuat hujus cognationis et privationis in aliquo saltem casu existentiam, quando dicit : « Pater, aut mater propriam prolem baptizare non debent, praeterquam in mortis periculo, quando alius non reperitur qui baptizet; neque tunc ullam contrahunt cognationem, quae matrimonii usum impediat. » Denique existentiam hujus effectus indigitant privilegia vel facultates passim a S. Sede concessa pro restituendo jure petendi, eamque exprimit etiam cit. S. Off. Instr. 15 sept. 1869 (sup. n. 425). Poenae tamen rationem huic privationi esse multo firmius affirmari potest, quam pro ea privatione de qua diximus n. 383, sed judicis declaratione opus non est ut incurratur, qua etiam opus non est pro affinitate superveniente.

427. Quamquam, nisi in dioecesi contraria sit consuetudo, poena haec practice consideranda est ut existens, sunt tamen casus in quibus non incurritur.

1° Si quis prolem legitimam propriam, vel prolem compartis sive legitimam sive illegitimam baptizet in necessitate, deficiente scil. alia persona quae baptizare possit. Idque verum est licet existimata tantum necessitas sit, et quamvis alia persona adsit quidem, sed pater vel mater, periculo prolis commotus, inadvertenter vel praecipitanter agat. Verumtamen si quis propriam prolem illegitimam, etiam in necessitate, baptizet, cognationem contrahit; in hoc enim casu sermo est de cognatione antecedente, quae vera inhabilitas est, non de superveniente quae est

(1) *De ministro Baptismi.*

poena (1). Praeterea observandum est casum illum necessitatis respicere solum baptizantem; pro munere enim agendi patrinum vel matrinam existere nequit, quum agatur de Baptismo privato (n. 414).

2° Excusat ignorantia juris vel facti, de qua dicito ut n. 583 de affinitate superveniente, eo autem magis in hac materia, quia major est de re ipsa dubitatio.

3° Non contrahitur si fiat ex ea malitia, qua quis intendat compartem frustrare seu impedire usum conjugii, in eam rejiciendo onus petendi; illi enim « sua fraus non debet patrocinari vel dolus, » ut verbis utamur cit. c. 2 h. t.; de hac speciali malitia caput istud loqui ipsa haec verba satis indicant (2).

Si utraque pars sive ex dicta malitia sive absque ea egerit, applica hucusque exposita tum de casu quo poena haec incurritur, tum de casibus in quibus non incurritur. Debeatne vel saltem possit pars innocens reddere ei qui jus petendi amisit, exponunt Moralistae.

CAPUT XVII.

DE IMPEDIMENTO COGNATIONIS LEGALIS.

428. Cognatio legalis, ad similitudinem cognationis carnalis inducta, tertia cognationis species est (3), et oritur ex adoptione seu actu legitimo, quo in filium vel nepotem assumitur qui natura talis non est. Occasionem ejusmodi adoptioni dedit carentia

(1) Cf. Fagn. ad c. *Si vir* h. t.

(2) An ille contrahat impedimentum impediens matrimonium cum qnavis persona post conjugis mortem, vid. n. 548.

(3) Cf. n. 79; de ea scribunt canonistae ad tit. *De cognatione legali;* cf. etiam Ben. XIV, *De syn.* l. 9, c. 10, n. 3 sqq., Laurin ap. Vering, *Archiv fuer kath. Kirchenrecht,* t. 19, p. 193 sqq., *Nouv. rev. théol.* t. 1, p. 1 sqq.

prolis, ut prolem non habentibus a natura modo legali succurreretur. Id praestitit jus civile Romanum, simulque statuit nuptias consistere non posse inter eos qui sic ad imaginem parentelae naturalis loco parentum et filiorum forent. Ecclesia autem hac in re juris Romani placita assumens propter praefatam decentiae rationem voluit cognationem illam legalem esse impedimentum canonicum dirimens; accedebat etiam necessitas praecavendi occasionem peccandi inter personas in eadem domo commorantes. Quum igitur Ecclesia secuta fuerit normam juris civilis Romani, hujus de adoptionibus constituta prae oculis habenda sunt, ut de canonico quoque impedimento recte judicetur.

429. In jure Romano adoptio duplex erat, perfecta seu *adrogatio*, et imperfecta seu *adoptio*. Per illam persona extranea sui juris rescripto principis, expresse tamen consentiens, transibat in potestatem (1) et familiam adoptantis, ita ut aequipararetur filio naturali, et esset haeres necessarius adoptantis tam ex testamento quam ab intestato. Per hanc vero persona extranea, quae non erat sui juris, sed in potestate patris vel avi, sub horum potestate manebat, et interveniente auctoritate judicis civilis competentis, ac consentiente patriam potestatem habente, assumebatur in filium vel nepotem adoptantis, ita tamen ut in hujus familiam et potestatem non transiret, et consequenter non fieret haeres necessarius ex testamento, sed succederet si adoptans intestatus moreretur. In familiam tamen adoptantis transibat, quando a patriam potestatem habente in adoptionem dabatur, ipse non contradicens, alicui personae non extraneae, sed ex. gr. avo vel proavo naturali. In hoc casu adoptio a non paucis vocatur *plena*, in praecedente vero *minus plena*, et quum plena adroga-

(1) Sunt qui volunt adrogationis essentiale requisitum non fuisse ut adrogatus transiret in patriam potestatem adrogantis, sed suffecisse ut ad instar filii familias in ejus domum transiret; cf. Instr. austriaca (sup. n. 151) § 29, Giovine, t. 1, p. 399 sq. Verum iis minime adstipulamur.

tioni potius acquipararetur, sub hujus appellatione a multis comprehendi consuevit, adoptionis voce minus plenae reservata (1).

Specialia diversarum adoptionum requisita ex modo facta descriptione deprehenduntur; in omni vero adoptione requirebatur 1° ut adoptans esset masculus; pro feminis enim specialis necessaria erat principis concessio; 2° ut adoptans in filium natura potuisset esse adoptandi pater; quare necesse erat eum non carere potentia generandi, et, quum nuptiae ante plenam pubertatem iniri non solerent, requirebatur ut aetas adoptantis aetatem adoptandi plena pubertate seu 18 annis excederet; 3° ut adoptans esset sui juris et major 25 annis.

450. Juris Romani placitis inhaerens, Ecclesia voluit (2) triplicem ex adoptione oriri propinquitatis speciem, quae matrimonii impedimentum dirimens constitueret (3), scilicet 1° ad modum cognationis naturalis in linea recta inter adoptantem et adoptatum hujusque descendentes (juxta alios ad quartum incl. gradum, juxta alios in infinitum), tempore adoptionis in ejus potestate existentes. Excipiuntur itaque illegitimi, et ii qui tempore ado-

(1) Juxta de Angelis, t. 3, part. 1, p. 219, non obstante discrimine facto a Justiniano, quod adrogatus transiret, adoptatus vero ab extranea persona non transiret in familiam et potestatem adoptantis, « mores tamen populi romani iidem manserunt, et non minus adrogatus sui juris, quam ille, qui erat alieni juris a patre naturali datus extraneo in adoptionem simplicem ingrediebatur in familiam patris adoptivi; ille quidem *jure* et *facto*, hic autem si non *jure* saltem *de facto* ingrediebatur domum patris adoptivi, ibique more filiorum familias vivebat. Unde est quod in utroque casu habebatur ratio publicae honestatis, tuendae familiaris contumeliae atque eliminandae fornicationis, ut non minus adrogato quam simpliciter adoptato interdicerentur connubia in familia, in qua ut filii fuerant recepti. Et hinc explicamus quomodo canones... non distinguant inter adrogationem et minus plenam adoptionem quoad cognationem legalem. »

(2) De disciplina Eccl. Orientalis cf. Papp-Szilagyi, part 2 § 112 sq., Laurin, l. c. p. 239.

(3) Matrimonio contracto superveniens non privat jure petendi; cf. Laurin, p. 236, *Nouv. rev. théol.* l. c. p. 11, de Angelis l. c. p. 224.

ptionis non sunt amplius in potestate adoptati, et descendentes feminae adoptatae. In prima hac specie durat impedimentum, etiamsi cesset adoptio seu patria potestas. 2° Ad modum cognationis naturalis in linea transversa inter adoptatum et filios naturales legitimos adoptantis in hujus potestate adhuc constitutos, ideoque in primo tantum gradu. In hac specie durat impedimentum quamdiu durant patria potestas et adoptio (1), id est, quamdiu adoptatus vel filii aut filiae adoptantis non exierunt ab ejus potestate per ejus mortem vel per emancipationem aliumve modum, quamdiu igitur durat patria potestas. 3° Ad modum affinitatis inter adoptantem et uxorem adoptati, inter adoptatum et uxorem adoptantis, ideoque in primo gradu; haec species, ut prima, durat perpetuo, nec cessat licet cesset adoptio seu patria potestas.

431. Cognationem legalem et impedimentum dirimens ex perfecta adoptione seu adrogatione oriri omnes docent, sed multum decertatur de imperfecta seu adoptione proprie dicta, aliis ex hac oriri negantibus (2), aliis affirmantibus (3). Qua spectata controversia, censet card. Petra (4), si agatur de matrimonio jam contracto, adoptionem non sufficere ut pro irrito habeatur, sed nondum contractum esse impediendum; et Ben. XIV scribit (5) indecisam esse controversiam, eamque casu occurrente ex solis juris civilis sanctionibus, utpote ab Ecclesia receptis, posse de-

(1) C. *Si qua* un. h. t.

(2) Cf. Boeckhn, n. 3 h. t., Pichler, n. 5 sq. eod., Maschat. n. 2 eod., Wiestner, n. 9 sqq. eod., Zallinger, l. 4 Decr. § 150, Schmier, *Jurisprud. can.-civ.* l. 4, tr. 3. c. 3, n. 282 sqq., de Justis, l. 2, c. 6, n. 34, 55 sqq., cit. Instr. austriaca § 28 sq., *Nouv. rev. théol.* l. c. p. 5 sqq., Giovine, t. 1, p. 395 sq., Gury et Baller. t. 2, n. 809.

(3) Cf. Reiffenst. n. 10 h. t., Gonzalez Tellez, n. 10 eod., Gutierrez, tract. de matr. c. 102, n. 5, Barbos. *De off. et pot. ep.* part. 3, alleg. 51, n. 189, Clericat. decis. 24 *de Sacr. matr.* n. 26 sqq., Girald. *Expos. jur. Pont.* part. 1, sect. 713, secr. S. C. C. in mox citanda *Hortana*, de Angelis l. c. p. 218 sq.

(4) Comment. ad const. 2 Anast. IV, sect. 2, n. 19 (t. 2).

(5) L. c. n. 5.

finiri, et ad eas necessario esse recurrendum quoties quaestio incidat an in hoc vel illo casu adsit impedimentum cognationis legalis. Romanas autem leges intelligit Benedictus; has enim Ecclesia suas fecit; sed praecise disputant auctores quid statuerit jus civile Romanum.

452. Qui ex imperfecta adoptione impedimentum dirimens oriri affirmant, ii dicunt textus indistinctim de adoptione loqui quoad impedimentum, et pro ea illud quidem motivum non urgere, quod ponitur in necessitate avertendi occasionem peccandi inter personas in eadem domo commorantes (1), urgere tamen illud praecipuum quod indecorum et turpe visum sit eos inter se matrimonium contrahere, qui loco parentum et filiorum sunt. Est etiam qui putat (2) hanc opinionem firmari per S. C. C. in *Hortana Disp.* 25 sept. 1734 (3).

453. Negantes vero dicunt textus juris Romani de sola adrogatione loqui, et aliquas recentiores ejusdem juris leges, quae generaliter utuntur voce adoptionis, esse intelligendas in sensu antiquiorum, nullum autem textum satis expressum haberi pro imperfecta adoptione. Eo ipso hanc excludi, quod in jure Romano agatur de ejusmodi adoptione, per quam transeatur in familiam adoptantis et patriam potestatem is acquirat, et praecise idcirco non contrahi cognationem cum ejus filiis illegitimis, quia hi non sunt sub ejus potestate patria. Consequenter excludi adoptionem imperfectam, quum per hanc non transeatur in familiam adoptantis nec is acquirat patriam potestatem (4). Ipsa igitur impedimenti motiva excludere adoptionem imperfectam, quia in ea non conspicitur parentelae naturalis similitudo seu ratio pa-

(1) Hoc tamen etiam motivum urget de Angelis l. c. p. 219; cf. sup. p. 300, not. 1.

(2) Laemmer, ap. von Moy et Vering, *Archiv*, t. 10, p. 363 sqq.

(3) *Thes. S. C. C.* t. 6.

(4) Qui opinantur sufficisse ut adrogatus transiret in domum adrogantis (cf. p. 299, not. 1), ii hanc solam circumstantiam urgent, non vero eam quae ex patria potestate peti solet.

rentum et filiorum, sed aliqua tantum hujus similitudinis umbra, et quia locus etiam non est motivo avertendi occasionem peccandi, quum imperfecte adoptati, utpote non transeuntes in familiam adoptantis, non commorentur in eadem domo cum ipso. Ideo demum hanc opinionem teneri volunt, quod agatur de lege odiosa.

434. Imprimis non dubitamus impedimenti existentiam agnoscere in illa imperfectae adoptionis specie quae plena dicitur, quum in ea impedimenti motiva existant ut in adrogatione (1). Quod ad minus plenam adoptionem imperfectam attinet, fatendum est non parum urgere rationes a negantibus allatas; ideoque, casu occurrente, consulendam esse Sedem Ap.; nihilominus, quum in ea quoque necessitudo et parentelae respectus existat, impedimentum dirimens inde oriri opinamur, et plures auctores nimis insistere motivo, quod petitur ex commoratione in eadem domo (2); subsidiarium tantum hoc videtur esse impedimenti motivum. Ex causa quidem *Hortana*, teste Ben. XIV (3), nihil potest concludenter ad rem evinci, imo adoptio, de qua tunc agebatur, non immerito videri potuit vera adrogatio; sed opinio modo tradita videtur reperire fundamentum in mox citandis S. Sedis responsis de hodiernis legibus civilibus. Ceterum de dirimente impedimento haec quaestio est, mere enim impediens non inducitur (4).

435. Diversimode scribunt auctores (5) de impedimenti cognationis legalis existentia sub hodiernis multarum regionum legibus civilibus a jure Romano ab Ecclesia recepto discrepantibus. Ubi leges civiles nullam admittunt cognationem legalem, ibi de hoc

(1) Cf. n. 429, Laurin, l. c. p. 230 sq.

(2) Imo is praecise procedendi modus videtur nonnullos in eam traxisse opinionem, quod ex jure civili Romano adrogatio non postulaverit transitum in potestatem patriam, sed suffecerit transitus in domum adrogantis.

(3) L. c. n. 5; cf. Laurin, p. 231.

(4) Cf. Laurin, p. 235, *Nouv. rev. théol.* l. c. p. 9 sq.

(5) Cf. cit. Instr. austr. § 28 sq., Carr. *De matr.* n. 704 sqq., *Comp.* n. 165, Ferrari, t. 2, n. 373, Gousset, *Théol. mor.* t. 2, n. 812, Kenrick,

impedimento sermo esse nequit; quamquam enim non quasvis, sed Romanas tantum leges Ecclesia recepit, in casu tamen posito res ipsa deficit, nec sufficit umquam, sive in ejusmodi sive in alia regione, actus adoptandi privatus (1). Quodsi alicujus regionis leges civiles cognationem legalem admittant, ibi impedimentum dirimens ex ea oriri existimamus, licet agatur de adoptione imperfecta, dummodo substantialia adsint juris Romani requisita. Hanc esse mentem Sedis Ap. satis indicare videntur sequentia ejus rescripta. Vicarius generalis Petrocorensis hoc dubium proposuerat : « Cum in eodem regno [Galliae] adoptionis jus modo legaliter sit receptum, quaeritur an canonicum impedimentum adoptionis dirimens locum etiam habere debeat? » Respondit S. Poenit. 17 maii 1826 : « Affirmative, si res sit de adoptione legitime inita. » Et ad dubium : « An adoptio celebrata in forma praescripta a Codice civili Regni Neapolitani producat nec ne impedimentum canonicum cognationis legalis dirimens matrimonium? », respondit S. Off. 23 febr. 1853 : « Affirmative. » Nec contrarium evincit S. Officii rescriptum 14 januar. 1802 (2), quo declaravit adoptionem in regno Tunchini usitatam non esse impedimentum dirimens matrimonii; ejus enim ratio esse potuit quod non adesset in substantialibus convenientia cum jure Romano, ex. gr. quod actu tantum privato adoptio fieret (3). In Codice autem civili Galliae est tantum adoptio minus plena, idemque Codex, paucis mutatis, in regno utriusque Siciliae viget. Verumtamen simul ac cognatio legalis seu parentelae respectus in legibus civilibus alicujus regionis admittitur, non videtur attenden-

Theol. mor. tr. 21, n. 145, Heiss, *De matr.* § 39, Scavin. t. 4, n. 532, 689, Giovine. t. 1, p. 396 sqq., Gury et Ballerin. t. 2, n. 809, Laurin, p. 243 sqq., *Nouv. rev. théol.* l. c. p. 13 sq., de Angelis l. c. p. 219 sqq.

(1) Vid. S. Off., fer. 5, die 16 apr. 1761, ap. Ferraris ed. Migne, v° *Matr.* art. 9, n. 194, ex ed. Romana desumpto. Post verba rescripti addit Giovine l. c. p. 394 : « Ita in Reg. Decret. Congr. S. Officii, dicta die et anno. » Vid. etiam de Angelis l. c. p. 222 sq.

(2) Ap. *Anal. jur. Pont.* ser. 2, col. 1811.

(3) Cf. init. hujus numeri, et n. 429.

dum ad ceteras ejus dispositiones a jure Romano discrepantes, sed impedimentum videtur redigendum ad tramites juris Romani ab Ecclesia recepti, et eas solas personas afficere dici debet, quae eodem jure indicantur. Atque haec quidem est nostra sententia; sunt tamen (1) qui putant non requiri ut servetur forma juris civilis Romani, sed sufficere solemnitates a lege aliqua civili moderna praescriptas.

436. Quum hoc impedimentum sit juris tantum ecclesiastici, eo non ligantur infideles, sed huc quoque pertinet quaestio de civilis principis in eorum matrimonia potestate, aliaeque, quas eodem prorsus modo hic resolvendas esse censemus, ac ubi de publica honestate (2).

437. Cum adoptione confundi non debent duo ei nonnihil similia, alumnatus et unio prolium, quibus nulla impedimenti vis est. Alumnatus est (3), quo quis puerum assumit unice ad eum sustentandum et educandum. Unio prolium (4) (germanice *Einkindschaft*) est, quando matrimonium ineuntes legali servata forma conveniunt prolem e prioribus nuptiis susceptam eodem prorsus succedendi jure fruituram, quo fruetur proles suscipienda ex nuptiis quae nunc contrahuntur.

CAPUT XVIII.

DE IMPEDIMENTO LIGAMINIS.

438. Hoc impedimentum (5) consistit in vinculo matrimoniali, quo unus conjugum alteri ita alligatur, ut, matrimonio sive per

(1) Inter quos de Angelis l. c. p. 220 sqq., qui allatas S. Sedis declarationes eo sensu intelligit.

(2) N. 408; cf. Laurin, p. 237 sq.

(3) Cf. Laurin, p. 210 sq. 243.

(4) Cf. Laurin, l. c. p. 259.

(5) De eo scribunt canonistae ad titt. *De sponsa duorum* et *De secundis nuptiis*.

hujus mortem sive aliter non soluto, cum nullo alio possit matrimonium validum contrahere. Non tantum est juris divini positivi, sed et adeo cum jure naturae connexum, ut ad hoc potius referatur (1). Ad ejus existentiam requiritur ut praecesserit matrimonium validum et adhuc perseverans; qui autem cum duabus contraxit matrimonium, adhaerere debet ei, cum qua prius contraxit, etiamsi cum hac nondum consummaverit, consummaverit vero cum secunda.

439. Neque aliter umquam Pontifices Romani docuerunt. Difficultas tamen oritur propter c. 3 *De sponsa duorum*, ubi Alex. III ad archiep. Salernitanum haec scribit a. 1170 : « Consultationi tuae taliter respondemus, quod, si inter virum et mulierem legitimus consensus interveniat de praesenti... non licet mulieri alteri nubere. Et si nupserit, etiamsi carnalis copula sit secuta, ab eo separari debet, et ut ad primum redeat, ecclesiastica districtione compelli : quamvis aliter a quibusdam praedecessoribus nostris sit aliquando judicatum. » Num Alex. III hic asseruit aliquando ejus praedecessores judicasse matrimonium ratum dissolvi per subsequens consummatum? Multum in hoc textu explicando insudant auctores, ut salva sit et praedecessorum et ipsius Alexandri sententia; haeretici vero acriter hac occasione impugnant Romanos Pontifices.

Nonnulli auctores dicunt judicium illud aliquorum praedecessorum non fuisse cathedralem definitionem, sed forsitan privatam litis decisionem, aut opinionem, in qua Pontifex errare potest (2), Pontifices illos particularem suam opinionem expressisse (3), et secutos esse peculiarem ejusmodi in aliquibus locis, de quibus

(1) Cf. n. 81. Quomodo polygamia, maxime vero polyandria, juri naturae repugnet, vid. ap. Ben. XIV, *De syn.* l. 13, c. 21, n. 8 sq., Perron. *De matr. christ.* ed. Rom. t. 3, p. 5-50, de Angelis t. 3, part. 1, p. 115 sqq.

(2) Cf. Maschat, n. 6 *De sponsa duorum.*

(3) Cf. Bellarminus, *De Rom. Pont.* l. 4, c. 14, Melchior Canus, *De locis theol.* l. 6, c. 8.

mox infra, olim vigentem opinionem (1). Aliorum explicatio haec est. Pontifex potest dispensare in matrimonio rato; Pontifices igitur Alexandri praedecessores potuerunt statuere, ut, si matrimonio rato succederet aliud consummatum, hoc ipso censeretur dispensatum et solutum primum matrimonium; Alexander autem id mutaverit. Alii eamdem explicationem assumunt, sed ponendo dispensatum fuisse in casibus particularibus. At omnes istos difficultatem solvendi modos indubitanter rejicimus, sequentem vero a Bartholo (2) traditum adoptamus.

Ecclesia Romana semper tenuit solo consensu perfici matrimonium; id enim liquet ex S. Innoc. I epistolis ad Exuperium Tolosanum et ad Probum, S. Leonis M. epist. 129, ad Nicetam Aquil., S. Siricii epist. ad Himerium Tarrac., Nicol. I resp. 3 ad Bulg. Siricii autem decretum in antiquis canonum collectionibus insertum legebatur. Nihilominus aetate Alex. III, medio scil. saec. XII, fuerunt, teste Petro Lombardo (3), qui opinarentur verum matrimonium non esse ante traductionem et carnalem copulam. Ex hac doctrina deinceps conficiebant primum matrimonium ratum solvi per subsequens consummatum. In particulares ecclesias aliquas irrepsit haec perversa explicatio, ut patet ex Alex. III in c. 6 et 7 *De sponsa duorum,* in prima collectione Decretalium. Bononienses et Mutinenses in hanc ivisse sententiam refert Tancredus, antiquus interpres Decretalium, qui eodem saec. XII exeunte floruit. Mutinenses ab ea reduxit Innoc. III, ut liquet ex cap. fin. *De sponsa duorum.* In alias quoque extra Italiam ecclesias dubitatio irrepserat; in prima enim collectione legitur dubia mota fuisse ab archiep. Salernitano et epp. Patavino ac Januensi in Italia, archiep. Senonensi in Gallia, et ep. Norvicensi in Anglia. Consulentibus his omnibus, quodnam matrimonium esset firmum, respondit Alexander firmum esse primum.

(1) Cf. Perron. l. c. p. 523, Schmidt ap. Vering, *Archiv fuer kath. Kirchenrecht*, t. 28, p. 123 sq.

(2) *Institt. jur. can.* c. 14. Eum sequitur de Angelis l. c. p. 119 sqq.

(3) L. 4 *Sent.* dist. 27.

Sed quomodo potuit verba illa, circa quae difficultas versatur, scribere in responso ad Salernitanum archiepiscopum? Decipiuntur aliquando Pontifices in rebus a facto pendentibus, scilicet a circumstantiis rerum vel causarum, aut a testimoniis litigantium ipsorum. Fieri igitur potuit aliquos ante Alexandrum Pontifices de facto *judicasse* matrimonium aliquod consummatum firmum esse debere, licet diceretur ratum praecessisse, idque vel quia non aperte constabat ratum hoc primum matrimonium revera fuisse contractum, vel quia ex adjunctis patebat verba de praesenti prolata habita vel habenda fuisse potius ut promissio matrimonii, vel quia, ut dicit Alex. III, c. 7 *De sent. et re judicata*, conjugis utriusque studio Ecclesia fuerat decepta. Sapientissime igitur adjecit Alexander verbum illud *judicatum* (non dicit *statutum*, *definitum*, *decretum*, *sancitum*, *declaratum*, *responsum*), ut indicaret in his controversiis a facto pendentibus posse Pontificem decipi (1). Revera in prima Decretalium compilatione, et in ea quae exstat post Conc. Later. III, verba Alexandri disertius hunc sensum indicant; dicitur enim : « Quamvis quidam alii aliter sentiant, et aliter etiam a quibusdam Praedecessoribus nostris sit aliquando judicatum. » In collectione vero Gregoriana desunt verba illa : « Quamvis quidam alii aliter sentiant. »

« Ad extremum, ait Bartholus, ut hac in re dicam quod sentio, verbis illis : *Quamvis aliter a quibusdam praedecessoribus nostris sit aliquando judicatum* : Alexander III nihil quidquam affirmare, sed tantum dubitationem omnem mihi praecidere voluisse videtur. Ea nimirum aetate, cum alii aliter sentirent de vi prioris

(1) Haec Bartholi observatio veram videtur continere explicationem. Quum enim, nondum existente impedimento dirimente clandestinitatis, servari deberent regulae n. 196 sqq. indicatae, juxta quas sponsalia accedente copula transibant in matrimonium praesumptum, non raro contingere debuit ut pro hujus matrimonii existentia *judicandum* esset, quia matrimonium ratum, quod vere praecesserat, non potuerat probari. Ipsa etiam haec praesumptio eique innixum judicium nonnullos saec. XII ad supra indicatum errorem, licet immerito, conduxerit.

matrimonii rati, quod nos jam ostendimus, atque ipse narrat Alexander III, ut opinationem illi suam firmissimo praesidio munirent, Romanorum Pontificum quorumdam judicia in controversiis ejusmodi habita ad sententiam suam, ut fieri solet, perperam traduxerant; atque dictitabant, ita aliquando a quibusdam Pontificibus Summis fuisse judicatum. Tale aliquid profecto Salernitanum Archiepiscopum in litteris suis ad Alexandrum III datis subjecisse cognoscimus ex accepto responso, quo Pontifex Summus judicia illa incerta ab Archiepiscopo sibi objecta ignorare se significat, eorumque nullam habendam esse rationem declarat; cum nec quando, neque a quibus, neque in quibusnam caussis prodierint, nihil certum sciri, nihilque plane investigari posset : iccirco ea judicia despiciens, et pro nihilo habens scripsit : *Quamvis aliter a quibusdam praedecessoribus nostris sit aliquando judicatum.* Quid, quod Alexander III cum ab Episcopis quinque ea de ipsa re fuerit consultus, singulisque responsum idem dederit, atque cum duobus insuper Patavino, et Senonensi questus fuerit de contraria quarumdam Ecclesiarum consuetudine, de judiciis illis tamen decessorum suorum, in responso uno et solo ad Salernitanum Archiepiscopum dato meminit; in aliis quatuor ad Episcopos ceteros datis mentionem nullam fecit? Id sane argumento est, non aliunde, quam ex litteris Archiepiscopi ejusdem Salernitani rumorem de judiciis illis ortum, atque ad Alexandrum III perlatum; quem ipse tamen ita despexit, ut in suis responsis, quae ad quatuor alios Episcopos eadem in caussa dedit, ne memorandum quidem putaverit. »

440. Ea igitur est, quam diximus, vis impedimenti ligaminis propter matrimonii prioris indissolubilitatem et unitatem. Dissolvitur quidem matrimonium ratum, non consummatum, per professionem Religiosam solemnem (c. 22); juxta aliquos etiam matrimonium in infidelitate contractum, et ante utriusque Baptismum consummatum (quod tamen negandum esse tradimus ib. et n. 500, 576). Dissolvitur quoque dispensatione Pontificia matri-

monium ratum, non consummatum (c. 30 § 1), et juxta aliquos etiam matrimonium contractum in infidelitate, et sive tunc sive post unius tantum Baptismum consummatum (quod tamen rejicimus ib. n. 602 aliisque ibi citatis). Insuper matrimonium quodcumque in infidelitate contractum dissolvitur in casu, quem vocant Apostoli (1). Sed ab his dissolvendi modis nunc abstrahentes (2), de vi ligaminis per se spectati loquimur. Ipsi polygami infideles, qui ad fidem convertuntur, eam quam primam in uxorem duxerunt retinere debent etiamsi jam repudiatam, dummodo verum cum ea contraxerint matrimonium (3); secus enim fiet illud quod neophyto magis prodest. Matrimonium itaque tempore etiam infidelitatis, vivente prima comparte, contractum irritum est; imo si neophytus velit manere cum alia, quam in infidelitate duxit, quaeque, prima remanente infideli nec volente pacifice cohabitare, ad fidem convertitur et ipsa, novus consensus est necessarius ob nullitatem consensus in infidelitate praestiti (cf. c. 20, et n. 82, 446). Ea ipsa ratio ligaminis et jurium prioris matrimonii compulit Patres Tridentinos ad condendum decretum circa vagos (n. 238), et Sedem Ap. ad praescribendam formam probandi statum liberum contrahere volentium (n. 254 sqq.). Eadem de causa graves poenae constitutae sunt in polygamos (4).

441. Necesse igitur est ut, priusquam possit quis novas nuptias inire, constet de morte compartis. Fuerunt quidem qui putarent sufficere probabilem causam mortuam existimandi compartem, innixi praesertim cap. 1, Caus. 34, ubi a culpa excusatur contra-

(1) Vid. c. 20; plura ibi ad ligamen pertinentia habes.

(2) Sepositis hisce casibus, calumnia est Pontifices interdum dispensasse in ligamine matrimonii; cf. Knopp. p. 106, ubi allegat card. Poenitentiarii Majoris literas 25 maii 1807, et de Roskovany, *De matr. mixtis*, t. 4, Pestini 1870, p. 84 sq. coll. p. 77 sqq.

(3) Cf. Konings, n. 1577, 1601.

(4) Cf. Ben. XIV, *De syn.* l. 9, c. 6, n. 8, Thesaur. *De poenis ecclesiasticis*, part. 2, v° *Matr.* c. 3, Bangen. tit. 2, p. 123 sq., Giovine. t. 1, p. 344, de Angelis l. c. p. 122 sq.

bens cum muliere, cujus maritus mortuus existimabatur. Absque dubio tamen dicendum est requiri certitudinem moralem, uti liquet ex c. 19 *De spons. et matr.* et c. 2 *De sec. nupt.* Et merito quidem; nam praeter reverentiam Sacramento debitam et bonorum matrimonii incolumitatem, novum matrimonium cedit in grave praejudicium prioris conjugis, si sit superstes; quare in dubio non debet jure suo spoliari ac grave praejudicium pati. Insuper praesumendus est vivere quamdiu contrarium non fuit probatum. In allato autem c. 1, Caus. 34, deciditur eam, quae alteri nupsit putans mortuum esse maritum, ad hunc, si redeat, redire debere, et additur non esse culpabilem eum, qui cum ea contraxerat existimans periisse ejus maritum. Sed nihil ibi est quod efficiat non exigi moralem certitudinem de morte mariti, ut uxor possit ad novas nuptias transire, vel ut inculpabilis sit qui cum ea contrahit; potuit ibi agi de casu quo mors putabatur moraliter certa.

442. Sola ergo absentia non sufficit (1), et hac in re Ecclesia rejicit jus Romanum (2), quo post certum annorum numerum permittebantur novae nuptiae. Justinianus (3) id jam emendaverat, ulterius quam canones progressus statuens, ut licet jurejurando tribuni vel duces militum affirmarent virum esse mortuum, nonnisi post exspectatum deinde annum integrum uxor posset alias contrahere nuptias, idque, ut videtur, sub poena nullitatis; statuit enim adulterorum poenas in contrafacientes. Neque hanc tamen Justiniani legem adoptavit Ecclesia.

443. Verum quandonam moralis certitudo de morte prioris conjugis habebitur? Praeter ea, quae ex antiquioribus canonibus et probatorum auctorum doctrina colliguntur, diversis Sedis Ap. documentis illustratur hujus quaestionis solutio et practica ordi-

(1) C. 19 *De spons. et matr.*; Pii VI litt. 11 jul. 1789 ad archiep. Pragensem, ap. Moser. App. n. 14.

(2) L. 6 C. *De divort.*

(3) Nov. 117, c. 11.

natio. Imprimis huc pertinet Clem. X const. *Cum alias* 21 aug. 1670 (sup. n. 254 sqq.), quae etiam in mox indicandis recentioribus rescriptis in memoriam revocatur. Deinde, propter magnas recentiori tempore rerum humanarum conversiones, ad omnes locorum Ordinarios directa fuit S. Off. de praxi Sedis Ap. Instructio *Ingentes* 22 junii 1822 (1). Tandem, crescente propter summam divagandi facilitatem casuum multitudine, S. Off. in Instr. *Matrimonii vinculo* 13 maii 1868 (2), minime abrogatis prioribus decretis, regulas Ordinariis indigitavit quas S. Officium sequi solet, ut illarum ope vel ipsi possent judicium ferre, vel, si recurrendum sit, statum quaestionis ita dilucide S. Sedi exponere ut impediri longiori mora sententia non debeat. Ex his igitur omnibus fontibus plenam rei notitiam desumimus.

444. 1° Diligenter exquiri debet documentum authenticum obitus, exaratum scil. ex regestis parochiae vel xenodochii vel militiae, vel etiam, si haberi nequeat ab auctoritate ecclesiastica, a gubernio civili loci in quo persona obierit.

2° Quando hoc documentum haberi nequit, suppletur per depositiones testium, qui debent esse saltem duo, jurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordes quoad locum et causam obitus aliasque substantiales circumstantias. Majoris ponderis erit eorum testimonium si sint defuncti propinqui, vel socii itineris, industriae, militiae. Compartis vero ipsius testimonium non admittitur.

3° Testem unum sufficere ut aliud matrimonium possit iniri, affirmarunt aliqui ob c. 19 *De spons. et matr.*, ubi Pontifex cer-

(1) Eam ex authentico apographo habes in App. n. II sub 1 ; est etiam in op. *Archiv fuer kath. Kirchenrecht*, t. 22, p. 186 sqq., et in conc. plenario II, Baltimori habito a. 1866, App. n. 12, coll. S. C. de Prop. Fide Instr. 2. seu speciali. 24 januar. 1868, sub 2°, circa quaedam illius Concilii plenarii decreta.

(2) Vid. App. n. II sub 2, et *Acta S. Sedis* t. 6, p. 436 sqq., coll. t. 7, p. 209 not.

tum tantum nuntium exigit, talem autem aiunt esse depositionem juratam unius fide digni. At in cit. c. vox *nuntius* non indicat hominem notitiam afferentem, sed ipsam relationem, ideoque certus nuntius significat moralem certitudinem. Per se igitur unus testis, etiam de visu seu de facto proprio deponens, non sufficit, quum non faciat plenam probationem. Uuius tamen testimonium non respuitur absolute, dummodo ille recensitis conditionibus sit praeditus, nulli exceptioni obnoxius, ac praeterea ejus depositio aliis gravibusque adminiculis fulciatur (1), vel, si alia extrinseca adminicula colligi omnino nequeant, certum tamen sit nihil in ejus testimonio reperiri quod non sit congruum atque omnino verisimile (2).

4° Si nullus habetur testis de visu seu de facto proprio deponens, sufficit ut testes omnimoda fide digni testificentur se tempore non suspecto mortem conjugis audivisse ex attestatione aliorum, qui propter absentiam vel obitum vel aliam quamvis rationabilem causam ipsi examinari nequeunt. Necesse tamen est ut dicta hujusmodi testium de auditu omnibus aliis in casu occurrentibus circumstantiis, vel earum saltem urgentioribus, respondeant.

5° Quodsi nullus omnino testis, qualis supra, habeatur, probatio obitus ex conjecturis, praesumptionibus, indiciis, et adjunctis quibuscumque curanda est. Sedula autem et admodum cauta debet esse haec investigatio; ita nimirum ut, pluribus hinc inde collectis ejusmodi adjunctis, eorumque natura perpensa, prout

(1) Cf. S. C. C. in *Mediolanen. Matr.* 22 sept. 1860 (*Thes. S. C. C.* t. 119, *Rev. th. Nouv. sér.* t. 1, p. 236 sqq.).

(2) Ex gr. quod conjux, qui jamdiu disparuit, tempore discessus jam fuerit senex vel aeger, quod periculosam navigationem fuerit aggressus, quod fuerit moratus in locis ubi pestis saeviens multos e medio tollebat; cf. inf. sub 5° et 6°, et S. C. Ep. et Reg. 24 nov. 1662, ap. Bizzarri, *Collectanea*, p. 290 sq. Singula supra indicata sufficere absolute dici nequit: eorum sufficientia ex circumstantiis est ponderanda.

scil. urgentiora vel leviora sunt, seu propius vel remotius cum veritate mortis conjunguntur, inde prudentis viri judicium ad mortem affirmandam probabilitate maxima seu morali certitudine permoveri possit. In singulis igitur casibus prudenti judicis arbitrio relinquitur, quandonam ex hujusmodi conjecturis simul conjunctis justa probatio habeatur. Plures autem sunt fontes, e quibus illae sive urgentiores sive etiam leviores conjecturae colligi possunt. Imprimis investigandae sunt praesumptiones personam ipsius asserti defuncti respicientes, quae facile haberi possunt a conjunctis, amicis, vicinis, et quoquo modo notis utriusque conjugis. Ex. gr. an assertus defunctus bonis moribus imbutus esset, pie religioseque viveret, uxorem diligeret, nullam se occultandi causam haberet, bona stabilia possideret, vel alia a suis propinquis aut aliunde sperare posset; an discesserit annuentibus uxore et conjunctis; quae tunc ejus aetas et valetudo esset; an aliquando et quo loco scripserit, an suam voluntatem quamprimum redeundi aperuerit, cet. Alia adjuncta colligi possunt ex varia absentiae causa; ex. gr. si ob militiam abierit, a duce militum requirendum est quid de eo sciat, utrum pugnae interfuerit vel destinationes periculosas habuerit, utrum captus fuerit ab hostibus, castra deseruerit, cet. Si maritimum iter fuerit aggressus, investigandum est a quo portu discesserit, qui fuerint itineris socii, quo se contulerit, quod nomen navis, quis hujus gubernator, an naufragium fecerit, an societas, quae navis cautionem forsan dedit, pretium ejus solverit, cet.

6° Fama quoque, aliis tamen adminiculis adjuta, obitum probat, dummodo a duobus saltem testibus fide dignis et juratis comprobetur, qui deponant de rationabili causa ipsius famae (1), an eam acceperint a majori et saniori parte populi, et an ipsi de

(1) Ex. gr. quod maritus mare navigaverit, et, suborta tempestate, per tempus congruum expectatus, per loca verisimilia quaesitus, non comparuerit nec de navi sit relatum qua vehebatur, vel quod rudera sint inventa.

eadem fama recte sentiant, nec sit dubium illam fuisse concitatam ab iis, in quorum commodum inquiritur.

7° Tandem, si opus fuerit, facienda est investigatio per publicas ephemerides, datis earum directori omnibus necessariis personae indiciis, nisi ob speciales circumstantias saniori ac prudentiori consilio aliter censeatur. Oportet praeterea virorum doctorum et prudentum adhibere consilium. Adminicula autem majora profecto esse debent in casu famae vel testium de auditu, quam in casu unius saltem testis de visu. Sunt qui dicant Ordinarium, si putet adesse moralem certitudinem, non tamen sine timore de opposito, posse et debere deferre juramentum parti superstiti, quo haec affirmet se nec scire nec credere compartem vivere. At, manente prudenti formidine de opposito, non habebitur moralis certitudo, ideoque supersedendum est novo matrimonio, donec haec ex aliis adjunctis habeatur, vel certe casus est deferendus ad Sedem Ap. Denique observandum est examen testium, documentorum formam cet. debere ordinari juxta cit. Clem. X const. *Cum alias*, hujusque postea factas declarationes, de quibus etiam cf. n. 258 sqq.

445. Parochus igitur, cujus pro novis nuptiis petitur assistentia, si habeatur certitudo moralis de morte, assistere potest nulla petita Ordinarii licentia; jus enim ipsum hanc ei dat licentiam, dummodo status liber debito modo fuerit probatus (1), et non agatur de vago (cf. n. 238). At si parochus dubitet, debet consulere Ordinarium, idque regulariter videtur faciendum quoties non agitur de certitudine morali acquisita per alterutrum e modis indicatis num. praec. sub 1° et 2°.

446. Quid vero dicendum de novi matrimonii validitate vel revalidatione, si absque sufficienti de morte conjugis certitudine

(1) Ad debitum modum probandi statum liberum reducenda sunt verba Giraldi, *Expos. jur. Pont.* part. 1, sect. 656, ubi tutius, imo necessarium credit ut petatur Ordinarii licentia; cf. etiam sup. n. 254 sqq., Ferrari, t. 2, n. 363.

fuerit initum? Rejicienda est paucorum aliquorum opinio, existimantium irritum esse hujusmodi matrimonium, etiamsi revera mortua sit prior compars; necesse tamen est verus adfuerit consensus mutuus. Sed quamdiu prior conjux vivit, invalidum profecto est novum matrimonium nec convalescere potest; si autem vixerit tempore initi novi matrimonii, postea vero obiverit, numquam potest validum fieri vi consensus praestiti dum contrahebatur, sed novus consensus mutuus necessarius est. Imo quoad hunc ipsum caute procedi debet, quum criminis impedimentum obstare posset (cf. c. 19). Sanationi etiam in radice locus esse nequit, quia ligamen est impedimentum juris divini, et, ut in radice sanetur matrimonium, impedimentum debet esse juris ecclesiastici tantum (cf. c. 35, § 3). Horum omnium ratio est in vi, quam impedimentum juris naturae vel divini habet in consensum (cf. n. 82).

447. Sed an licet uti matrimonio contracto, si desit moralis de obitu compartis certitudo (1)?

Si cum dubio probabili fuit ita contractum matrimonium, aut uterque aut alteruter dubitabat. Si uterque, neuter potest petere nec reddere, donec, diligenti inquisitione facta, moraliter certum fiat priorem conjugem ante novum contractum matrimonium decessisse. Sunt enim uterque malae fidei possessores. Si alteruter tantum dubitabat, huic idem applica; perseverante dubio, petere non potest ob eamdem rationem, sed reddere potest et debet alteri utpote bonae fidei possessori (2).

Si matrimonio bona fide ab utroque inito superveniat dubium leve, reddi et peti debitum potest ab utroque, « conscientia levis

(1) Cf. Boeckhn, n. 12 *De secund. nupt.*, Reiff. n. 22 sqq. eod., S. Alph. De matr. n. 903 sqq., coll. op. *Vindiciae Alphonsianae*, Rom. 1873, p. 20, col. 2, ed. Tornacen. t. 1, p. 22, col. 1 sq., Scav. t. 4, n. 649, tr. Mechl. n. 47 coll. 70, Kenrick, tr. 21, n. 167 sq. coll. 54 sq., *Mél. théol.* ser. 5, p. 49 sqq.

(2) Cf. c. 2 *De secundis nuptiis* et c. 44 *De sent. excomm.*

et temerariae credulitatis explosa, » ut dicitur c. 44 *De sent. exc.* Si vero non sit leve sed probabile et discretum, dubitans tenetur diligenter inquirere et interea abstinere a petendo, quamquam potest et debet reddere bona fide petenti. Ex regulis possessionis bona fide initae haec solutio deducitur. Quod si uterque ita dubitet, neuter potest petere nec reddere, sed uterque debita diligentia inquirere debet. Si vero sive in priori sive in posteriori hypothesi, instituta diligenti inquisitione, dubium perseveret, licita est tam petitio quam redditio debiti; possessio enim tunc praevalet rationibus omnibus non causantibus moralem certitudinem. Si tamen haec dein habeatur, cessat, uti patet, omnis vitae conjugalis ratio (1).

CAPUT XIX.

DE IMPEDIMENTO CRIMINIS.

448. Ex duplici fonte criminoso, adulterio et conjugicidio, in triplici facti specie impedimentum dirimens existit (2), quo rei inter se matrimonium inire nequeunt, nempe in casu adulterii una cum promissione vel attentatione matrimonii, in casu solius conjugicidii communi consilio patrati, et in casu conjugicidii ab alterutra parte patrati et cum adulterio conjuncti. Impedimentum istud Ecclesia induxit, ut consultum esset fidei conjugali conjugumque incolumitati, et gravissima averterentur crimina ac turpitudo scandalis plena. Existit autem etiamsi conjuges, quorum matrimonium laeditur, amplius non cohabitent, et sive ratum tantum sive consummatum illud sit, neque excluditur per adul-

(1) Cf. duo capitula in praecedenti nota allegata; oportere autem ut in his omnibus non sine confessarii vel pastoris consilio procedatur, ipsum c. 44 *De sent. excomm.* indicat.

(2) De eo scribunt canonistae ad tit. *De eo qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium.*

terium a laeso etiam conjuge commissum; perpetuum quoque est nec ullo temporis lapsu cessat. Attamen triplex supra indicata facti species peculiares sibi conditiones vindicat; quare singulae illae hypotheses sunt expendendae.

449. Prima impedimenti criminis species est adulterium concurrens cum matrimonii sive promissione sive attentatione. Non sufficit matrimonii promissio vel attentatio sine adulterio, neque adulterium sine promisso vel attentato matrimonio (1), sed utrumque concurrere debet. Quapropter, licet perinde sit sive adulterium praecedat sive sequatur matrimonii promissionem vel attentationem, impedimentum non oritur si a promissione vel attentatione resiliatur ante adulterium; subsistit vero si post promissionem vel attentationem et adulterium resiliatur.

Necessario autem debent concurrere vivente conjuge, cujus jura violantur. Sunt qui adulterium eo vivente commissum, et promissionem vel attentationem tempore matrimonii post illius mortem contracti secutam sufficere putent. Hi itaque non requirunt ut concursus locum habeat durante eodem matrimonio, sed sufficere censent ut in diverso matrimonio duo praedicta perpetrentur : impedimenti tamen existentiam non agnoscere solent, quando promissio vel attentatio locum habuit durante priori matrimonio, adulterium vero durante matrimonio posteriori, quia tunc per posterius matrimonium revocata fuit promissio vel attentatio. Cum communi doctrina affirmamus debere concursum contingere durante eodem matrimonio, seu impedimentum non oriri, nisi propter injuriam uni eidemque matrimonio factam (2).

(1) C. *Significasti* 6, et c. *Si quis* fin. h. t. Adulterium solum numquam fuit impedimentum dirimens; cf. Ben. XIV, § 18 sqq. litt. *Redditae Nobis* 5 dec. 1744 (*Bull. Ben. XIV*, t. 1, const. 113; ed. Mechl. vol. 3, p. 17 sqq.). De praxi Graecorum propter adulterium solventium vinculum matrimonii, et ejus occasione de Conc. Trid. sess. 24, can. 7 de Sacr. matr., cf. Perrone, *Prael. theol.* de matr. n. 143, 148, *De matr. christ.* ed. Rom. t. 3, p. 389 420, Papp-Szilagyi, part. 2, § 136, Frenzel, *De indissolubilitate matrimonii*, Paderborn. 1863, p. 127 sqq.

(2) Cf. Ventriglia, t. 1, annot 15, § 1, n. 7 sqq., de Justis, l. 2, c. 16,

Plerique affirmant (1) requiri ut detur fides matrimonii post conjugis mortem, seu post solutum, quod nunc est, matrimonium incundi; nam, aiunt, si promittatur matrimonium durante priori incundum, non ita oritur captandae mortis occasio, quae est impedimenti motivum. Aliis (2) id non tam certum videtur, quia ex una parte canones modo prorsus generali loquuntur de promissione, et ex altera non minus adest motivum quam in attentatione matrimonii. Non obstante gravitate posterioris hujus rationis petitae ex paritate motivi in utroque casu, communi doctrinae ideo etiam subscribimus, quia promissio matrimonii vivente conjuge contrahendi est attentationis potius quam matrimonii promissio. Nisi autem probetur expresse dictum fuisse contrarium, in foro externo semper censetur adfuisse intentio et promissio contrahendi matrimonium post solutionem illius quod nunc existit.

450. Praeter dicta de concursu necessario, speciales etiam, ut oriatur impedimentum, conditiones postulantur tam in adulterio quam in matrimonii promissione vel attentatione.

Adulterium debet esse (3) 1° *verum* seu materialiter tale nec tantummodo existimatum; ex quo sequitur omnino requiri ut matrimonium, quod laeditur, sit validum et adhuc perseverans. 2° *Consummatum*, id est, de se aptum ad generationem, adeo ut una caro facti fuerint (n. 370); in foro autem externo hoc semper praesumitur (n. 370, 389, 395). Debet esse 3° *formale ab utraque parte*, id est, utraque debet scire alterutrum esse conjugatum:

n. 25 sqq., Carr. n. 725, Scavin. t. 4, n. 534, van de Burgt, n. 139, tr. Mechl. n. 82, Gury et Ballerin. t. 2, n. 820, Giovine, t. 1, p. 408, de Angelis, t. 3, part. 1, p. 182.

(1) Cf. Ventriglia, l. c. n. 2 sq., de Justis, l. c. n. 23, Conrad. l. 8. c. 9. n. 1. Bangen, tit. 2, p. 140 sq., van de Burgt, n. 138, Ballerin. ad Gury, t. 2, n. 820.

(2) Cf. Carr. n. 715.

(3) Cf. Ventriglia, l. c. n. 12 sqq., de Justis, l. c. n. 36 sqq., 52 sqq., S. Alph. n. 1036, Carr. n. 711 sqq., van de Burgt, n. 137, Scavin. l. c., tr. Mechl. l. c., Giovine, t. 1, p. 406 sq.

nam impedimentum oritur propter injuriam uni eidemque matrimonio illatam. Sufficit igitur sed requiritur utriusque circa unum idemque matrimonium scientia (1); non autem requiritur ut utriusque conjugium sit notum, sed nec sufficit ut uterque sciat se esse conjugatum. Ex tertia hac conditione sequitur non oriri impedimentum casu ignorati unius ejusdemque, ut praefertur, matrimonii (2). Alii autem dicunt sufficere ignorantiam crassam, non tamen affectatam, alii vero eam non sufficere volunt. In praxi ante matrimonium videtur procedendum ac si ignorantia crassa non excuset; praeterea in foro externo ignorantiae non habetur ratio, nisi ex facti circumstantiis sit evidens. Quum autem consideretur injuria uni eidemque matrimonio illata, duplex est impedimentum criminis, necessario exprimendum in libello supplici, si duo conjugati alter alterius matrimonii scientiam habentes adulterium inter se committant, concurrente matrimonii promissione vel attentatione (n. 454).

451. Promissio debet esse (3) 1° *vera* promissio, etiamsi non jurata, nec sufficit desiderii vel propositi manifestatio.

2° Signo externo *expressa saltem ab una parte.*

3° *Acceptata* ab altera parte; cum communi autem doctrina censemus opus non esse ut haec repromittat seu ut mutua sit promissio; quamquam sunt auctores non spernendi reciprocam promissionem exigentes. Si altera pars taceat, in foro quidem externo praesumitur acceptatio et impedimenti existentia, sed realiter seu in foro interno taciturnitatem non sufficere opinamur, si interne altera pars revera non acceptet.

(1) Idcirco paulo ante dictum fuit *alterutrum*, non vero *alterum*, ne videri posset requiri ut sciatur alterum esse conjugatum.

(2) Vid. c. *Propositum* 1 et c. *Veniens* 7 h. t., Girald. in append. ad calcem op. cit. Potius ut in textu, quam de ignorato complicis statu, loquimur ob rationem in nota praec. indicatam.

(3) Cf. de Justis, l. c. n. 31 sqq., Ventriglia, l. c. n. 4 sqq., S. Alph. n. 1037 sqq., Carr. n. 715-722, 726, Scavin. et tr. Mechl. ll. cc., van de Burgt, n. 138, 140 sqq., Gury et Ballerin. l. c., Giovine, t. 1, p. 407 sq.

4° Promissio, ut et acceptatio, debet esse *seria*. Quamquam enim promissio ficta seu absque animo se obligandi (qui, uti patet, differt ab animo non exequendi) facta, et ficta acceptatio, in foro externo pro seriis haberi debent, revera tamen seu in foro interno fictio non sufficit, in eo autem creditur poenitenti.

5° An debeat alterutrius conjugium uterque notum habere tempore promissionis, patebit n. 452.

6° De conditionata promissione haec e variis praeplacet doctrina. *a*) Existit impedimentum, si conditio sit de praeterito vel de praesenti, et verificetur. *b*) Si conditio de futuro ante adulterium deficiat, impedimentum ex communi doctrina non oritur; si post adulterium deficiat ante obitum conjugis, seu ante solutum, quod nunc est, matrimonium, sunt qui impedimentum existere putant; sed probabilius non existit; nam, non verificata conditione, promissio est ac si non facta. Verum communis est doctrina impedimentum oriri, si ante adulterium, vel post hoc, sed ante obitum conjugis, seu illius, quod nunc est, matrimonii solutionem, conditio impleatur. *c*) Si conditio de futuro suspensa maneat quando moritur conjux seu praesens matrimonium solvitur, multa disputatio est; opinamur autem impedimentum non existere; quum enim promissio existat tantum quando conditio impletur, in casu adulterium non concurrit cum promissione. *d*) Si conditio sit impossibilis vel in se turpis, in foro externo censebitur impedimentum existere, quia in eo conditiones ejusmodi habentur pro non adjectis. In foro tamen interno videndum est, an fuerit consensus serio conditioni alligatus; quod quidem contingere profecto nequit, si impossibilitas tam sit evidens, ut manifestum sit rem non serio agi (quo igitur casu impedimentum non aderit), contingere tamen potest extra hanc hypothesim (n. 393). Quod si ita sit, solutio habetur ex iis quae praecedunt.

Atque ita quidem de conditionata promissione dicendum opinamur. Verum in hac praesertim materia quaestionum hujusmodi

solutiones potissime inserviunt confessario ad formandam conscientiam, ut post matrimonium contractum facilius relinquat poenitentem in bona fide vel ejus dubia solvat. Inserviunt etiam extra tribunal Poenitentiae, ut dubia solvantur in favorem validitatis matrimonii, quando res non est publica nec ad forum externum potest deduci. Numquam vero propria auctoritate ejusmodi solutiones, nisi in casu urgentissimo non publico, applicentur matrimonio nondum contracto sed contrahendo. Hae autem observationes applicentur aliis etiam circa impedimentum criminis quaestionibus, et rei matrimoniali universim.

Hactenus de promissione. Attentatio (1) autem debet esse vera attentatio matrimonii, sive tamen in forma Tridentina, sive clandestina; sufficiatne civile, quod vocant, matrimonium, dicetur c. 36. An autem requiratur ut adsit in utroque scientia alterutrum esse matrimonio junctum, ex sequenti numero colligere est.

452. An itaque tempore promissionis vel attentationis debet uterque scire alterutrum esse matrimonio junctum ? ? Communiter quidem traditur hoc pro solo adulterio requiri, non vero pro attentatione vel promissione, quia hae absque ejusmodi scientia sunt vera promissio et vera attentatio, et sacri canones pro his eam exigi non dicunt. Sed difficultatem facit id quod auctores communiter tradunt, requiri promissionem post conjugis mortem contrahendi. Verum hanc difficultatem, quae aliquatenus jam ideo solvitur quod sufficiat non adjecisse expresse matrimonium contrahendum esse vivente comparte (n. 449 in fine), in praxi revera non oriri patet ex eo quod ipsi auctores illi dicant existere impedimentum, etiamsi scientia non habeatur tempore promissionis vel attentationis, dummodo habeatur tempore adulterii. Si enim praecedat adulterium inter scientiam illam habentes, profecto

(1) Cf. van de Burgt, n. 141 sqq., tr. Mechl. l. c., Giovine, t. 1, p. 408 sq., Scavin. t. 4, n. 534, Ballerin. ad Gury, t. 2, n. 820.

(2) Cf. Carr. n. 726, Scavin. l. c., van de Burgt, n. 138, 142, Ballerin. l. c.

haec adest etiam quando sequitur promissio vel attentatio, nisi tunc credant mortuam esse compartem. Si vero illarum alterutra praecedat adulterium, et dum hoc committitur scientia illa habeatur, hoc ipso quod non revocatur promissio vel attentatio, sed in ea perseveratur, rursus scientia adest quando utrumque impedimenti criminis elementum constitutivum concurrunt. Hoc autem adeo verum est, ut praedicti auctores ipsi, qui non requirunt scientiam tempore promissionis vel attentationis, ad affirmandam impedimenti existentiam scribant, partes, ita perseverando et post scientiam habitam adulterando, censeri quasi attentare vel promittere post scientiam habitam. Quare licet non requiratur quidem scientia ipso momento quo primum fit promissio vel attentatio, quoad hanc tamen etiam vere adest, quando a scientiam illam habentibus adulterium committitur.

453. Secunda impedimenti criminis species est, quando intervenit occisio conjugis amborum consilio patrata eo animo, ut possint, conjuge sublato, nuptias inter se contrahere.

Uxoricidium, et probabilius etiam viricidium, licet nulla alia circumstantia stipatum, antiquitus erat impedimentum impediens futurum quodvis matrimonium; an hodie idem obtineat videbimus n. 548. De dirimente impedimento hic agimus, cujus respectu viricida et uxoricida eodem jure censentur.

Ut ex solo conjugicidio, quod in jure saepe *machinatio* dicitur, impedimentum dirimens oriatur (1), necesse est 1° ut conjugicidium fuerit ab ipsis partibus vere patratum, sive physice, sive moraliter, id est, saltem mandato vel consilio efficaciter in illud influente. Quum itaque effectus debeat esse vere secutus, requiritur ut ex machinatione mors conjugis sit secuta, nec sufficit ut causam habuerit imperitiam medici vel culpam alterius; quamquam probandum foret revera alterius culpae mortem esse ad-

(1) Cf. Conrad. l. c. n. 7 sqq., de Justis, l. c. n. 4 sqq., S. Alph. n. 1033 sq. 1036, Carr. n. 727 sqq., van de Burgt. n. 145 sq., Kutschker. t. 3, p. 470 sqq., Scavin. t. 4, n. 535, tr. Mechl. n. 83, Bangen, tit. 2. p. 141 sq., Giovine, t. 1. p. 410 sqq., Gury et Ballerin. t. 2, n. 821.

scribendam. Nec sufficit sola occisionis ratihabitio; non enim adest tunc secunda mox indicanda conditio; neque sufficit alterius, quam conjugis, personae matrimonio obstantis occisio; nam non est conjugicidium.

2° Ut in conjugis illius mortem uterque conspiraverit.

3° Ut haec conspiratio fiat intentione matrimonium cum complice contrahendi. Quaestionem quidem movent auctores de hujus intentionis necessitate, eamque nonnulli negant, quia sacri canones nullam ejus mentionem faciunt; sed communius merito affirmatur; nam impedimentum praecise constitutum est ne veniatur ad conjugicidium. Potior vero disputatio est debeatne intentio ejusmodi ab utraque parte haberi, et an saltem unius partis intentio debeat alteri parti esse manifestata. Hujus manifestationis necessitatem opinamur sequi ex duabus simul sumendis rationibus, scil. quod requiratur utriusque conspiratio, et quod constitutum sit impedimentum ne spe matrimonii veniatur ad conjugicidium. Porro opinamur, manifestatione sufficienter facta et ab altera parte non rejecta, hoc ipso utriusque intentionem, quam propter duas modo indicatas rationes omnino requiri existimamus, ex machinatione probari. Quum tamen in foro externo semper intentio praesumatur, in praxim fori externi vix ejusmodi dubia influunt, eo vel magis quod, si machinatio sit publica vel futura publica, non possit procedi auctoritate propria in veris hujusmodi de matrimonio dubiis. Quod idem extra casum urgentissimum dicendum est, si de matrimonio contrahendo agatur, etiamsi nec publica nec futura publica sit machinatio. Ad summum igitur utilitatem in foro externo habent hujusmodi dubia post contractum matrimonium, et deficiente publicitate jam existente vel futura. Quod vero spectat ad eorum in foro interno, extra casum publicitatis aut praesentis aut futurae, utilitatem, vid. n. 451 in fine.

454. Tertia hujus impedimenti species est (1) conjugicidium

(1) Cf. Conrad. et de Justis ll. cc., S. Alph. n. 1033, 1035 sq., *Vindi-*

cum adulterio conjunctum, et commissum ab una parte animo matrimonium contrahendi cum complice adultero, id est, cum persona cum qua sive jam commissum est, sive postea ante conjugis mortem committetur adulterium. Hoc enim sensu intelligenda sunt illa verba : « cum complice adultero »; nonnulli autem, nimis ad literam ea urgentes, immerito excludunt impedimentum quoties adulterium non praecedit machinationem. Ad impedimenti existentiam sufficit sed requiritur, ut durante eodem conjugio concurrant adulterium et conjugicidium; cf. mox infra sub 2°.

Requiritur autem 1° adulterium tale, quale descriptum fuit n. 450. 2° Ut adulterium committatur priusquam caedes effectum habeat seu ante conjugis mortem; debent enim durante eodem, quod laeditur, matrimonio concurrere. Scribunt aliqui non sufficere ut adulterium committatur post machinationem sed ante mortem; nimis enim absolute et ad literam sumentes verba « cum complice adultero », haec, nisi tempore machinationis jam fuerit commissum adulterium, non verificari dicunt. At eo quoque casu impedimentum existere affirmandum ducimus (1). 3° Ut mors vere sequatur ex physica vel morali operatione machinantis (n. 453 sub 2°). 4° Ut caedes fiat animo contrahendi cum parte ante conjugis mortem adulterii complice (n. 453 sub 3°). Sufficere tamen intentionem solius machinantis, etiamsi non manifestatam alteri, ex eo deducimus quod in hac tertia hypothesi non requiratur utriusque machinatio. 5° De dubiis, quae hanc tertiam speciem concernunt, dicito ut n. 451 in fine, et n. 453 sub 3°.

Quamquam in hac tertia hypothesi unum tantum est impedimentis criminis, multiplex tamen erit si et adulterium et conju-

ciae Alphonsianae, ed. Tornac. t. 2, p. 470 sq., Carr. n. 738 sqq., Bangen, tit. 2, p. 140 sq., van de Burgt, n. 147 sqq., Scavin. t. 4, n. 535, tr. Mechl. n. 84, Giovine, t. 1, p. 411, Gury et Ballerin. t. 2, n. 822.

(1) Cf. init. hujus numeri, Carr. n. 738, tr. Mechl. l. c., Gury et Ballerin. l. c., de Angelis l. c. p. 185 sq.

gicidium ejusmodi sint stipata circumstantiis, ut prima quoque vel secunda hypothesis inde exsurgat.

455. Multiplex (1) est criminis impedimentum 1° quando una e tribus hypothesibus expositis verificatur circa diversa matrimonia; 2° quando circa unum matrimonium verificantur plures ex dictis hypothesibus; 3° quando harum plures verificantur circa diversa matrimonia; 4° quando in prima hypothesi cum adulterio concurrit tum promissio tum attentatio, vel quando in alterutro vel utroque primae hypothesis casu multiplicatur impedimentum per unam vel plures e tribus prioribus modo indicatis multiplicitatis causis. Sed non multiplicari impedimentum criminis hoc solo quod delinquentes uterque sunt conjugati et adulterium ab utraque parte fuit formale, colligitur ex eo, quod postrema haec adulterii qualitas necessaria est ad simplex etiam criminis impedimentum. Unde non multiplicatur tunc impedimentum, nisi alter alterius matrimonii scientiam habeat (n. 450 in fine).

456. Sunt qui, sive theoretice probabile, sive etiam practice, existimant non incurri hoc impedimentum ab ignorantibus illud crimini esse annexum, quum poenae rationem habeat (2). Communissime tamen id rejicitur (3), ideo praesertim quia ratio poenae subsidiaria est, primaria vero illa inhabilitatis nixae non vindicta criminis, sed motivis n. 448 indicatis. Ignorantia illa juris non solum non admittitur in foro externo, sed et censemus ne in foro quidem interno practice posse haberi impedimentum ut non existens.

(1) Cf. Carr. n. 712, van de Burgt, *De matr.* n. 137, 150, *De dispens.* n. 26, tr. Mechl. l. c., Giovine, t. 1, p. 181.

(2) Cf. Pichler, n. 6 sqq. h. t., et op. *Decisiones casuum*, decis. 130, Ballerin. ad Gury, t. 2, n. 788.

(3) Cf. Reiff. n. 26 sqq. h. t., Boeckhn, n. 17 sqq. eod., Wiestner. n. 16 sqq. eod., Zallinger, § 113 eod., Carr. n. 745, Ferrari, t. 2, n. 388, Gury l. c., Giovine, t. 1, p. 411, Avanzin. *Acta S. Sedis*, vol. 6, p. 107 sq., *Vindiciae Alphonsianae*, ed. Tornacen. t. 2, p. 452, de Angelis l. c. p. 187 sqq., *Nouv. rev. théol.* t. 13, p. 381 sqq., Konings n. 1574, q. 3.

457. Confessarii cautissime attendere debent ad hoc impedimentum, quod plerumque indirecto tantum modo detegitur (1). Cum eo quoque componenda sunt quae ad ligaminis impedimentum spectant. Unde si quis, vivente legitima comparte, matrimonium attentaverit et consummaverit cum alia, utroque prius illud ligamen notum habente, numquam aliter quam per novum consensum, post dispensationem in criminis impedimento praestitum, validari matrimonium potest; sanationi vero in radice locus non est (n. 440, c. 20, et 35 § 2 sq.). Quod si prioris matrimonii adhuc existentia uni parti fuerit ignota, ideoque criminis impedimentum non adsit, tunc quidem, mortuo compartis suae priori conjuge, liberum illi est respuere matrimonii revalidationem; sed, si hanc ipsa postulet, decipiens ad eam tenetur (2). In praxi tamen prudentia magna opus est, et quia coacta matrimonia tristem solent habere exitum, circumstantiae sunt a judice ecclesiastico attente ponderandae et parti deceptae ob oculos ponendae. Revalidatio tamen semper novum consensum mutuum exigit. Quomodo et qua forma iste sit praestandus, in c. 35 exponetur.

458. Si ea, quae pro fidelibus impedimentum dirimens criminis inducunt, contigerint inter infideles (3), matrimonium in infidelitate contractum validum est, nisi simul interveniat impedimentum ligaminis; criminis enim impedimentum est juris mere ecclesiastici. Si vero princeps civilis pro subditis suis infidelibus statuerit hoc impedimentum, dicito ut sup. nn. 368, 380, 408, 436. Praeterea considerantes per Baptismum ita deleri crimina in infidelitate commissa, ut in disciplina etiam ecclesiastica eorum memoria obliteretur, sequentem circa reliquas quaestiones doctri-

(1) Cf. Moser. c. 11, n. 13, tr. Mechl. l. c.

(2) Vid. c. *Propositum* 1 et c. *Veniens* 7 h. t., de Angelis l. c. p. 183 sq.

(3) De iis cf. de Justis, l. c. n. 59 sqq., S. Alph. n. 1037, Carr. n. 744, tr. Mechl. n. 81, van de Burgt, *De matr.* n. 48, Scavin. t. 4, n. 535, Giovine. t. 1, p. 405, 410, Ballerin. ad Gury, t. 2, n. 823, de Angelis l. c. p. 181, 186 sq., et t. 2, part. 2, p. 138 sq., Konings, n. 1593 *Not.*

nam tuemur. 1° Si uterque adulter aut machinans uterque est infidelis, numquam existit impedimentum, licet postea convertantur. 2° Si unus complex est fidelis, alter infidelis, et fidelis etiam ea posuit quae impedimentum inducunt, hoc existit (1); secus vero, si solus infidelis illa posuit. 3° Si unum ex iis, quae ad impedimentum postulantur, contigit in infidelitate, alterum vero post Baptismum, impedimentum non existit, excepto tamen si in prima hujus impedimenti hypothesi promissio quidem vel attentatio matrimonii locum habuit in infidelitate, sed in ea post Baptismum perseverantes adulterantur; tunc enim promissio illa vel attentatio revera etiam, quamquam virtualiter, locum habet seu veluti renovatur post Baptismum.

CAPUT XX.

DE IMPEDIMENTO DISPARITATIS CULTUS, ET CASU, QUEM VOCANT, APOSTOLI.

459. Dispar cultus proprie dicitur, quando altera pars est baptizata altera vero non est; praestat igitur locutionem illam non adhibere pro matrimonio, ut vocant, mixto, seu inter partes catholicam unam, haereticam vel schismaticam alteram, de quo in c. 26. Ea autem cultus disparitas quae supervenit matrimonio, quia una pars est conversa ad fidem et baptizata, non dirimit matrimonium in infidelitate contractum; sed hoc dissolvitur per alias nuptias, servatis servandis, initas a parte fideli in casu, quem vocant, Apostoli (n. 471 sqq.). Ea vero, quae antecedit matrimonium, est impedimentum dirimens (2), quo invalidum est matrimonium contractum inter baptizatum et infidelem, etiamsi

(1) Cf. c. *Laudabilem* 1, *De conversione infidelium*.

(2) Plerique canonistae de eo scribunt ad tit. *De spons. et matr.*, aliqui vero ad tit. *De conversione infidelium* vel ad tit. *Qui clerici vel voventes*, cet.

pars baptizata sit haeretica vel schismatica vel apostata, vel pars infidelis sit catechumena vel bona fide credatur baptizata. Quamquam autem jure ecclesiastico consuetudinario hoc impedimentum fuit inductum, viget tamen ubique terrarum, etiam in regionibus in quibus nondum fuit, imo nec potuit esse, consuetudini locus (1).

460. Quoties igitur constat de Baptismo non suscepto vel nulliter suscepto, verum est matrimonium, si utraque pars in ea conditione versetur, irritum vero si una tantum; et in hoc casu debet absolute Baptismus conferri, et matrimonium, si ejus validatio sit optanda, denuo contrahi. Quoties vero de Baptismi susceptione seu validitate prudens tantum dubium manet, iteratur Baptismus sub conditione, sed pro matrimonio nihil novi praestatur; ratio autem diversae pro Baptismo solutionis est in ejus omnimoda necessitate. In nonnullis tamen regionibus, in quibus plurimi Baptismum negligunt, propter peculiares has circumstantias episcopi, in casu dubii de suscepto ab alterutra parte Baptismo, ad cautelam utuntur facultate sibi concessa dispensandi in disparitate cultus (2).

461. Licet Baptismus sub conditione iteretur, nihil novi esse faciendum pro matrimonio, documentis Apostolicis constat. Pro hac solutione secretarius S. C. C. in *Brixien. Dubia bapt. et matr.* 27 aug. 1796 (3) ducit argumentum ex decisione S. Off. 29 sept. 1734. Miles quidam matrimonium contraxerat, et dein de ejus

(1) Cf. Ben. XIV epist. *Singulari Nobis* 9 febr. 1749 (*Bullar. Ben. XIV*, t. 3. const. 2; ed. Mechl. vol. 7, p. 10 sqq.), S. C. de Prop. Fide 23 jul. 1760, et S. Off. 1 aug. 1759 (ap. Perron. *De matr. christ.* ed. Rom. t. 2, p. 339 sq.), Planchard ap. *Nouv. rev. théol.* t. 15, p. 402 (406) sqq. An et quomodo episcopus opportune aliquid de disparitate cultus pro sua dioecesi statuat, vid. ap. Ben. XIV, *De syn.* l. 6, c. 4, n. 6.

(2) De hac tamen agendi ratione, si generaliter spectetur, vid. S. Off. 3 aug. 1873 (Planchard ap. *Nouv. rev. th.* t. 15. p. 399 [403] sq., coll. p. 397 [401] sq.).

(3) *Thes. S. C. C.* t. 65.

Baptismo dubium movebatur. Testatur praefatus secretarius : « Dubio autem per consultorem ejusdem S. C. (1) discusso, licet expressam matrimonii mentionem fecisset, nullam tamen super eo proposuit providentiam; et Sacra illa Congr. sub die 29 sept. 1754, de uno baptismate solicita, commisit Vices-gerenti Urbis, *ut Oratori conferre faciat baptismum sub conditione et secrete.* » Ipsa quoque S. C. C. in *Tarvisina Baptismi* (2) ad dubium : « An Laura Dolfini baptizari debeat sub conditione in casu, » die 4 maii 1757 respondit : « Affirmative, et secreto, et sine praejudicio validitatis matrimonii. » Idem reperitur in rescriptis Sedis Ap. citandis n. 464 sqq. et in resc. S. Off. 9 sept. 1868 (3). Merito igitur occasione cit. *Tarvisinae* scribit Giraldus (4) : « Notandum, et quidem speciatim, quoties reiterandus est baptismus, si res est de adultis, semper reiterandum esse secreto, sive adultus ligatus sit, sive non matrimonio, et sine praejudicio matrimonii, si quod prius fuerit rite contractum. »

462. Sed et ipsum Baptismum conditionate iterare non licet, idque sub poena irregularitatis, nisi post sedulam investigationem prudenter dubitetur de prioris Baptismi susceptione seu validitate. Non enim sufficit mera circumstantia, quod infans fuerit domi baptizatus ab obstetrice aliave laica persona; sed accurate in modum ab ea servatum inquirendum est, ut deinde perpendatur an prudens supersit dubitatio (5). Atque haec quidem quando

(1) Nempe S. Officii.

(2) *Thes. S. C. C.* t. 8.

(3) Planchard ap. *Nouv. rev. th.* t. 15, p. 402 (406).

(4) *Expos. jur. Pont.* part. 1, sect. 615.

(5) Cf. Catech. Rom. part. 2, c. 2, n. 57, S. C. C. in una 29 dec. 1682 (ap. Ben. XIV, *Inst. eccl.* 84, n. 5) et in una *Dubii Baptismi* 27 mart. 1683 (Ib. n. 7, et ap. Zambon. v° *Baptismi sacramentum.* § 2, n. 1 et 2), Ben. XIV, *Inst. eccl.* 8 et 84, *De syn.* l. 7, c. 6. De nonnullis dubiis circa valorem Baptismi, eoque aut absolute aut sub conditione iterando necne, in casibus tamen, in quibus constabat de certa persona quae baptizaverat, cf. S. C. C. in *Cenecten.* 12 maii 1735 (*Thes. S. C. C.* t. 22). *Constantien.*

certa est persona quae baptizavit; quid vero si dubium sit magis generale et de certa persona baptizante non constet (1)? Expositos praecipue hoc dubium concernit. Alii auctores tradunt eos, de quibus omnino ignoratur an fuerint baptizati, et qui nullam habent pro Baptismo probabilem conjecturam, esse absolute baptizandos; sub conditione vero eos, qui collati Baptismi conjecturam habent, ex. gr. schedulam collo vel alteri corporis parti appensam, in qua scriptum est eos esse baptizatos. Alii vero censent puerum inter catholicos natum ne conditionate quidem esse rebaptizandum, nisi concurrant circumstantiae suspicionem ingerentes, ex. gr. si in loco sint infideles aut anabaptistae aliive qui filios suos non baptizant. Alii demum censent ne conditionato quidem Baptismo esse locum, si infans cum schedula supra dicta reperiatur. Sed in una *Urbis* 18 dec. 1723 (2) proposito dubio : « Quomodo se gerere debeat parochus S. Spiritus in Saxia in collatione baptismatis infantibus, qui ad archihospitale deferun-

8 jul. 1769, 20 januar. 1770 (Ib. t. 38 et 39), *Sutrina Baptismi* 12 jul. 1794 (Ib. t. 63), *Brixien. Dubia bapt. et matr.* 27 aug. 17 dec. 1796 (Ib. t. 65), *Brixien. Baptismi* 11 febr. 1797 (Ib. t. 66), *Fesulana Baptismi* 24 maii 1823, 8 maii 1824 (Ib. t. 83 et 84), *Forosempronien. Baptismi* 24 maii 1823 (Ib. t. 83), *Senen. Baptismi* 16 aug. 1828 (Ib. t. 88). Synodus Pudicheriana a. 1844 haec statuerat : « Dum Catechistae non instructi sint ea scientia ac peritia quae certitudinem ac fiduciam circa validitatem collati Baptismi dare potest, donec majorem quam in praesenti pariant fiduciam, pueros rebaptizandi sub conditione usum retinendum esse censuit Synodus. » Sed S. C. de Prop. Fide in sua de hujus synodi approbatione epistola 26 jul. 1845 de eo statuto sic loquitur : « Gravis est abusus nec tolerabilis rebaptizandi omnes, quos catechistae baptizaverint, propter generale validitatis dubium. Id videlicet repetita Romana Decreta vetant. Ergo nonnisi post institutum singulorum casuum examen ad baptismi conditionalem repetitionem veniendum erit. » Vid. etiam S. Off. 6 apr. 1859 ad 3 (inf. n. 467).

(1) De hujusmodi dubiis agebatur a S. C. C. in *Ripana* 12 dec. 1733 (*Thes. S. C. C.* t. 6), *Tarvisina Baptismi* 28 apr. 1736, 4 maii 1737 (Ib. t. 7 et 8), *Nullius Nonantulae* 2 mart. 1763 (Ib. t. 34).

(2) *Thes. S. C. C.* t. 2.

tur, sive iidem habeant schedulam de baptismo testantem sive non habeant, et etiamsi ex colore, et caeteris corporis qualitatibus deprehendatur, eosdem esse constitutos in aetate sex, aut decem mensium, vel unius anni cum dimidio », die 15 januar. 1724 respondit S. C. C. (1) : « Esse baptizandos sub conditione in omnibus casibus expositis juxta instructionem, et instructio est, quod excipiatur a baptismo sub conditione casus schedulae quae haberet certitudinem. » Haec certitudo tunc solum adest, quando certa habetur notitia personae, a qua schedula est exarata, eique fides tuto praestari potest. In casu igitur talis schedulae, vel quando aliud indubitatum habetur indicium collati Baptismi, is ne conditionate quidem est conferendus (2).

Extra casus praedictos observa haec verba c. 3 *De presb. non baptizato* : « Et certe de illo, qui natus de christianis parentibus, et inter christianos est fideliter conversatus, tam violenter praesumitur, quod fuerit baptizatus, ut haec praesumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur. » Vid. etiam S. C. C. in *Nullius Nonantulae* 2 mart. 1765 (3).

463. Maxime hae quaestiones usuveniunt pro haereticis conversis. Baptizatum etiam ab haeretico non licet sub conditione rebaptizare, nisi posi diligens rei examen prudens persistat dubium (4). Propter recentiorem tamen haereticorum in multis regionibus in Baptismi collatione rationem agendi opportunum est recentiora quaedam, praesertim Sedis Ap., subjicere documenta.

464. Episcopus Anneciensis in Sabaudia hoc dubium propo-

(1) Ib. t. 3.

(2) Cf. Ben. XIV, *Inst. eccl.* 8, n. 8, *De syn.* l. 7, c. 6, n. 5 sq., epist. *Postremo mense* 28 febr. 1747, § 31 (*Bullar. Ben. XIV*, t. 2, const. 28: ed. Mechl. vol. 5, p. 54).

(3) Ap. Zambon. v° *Baptismus* § 2, n. 8.

(4) Cf. S. C. C. in cit. *Dubia Baptismi* 27 mart. 1683 ad 2, Ben. XIV, *Inst. eccl.* 84, n. 6 sq., *De syn.* l. c. n. 7 sqq.

sucrat : « An Calvinistae et Lutherani in illis partibus degentes, quorum baptisma dubium et suspectum est, infideles habendi sint, ita ut inter eos et catholicos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur. » S. Off. fer. 4, die 17 nov. 1830 respondit : « I. Quoad haereticos quorum sectae Ritualia praescribunt collationem baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis. II. Quoad alios, qui juxta eorum Ritualia baptizant valide, validum censendum est baptisma. Quod si dubium persistat etiam in primo casu, censendum est validum baptisma in ordine ad validitatem matrimonii. III. Si autem certe cognoscatur nullum baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium (1). »

Praefata Declaratio a. 1830 paucis post annis sequenti casui particulari fuit applicata (2). Propositum fuit : « Vir quidam protestans Anglicanae ecclesiae vult amplecti Catholicam Religionem. In Anglia matrimonium fecit cum muliere, quae ad sectam Anabaptistarum pertinebat, et quae, prout ipse affirmat, nunquam baptizata fuit. Quum vir ipse baptismum a ministro protestante Anglicano receperit, de validitate ejus proprii baptismatis ratio quoque gravis dubitandi existit. Propter jurgia continua mulierem Anabaptistam vir praefatus deseruit, venitque N., ubi matrimonium iterum fecit, sed cum muliere Lutherana. Quaenam ex istis mulieribus tanquam ejus uxor vera haberi debet? » Respondit S. Off. fer. 4, die 20 jul. 1840 : « Dummodo constet de non collatione baptismi mulieris Anabaptistae, primum matrimonium fuisse nullum; secundum vero, dummodo nullum aliud obstet impedimentum, fuisse validum. Ad dubium autem validitatis baptismi viri, standum esse decreto feriae IV, 17 nov. 1830, nempe, » cet.

(1) Ap. *Mél. théol.* ser. 3, p. 140 sq.; cf. Planchard ap. *Nouv. rev. th.* t. 15, p. 397 (401), et S. Off. 5 febr. 1851 (n. 467).

(2) Ap. *Mél. théol.* ser. 3, p. 141 sq.

465. Synodus Pudicheriana a. 1844 statuerat : « Juxta usum generatim exceptum, omnes pueri qui a pseudo ministris protestantibus, quidquid de istorum dotibus et opinionibus praedicetur, baptizati sunt, sub conditione rebaptizandi sunt. Hoc ita statuitur, ex eo quod merito et multis rationibus dubitatur de fidei capitibus et praxi diversarum sectarum, quae ex reformatione prodierunt. » Sed S. C. de Prop. Fide in jam cit. epist. 26 jul. 1845 rescripsit : « Baptizatos porro ab hodiernis haereticis denuo a catholicis baptizari non est imprudens, nec insuetum, propter haereticorum incertam et suspectam praxim, non tamen eo nomine quod dubitetur *de fidei baptizantium capitibus*. Etenim si certo constaret praedictos haereticos legitimam adhibuisse materiam, formam atque intentionem, rebaptizare prorsus non liceret, ut omnes norunt, neque Synodi Patres certe ignoraverunt, qui illis decreti sui verbis nihil aliud fortasse designant quam hodiernos haereticos socinianos, methodistas, quakeros, et forte alios, qui cum baptismi necessitatem negent, ritum fere contemnunt, atque idcirco baptizare recte, aut nullo modo creduntur. »

466. In conc. prov. Westmonasteriensi a. 1852 haec habentur (1) : « Cum magis invaluerint causae quae animos vicariorum apostolicorum, ineunte hoc saeculo, impulerunt, ut decernerent, omnes post annum 1773 natos, et inter protestantes baptizatos, conversos ad fidem, esse baptizandos sub conditione, hanc regulam absolute innovamus, praecipientes omnes a protestantismo conversos esse baptizandos conditionate, nisi ex indubiis probationibus certissime constet in ipsorum baptismo omnia rite fuisse peracta, quoad materiae et formae applicationem. »

467. Pro Hollandia rescripsit S. Off. 5 febr. 1851 (2) : « Gene-

(1) Part. 2, decr. 16, sub 7°. Juxta Newman dimidia ferè pars sectariorum et anglicanorum Angliae non est Baptismo rite tincta : cf. Perron. *De matr. christ.* ed. Rom. t. 2, p. 342. Ritualistarum tamen Baptismum praesumi rite collatum scribit Konings l. c.; de iisdem vid. dubium a. 1868 S. Sedi propositum (n. 470).

(2) Ap. Soglia, *Institt. jur. priv. eccl.* § 184.

ratim loquendo, qui in Hollandia convertuntur ad catholicam fidem, habendos esse ex capite baptismatis tanquam valide conjugatos, nisi forte certe et evidenter constet in aliquo casu particulari haereticum, de quo agitur, fuisse revera nulliter baptizatum; sed Oratorem, quoties occurrunt casus particulares hujus generis, recurrere debere cum expositione omnium omnino casus circumstantiarum ad S. Sedem. Et detur decretum authenticum feriae IV, diei 17 nov. 1830, a s. m. Pio Papa VIII approbatum. »

Ad ep. Harlemensem haec rescripsit S. Off. 6 apr. 1859 (1) : « II. Secundum dubium de haereticorum Baptismo cietur : 1° an baptizati ab haereticis promiscue sint sub conditione baptizandi? 2° An saltem illi, quos non constat in particulari valide baptizatos fuisse? Ad utrumque et alia similia fit satis per resolutionem S. C. C., cui obsequendum esse probat Ben. XIV *De Syn.*, l. VII. c. VI. n. 7 = Die 29 martii 1683 : An et in quibus casibus baptizati ab haereticis debeant sub conditione rebaptizari si ad fidem catholicam convertuntur? Respondit : Non esse rebaptizandos, nisi adsit dubium invaliditatis baptismi (2) =. Itaque luculenter patet, non praeceps, nec temere baptismum iterandum esse, sed in singulis casibus, diligenti instituto examine a testibus fide dignis, si repertum fuerit eo loci valide baptizari consuevisse, acquiescendum erit; si vero adhuc probabile dubitandi motivum supererit, tunc conversus rebaptizabitur sub conditione. Ast hujus negotii judicium cui committendum? Ad hoc quod tertio loco proponebatur, dicendum est, posse Episcopum regulariter loquendo in casibus, ubi non urgeat necessitas, et alias a jure non definitis, sibi reservare tale judicium, quinimo quandoque ob graviores difficultates ad S. Sedem tum in quaestionibus de Baptismo, cum in quovis alio catholicae doctrinae themate recur-

(1) Ex ep. Harlemensis ad clerum litt. 31 oct. 1859.

(2) Cf. sup. p. 330, not. 5; in ipso S. Off. rescripto voci *dubium* additum legitur *probabile*.

rendum esse jura ipsa decernunt. III. Tertium quaesitum de Baptismo infantium cietur domi ab obstetricibus aliisve collato... Sed quoad hoc plura verba congerere supervacaneum foret, cum a Summo Pontifice Ben. XIV copiosam solidamque pro more conditionem regulamque practicam expositam reperire poterit A. T. *De Syn.* l. VII. c. 6 et *Instit.* 8 ac 84. Tanti Doctoris instructiones sequi oportet, ad perimendas obortas lites, ac ad praxim tuto ineundam aptissima [s]. »

Conc. prov. Ultrajectense a. 1865 haec decernit (1) : « Propter gravia dubia quae generatim obstant validitati Baptismi nostris in regionibus, diligentia pietatis exigit, ut qui ex haeresi ad Ecclesiam redeunt ut plurimum sub conditione rebaptizentur. Verum ne temere id fiat, extra casum imminentis mortis periculi, sententia Episcopi exquirenda semper erit, qui judicabit in casibus particularibus, an aliquod probabile dubium de validitate subsit. »

468. In Appendice ad conc. plenarium secundum, Baltimori habitum a. 1866, n. 16, sequens refertur rescriptum : « Sanctissimus, in audientia habita die 20 dec. 1837. — Audita relatione dubii, utrum scil. in praesumptione Baptismi invalide collati parti haereticae, matrimonium cum parte catholica a Sede Ap. dispensata inire cupienti, conferri debeat iterum Baptisma sub conditione, dixit : Detur Decretum latum die 17 Septembris [Novembris] 1830, ut sequitur — Quaesitum erat, an Calvinistae [vid. sup. n. 464]... nullum est matrimonium — Hisque omnibus SS^mus^ supperaddi mandavit : in tertio casu praefati decreti respiciente nullitatem certam Baptismi in parte haeretica, recurratur in casibus particularibus. » Scribit autem Kenrick (2) : « Crescente in dies sectarum incuria et temeritate, mos inductus est in Anglia, ab anno praesertim 1773, baptizandi *quoslibet con-*

(1) Tit. 4, c. 2 ; cf. etiam syn. dioec. Ultrajecten. a. 1867, c. 7, et syn. dioec. Harlemen. a. 1867, c. 7.

(2) *Theol. mor.* tr. 15, n. 43 cf. etiam tr. 21, n. 48, 162, Heiss, *De matr.* § 36.

versos sub conditione, nisi certo constaret de baptismo prius valide suscepto. Idem apud nos obtinuit. Caeterum de rei veritate semper inquirendum. » Memoratum concilium plenarium Baltimorense II haec decrevit (1) : « Haeretici autem plerique, cum de Baptismo parum recte sentiant, eamque merae caeremoniae loco habeant, quae nihil ad animae salutem consequendam juvet, ritus quosdam, qui maximi momenti sunt, et sine quibus haud consistit sacramenti ratio, negligere saepissime solent. Ideoque eos, quos singularis Dei gratia ex illorum castris evocat atque educit, quum Ecclesiae nomen dant, iterum baptizari fere semper oportet. Neque tamen omnes ab haereticis olim baptizati, statim temere a sacerdote ad quem accedant, iterum baptizari debent. Hoc enim fieri vetatur, — dummodo non adsit probabile dubium invaliditatis baptismi — (2). Neque de omnibus, nullo discrimine, per principia quaedam, ut ajunt, generalia judicandum est : sed in singulos, qui oblati fuerint, casus, non levi quidem aut perfunctorio, sed diligenti examine, inquirendum est explorandumque, num in singulis servata fuerit debita materia ac forma. Quod postulat tum Sacramenti dignitas, tum verba ipsa legis ecclesiasticae (3), quae Roma paucos ante annos ad nos transmissa fuit. Si, post accuratum examen, aliquid necessarium defuisse constet, Baptismus absolute iteretur; si dubium aliquod adhuc supersit, iteretur adjecta conditione. »

Alia huc spectantia rescripta dedit S. Off. 18 dec. 1872 (4),

(1) Tit. 5, n. 240.

(2) « Decl. Sac. Congr. Concilii 27 mart. 1683, apud Zamb. I, 210; Decr. S. Congr. Inquis. 17 nov. 1830. »

(3) « — Instituto diligenti examine. — Instructio Sac. Congr. S. Officii 20 julii 1859, in Appendice hujus Conc. Cf. Ben. XIV, de Syn. Dioec. VII, 6, § 7; et Inst. Eccl. LXXXIV. Vid. etiam recentissimam Constitutionem a S. Congr. Rit. probatam et in Syn. Philadelphien. sexta promulgatam, in Append. hujus Conc. »

(4) Ap. *Nouv. rev. th.* t. 9, p. 453 sq., *Anal. jur. Pont.* ser. 16, col. 246 sqq.

3 aug. 1875 (1), 3 apr. 1878 ad 4 (2), 20 nov. 1878 (3), quorum verba referre nimis longum foret.

469. In praevio itaque, quod semper institui debet, circa Baptismum examine sedulo debent sectarum ac regionum diversa adjuncta considerari. Generatim videntur esse infideles *nati* in sectis Socinianorum seu Unitariorum, Methodistarum, Quakerorum, Swedenborgianorum, Rongianorum seu liberarum, ut vocant, ecclesiarum, aliorumque hujusmodi (4), estque ad hoc pariter attendendum pro natis ex parentibus Solidariorum, ut vocant, seu liberorum cogitatorum placitis addictis. In singulis tamen casibus examen est instituendum. Etiamsi autem non agatur de natis in secta Baptismum ejusve necessitatem respuente, vel ex ritu suo nulliter eum conferente, observandum tamen est an in loco, in quo quis natus est, acatholici passim negligant Baptismum vel magnae circa eum sint negligentiae (5). Ceterum ex multarum dioecesum statutis non licet, nisi habita prius Ordinarii licentia, ad Baptismum adultorum, vel ad Baptismi sive absolutam sive conditionatam iterationem procedere, aut generaliter, aut quando agitur de adultis, aut saltem quando agitur de haereticis conversis; imo pro horum reconciliatione et recipienda

(1) Planchard ap. *Nouv. rev. th.* t. 15, p. 399 (403) sq.

(2) Ap. Vering, *Archiv*, t. 41, p. 182 sq. Huic causae additam epistolam card. Caterini 13 apr. 1878 vid. ib. p. 183 sq.

(3) Ib. t. 43, p. 51, *Acta S. Sedis* t. 11, p. 605 sq., *Nouv. rev. th.* t. 11, p. 369 sqq.

(4) De diversis sectis vid. O'Kane, *Explication des Rubriques du Rit. Rom.* gallice versa a Brunet, Par. 1870, p. 234 sqq., Konings, n. 1264, sub III. Baptismus a Graecis schismaticis et haereticis Orientalibus collatus pro valido est habendus; cf. O'Kane et Konings ll. cc.

(5) « Examine ea, qua fieri poterit, ratione peracto, plerumque dubium hodie remanebit Baptisma ab haereticis collatum. Quapropter universim sub conditione iteratur, non apud nos tantum, sed et in Anglia, Galliis, Germania, Belgio, Hollandia, et, testante Perrone, etiam Romae; » Konings l. c. Cf. etiam *Nouv. rev. th.* t. 4, p. 27, Syn. plenar. Maynuth. a. 1875, n. 39.

abjuratione in multis dioecesibus Ordinarii licentia postulatur; praeterea ubique obtinenda est facultas absolvendi a censuris (1).

470. Diversam pro casuum diversitate cum haereticis conversis observandam praxim distincte exhibet S. Off. Instructio, fer. 4, 20 jul. 1859 (2), his verbis : « In conversione haereticorum inquirendum est primo de validitate Baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur diligenti examine, si compertum fuerit, aut nullum, aut nulliter conlatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem investigatione peracta, adhuc probabile dubium de Baptismi validitate supersit, tunc sub conditione iteratur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad Abjurationem, seu Professionem Fidei. Triplex igitur in conciliandis haereticis distinguitur procedendi methodus : 1. Si Baptismus absolute conferatur, nulla sequitur Abjuratio, nec Absolutio, eo quod omnia abluit Sacramentum Regenerationis. 2. Si Baptismus sit sub conditione iterandus, hoc ordine procedendum erit : A. Abjuratio seu fidei Professio, B. Baptismus conditionatus, C. Confessio Sacramentalis cum Absolutione conditionata. 3. Quando denique validum judicatum fuerit Baptisma, sola recipitur Abjuratio seu Fidei Professio, quam Absolutio a censuris sequitur (3). » Ordo in hac Instructione pro casu iterandi sub

(1) Cf. O'Kane l. c. p. 243 sqq.

(2) Cf. cit. conc. plenar. secundum Baltimorense, in Append. n. 7. coll. ipsius concilii tit. 5, n. 240, 242.

(3) Ibidem immediate subjicitur : « Notandum vero Abjurationem, seu Professionem Fidei, aliam esse ab ea quae habetur in Bulla Pii IV. Nam a Suprema S. C. S. Officii praescripta fuit illa, quae adnectitur, pro conversione haereticorum, eaque utetur Episcopus Orator [Philadelphien.], cum formula absolutionis, quae pariter adjungitur. » In eo qui ibidem illico subjungitur ritu seu modo excipiendi professionem fidei peculiaris illa formula anglice refertur, sed nullibi reperire licuit ejus in alia lingua tenorem, nec ullibi dicitur an specialis ejusmodi formula fuerit a S. Sede pro aliis regionibus approbata; exhibetur tamen etiam in Syn. plenar. Maynuth., Append. V n. II. Alibi adhibetur formula Pii IV, cum additione post Conc. Vaticanum facienda jussu Pii IX per S. C. C. 20 januar.

conditione Baptismi quoad hunc ipsum et sacramentalem absolutionem indicatus, uti etiam integrae Confessionis necessitas, aliis quoque Sedis Ap. documentis firmatur, ita ut opus non sit diversis hac in re auctorum opinionibus in incerto vagari; vid. enim S. Off. 12 junii 1715, et 17 dec. 1868 (1).

1877, quae additio utique fieri debet etiam ad praefatam breviorem formulam. Praefatus « Modus excipiendi professionem Fidei Catholicae a neo-conversis » is est : « Sacerdos superpelliceo et stola violacei coloris indutus, sedet in cornu epistolae, (si SS. Sacramentum asservetur in tabernaculo : sin minus in medio Altaris), et coram illo genuflectit neo-conversus; qui codicem Evangelii dextra manu tangens, emittit professionem fidei, prout inferius habetur; vel si nesciat legere, Sacerdos praelegit eidem tarde professionem, ut conversus eamdem intelligere, et cum Sacerdote distinctis verbis pronuntiare possit. [Sequitur supra dicta professionis forma peculiaris]. Postea neo-converso genuflexo manente, sacerdos sedens dicit psalmum *Miserere*, sive psalmum *De profundis*, cum *Gloria Patri* in fine. Quo finito, sacerdos stans dicit : *Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.* secreto. V. *Et ne nos inducas in tentationem.* R. *Sed libera nos a malo.* V. *Salvum fac servum tuum (ancillam tuam).* R. *Deus meus, sperantem in te.* V. *Domine, exaudi orationem meam.* R. *Et clamor meus ad te veniat.* V. *Dominus vobiscum.* R. *Et cum spiritu tuo. Oremus. Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum (hanc famulam tuam), quem (quam) excommunicationis catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat. Per D. N. J. C. Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.* R. *Amen.* Deinde sacerdos sedet et ad profitentem genuflexum versus, eum ab haeresi absolvit, dicens : *Auctoritate Apostolica, qua fungor in hac parte, absolvo te a vinculo excommunicationis quam* [In nota : In dubio gravi aut levi, utrum poenitens excommunicationem incurrerit per haeresim professam, sacerdos hic inserat vocabulum *forsan*] *incurristi, et restituo te sacrosanctis Ecclesiae sacramentis, communioni et unitati fidelium, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Denique abjuranti aliquam poenitentiam salutarem injungat, e. g. aliquas preces, visitare ecclesiam, aut similia. » Absolutio a censuris danda est etiamsi quis credatur tantum haereticus materialis, nam in foro externo non censetur talis.

(1) « Beatissime Pater. Inter decreta primae synodi provincialis Westmonasteriensis sub c. XVI, n. 8, ubi sermo est de abjuratione protestan-

Baptismi conditionatam iterationem esse faciendam secreto seu

tium adultorum, et de baptismate sub conditione eis conferendo, additur = Confessio etiam sacramentalis semper in tali casu est exigenda. = In adnotationibus, quas adjecit Pater Ballerini editioni Romanae Theologiae Moralis P. Gury, dicitur hanc confessionem esse conformiorem Instructioni a Suprema S. Officii Congregatione super modo reconciliandi haereticos editae, ex qua Instructione deducitur, opportunam esse integram peccatorum confessionem. In textu P. Gury tenetur eam esse suadendam in praxi. Quum vero hic auctor tam in Theologia, quam in Casibus conscientiae citaverit opinionem aliorum auctorum docentium propter existentiam dubii de primo baptismate a neo-conversis tempore infantiae suscepto (adeo ut si nullum id fuerit, vera baptismi susceptio sit ea, quae occasione abjurationis sub conditione traditur) dubiam esse obligationem peccata integre confitendi ante hoc baptisma conditionatum, nonnulli Confessarii in Anglia censuerunt, eos auctores secuti, dubiam confessionis integrae obligationem esse nullam obligationem : ac propter repugnantiam conversorum ad eam faciendam, et propter periculum confessionis imperfectae, vel etiam sacrilegae, omnino expedire, ut conversi aliqua tantum peccata Confessario exponant, ut ab eo absolutionis sacramentalis, si forsan ea opus sit, beneficium impetrent. Ex alia parte habetur praxis constans maximae partis Confessariorum Regni integram confessionem tam ante, quam post approbationem Concilii Provincialis non modo suadentium, sed etiam exigentium, habetur difficultas conversorum, intellectum ad obsequium fidei ipsius captivandi, nisi per animi humilitatem et submissionem, quas in Sacramento Poenitentiae Christus Dominus reponere dignatus est; habetur etiam impossibilitas sciendi, nisi per integram peccatorum manifestationem, utrum neo-conversus rite sit ad ipsum baptisma dispositus, velitque, ex. gr., restitutionem famae vel bonorum (si ad eam teneri contigerit) facere, occasionem proximam peccandi vitare, a matrimonio nulliter contracto resilire, etiamsi per S. Sedis dispensationem (uti in casibus quotidie frequentioribus matrimonii post divortium civile contracti) illud sanari nequeat; habetur insuper necessitas suae saluti per justificationem in Sacramento Poenitentiae prospiciendi, a cujus integritate nemo in infantia semel baptizatus possit eximi; attenta praesertim diligentia juniorum e Clero Anglicano circa ritum baptizandi fideliter servandum, et attento proinde majori numero eorum, de quorum baptismatis infantilis valore non licet dubitare. Quum vero certum sit, quod post plures annos confessionis integrae obligatio vim suam omnino sit amissura, si in praxi sequi valeant Theologi uti tutam opinionem auctorum praefatorum, archiepiscopus Westmonasteriensis, et

privatim supra patuit (1); abjuratio autem seu professio fidei, et absolutio a censuris publice fieri possunt.

episcopi Angliae enixe rogant, ut Sanctitas Vestra, pro sua in Missiones Angliae benignitate, dignetur declarare hac super quaestione gravissima mentem Ecclesiae : An debeat, juxta synodi provincialis decretum a S. Sede probatum, confessio sacramentalis a neo-conversis in Anglia exigi, et an ea debeat esse integra? Decretum. Fer. V. loco IV. die 17 dec. 1868. In Congr. gen. S. R. et U. Inq. habita in conventu S. Mariae supra Minervam coram Emis ac Rmis DD. Cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus proposito suprascripto dubio praehabitisque DD. Consultorum suffragiis, iidem Emi ac Rmi Patres ad utramque dubii partem censuerunt respondendum esse : *Affirmative, et dandum esse Decretum latum sub feria quinta die decimaseptima junii anni millesimi septingentesimi decimi quinti.* Eadem die ac feria. SSmus D. N. D. Pius div. prov. PP. IX in solita audientia R. P. D. Adsessori S. Off. concessa Resolutionem Emorum Patrum adprobare ac confirmare dignatus est, eamque una cum memorato Decreto mandavit remitti R. P. D. Archiepiscopo Westmonasteriensi. Angelus Argenti, S. R. et U. I. Notarius. Feria V. die 17 Junii 1715. Dubium. An plena fides sit adhibenda Carolo Wipperman de Rostoch in ducatu Meklemburgh praedicanti et lectori theologiae lutheranae quietisticae, superintendenti et doctori primario sectae Lutheranorum Quietistarum, S. Fidei catholicae reconciliato in S. O. Parmae, et circa nonnullos errores detectos in ejus Baptismo; an ipsi credendum sit circa ea quae enarrat, et quatenus affirmative, tum ut ipsius saluti, tum etiam ut caeterorum illius sectae seu Regionis, praesertim si fuerint ignorantes, saluti pariter consulatur. Quaeritur, an dictus Wipperman sit rebaptizandus, et quatenus affirmative; an confessio praeponenda sit, vel postponenda Baptismo conferendo sub conditione. SSmus auditis votis Emorum dixit : Carolum Ferdinandum esse rebaptizandum sub conditione, et collato Baptismo, ejus praeteritae vitae peccata confiteatur, et ab iis sub conditione absolvatur. Praesens copia concordat cum suo originali. Ita est Angelus Argenti, S. R. et U. I. Notarius. » Cf. *Acta S. Sedis*, t. 4, p. 320 sqq., *Anal. jur. Pont.* ser. 10, col. 928 sqq., *Nouv. rev. théol.* t. 1, p. 207 sqq., t. 12, p. 579 sq., Ballerin. ad Gury, ed. a. 1869, t. 2, n. 419 sq. Praefatum decretum a. 1868 ubique obligare declaravit S. C. de Prop. Fide 12 jul. 1869 (ap. Konings, initio op. cit. p. LX). Confessio autem excipi etiam potest ante baptismum sub conditione, absolutio vero conditionata danda est post baptismum conditionatum, ut declaratum fuit mens. nov. 1875 (ap. Konings, t. 2, p. 414).

1) N. 461; cf. etiam Kenrick, tr. 15, n. 43, et conc. prov. Westmo-

471. Fusior nunc sermo erit de disparitate cultus superveniente (1). Alterutra parte conversa ad fidem et baptizata, non dirimitur quidem hoc ipso matrimonium in infidelitate contractum, sed potest pars fidelis, si infidelis nolit cohabitare vel saltem nolit hoc facere pacifice et sine contumelia Creatoris, novum cum alia fideli inire conjugium, per quod tunc dissolvitur illud quod in infidelitate erat contractum. Quod quidem jus parti conversae factum est a jure divino, promulgato a S. Paulo I Cor. VII, 15, quare *casus Apostoli* appellatur ejusmodi hypothesis (2). Fuerunt qui negarent S. Paulum loqui de vera solutione vinculi, sed de hac et de praxi Ecclesiae illi innixa dubitare prorsus non licet (3). Pro casu autem illo recte ordinando Ecclesia etiam non-

nasteriense a. 1852, part. 2, decr. 16, sub 8°. Quod vero posteriori hoc loco dicitur, rem esse perficiendam cum aqua lustrali et absque ceremoniis, id Apostolico indulto attribueris; nam Patribus conc. plenarii Baltimorensis II supplicantibus ut etiam in America eumdem morem, « qui apud Anglos viget et a Rom. Pontifice probatus fuit » inducere liceret, respondit S. C. de Prop. Fide « pro nunc non expedire; » cf. ipsius concilii tit. 5, n. 244, et S. C. de Prop. Fide Instr. 3, 24 januar. 1868, circa postulata a Patribus concilii, n. 5. An et quaenam ceremoniae sint supplendae vid. ap. S. C. Rit. in *Rhedonen.* 27 aug. 1836 ad 4 (Gard. n. 4780, ubi cf. notam Gard., coll. ejusdem nota ad 3), O'Kane l. c. p. 238 sq., Konings n. 1268 q. 3, coll. n. 1264 sub II. Adhibenda est formula baptismi adultorum, nisi S. Sedes indulserit adhiberi formulam baptismi parvulorum; cf. O'Kane l. c. p. 239 sq., Konings n. 1264 sub I, Syn. plenar. Maynuth. a. 1875, Append. IV.

(1) De ea scribunt canonistae ad titt. citt. n. 459, vel ad tit. *De divortiis.*

(2) Haec sunt Apostoli verba inde a vs. 10 : « Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere : 11. Quod si discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. 12. Nam caeteris ego dico, non Dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam. 13. Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum : ... 15. Quod si infidelis discedit, discedat : non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi : in pace autem vocavit nos Deus. »

(3) Cf. Perron. *Prael. theol.* de matr., n. 66 sqq., *De matr. christ.* ed. Rom. t. 2, p. 312 sq., Ant. Jos. Binterim, *De libertate conjugis infidelis factae fidelis, si* etc. *Quaestio retractata*, Confluentibus, 1834.

nulla praescripsit. Unde tria in sequentibus observanda occurrent, nempe id quod jus divinum constituit, dispensatio vel declaratio juris divini per Romanum Pontificem, et norma ab Ecclesia praestituta. Rei autem universae expositioni praemittimus sequentia a Sede Ap. emanata documenta.

472. 1° In Pauli III const. *Altitudo* 1 junii 1537 (1) haec legimus : « Super eorum vero matrimonium hoc observandum decernimus, ut qui ante conversionem plures juxta eorum mores habebant uxores, et non recordantur, quam primo acceperint, conversi ad Fidem, unam ex illis accipiant, quam voluerint, et cum ea matrimonium contrahant per verba de praesenti, ut moris est; qui vero recordantur, quam primo acceperint, aliis dimissis, eam retineant. »

473. 2° S. Pius V in const. *Romani Pontificis* 2 aug. 1571 (2) : « Cum itaque, sicut accepimus, Indis in sua infidelitate manentibus plures permittantur uxores, quas ipsi etiam levissimis de causis repudiant, hinc factum est, quod recipientibus Baptismum permissum sit permanere cum ea uxore, quae simul cum marito baptizata existit; et quia saepenumero contingit illam non esse primam conjugem, unde tam Ministri quam Episcopi gravissimis scrupulis torquentur, existimantes illud non esse verum matrimonium; sed quia durissimum esset separare eos ab uxoribus, cum quibus ipsi Indi Baptismum susceperunt, maxime quia difficillimum foret primam conjugem reperire : ideo Nos, statui dictorum Indorum paterno affectu benigne consulere, atque ipsos Episcopos et Ministros ab hujusmodi scrupulis eximere volentes, motu proprio et ex certa scientia nostra, ac Apostolicae potestatis plenitudine, ut Indi sic, ut praemittitur, baptizati et in futurum baptizandi, cum uxore quae cum ipsis fuerit baptizata et bapti-

(1) *Bull. S. C. de Prop. Fide*, Append. t. 1. p. 25, *Collectanea... ad usum operariorum Apostolicorum Societatis Missionum ad exteros*. Par. 1880, n. 918.

(2) Cit. *Collectanea*, n. 919, *Bull. S. C. de Prop. Fide* l. c. p. 45.

zabitur remanere valeant, tanquam cum uxore legitima, aliis dimissis, Apostolica auctoritate, tenore praesentium, declaramus, matrimoniumque hujusmodi inter eos legitime consistere, » cet.

474. 3° Greg. XIII const. *Populis ac nationibus* (1) 25 januar. 1585 : « Populis ac nationibus nuper ex gentilitatis errore ad fidem Catholicam conversis expedit indulgere circa libertatem contrahendi matrimonia, ne homines, continentiae servandae minime assueti, propterea minus libenter in fide persistant et alios illorum exemplo ab ejus perceptione deterreant. Quoniam igitur saepe contingit multos utriusque sed praecipue virilis sexus infideles, post contracta gentili ritu matrimonia, ex Angola, Ethiopia, Brasilia et aliis Indicis regionibus ab hostibus captos, a patriis finibus et propriis conjugibus in remotissimas regiones exterminari, adeo ut tam ipsi, captivique qui in patria remanent, si postea ad fidem convertantur, conjuges infideles tam longo locorum intervallo disjunctos, an sine contumelia Creatoris secum cohabitare velint, ut par est, monere nequeant, vel quia interdum ad hostiles et barbaras provincias ne nuntiis quidem accessus pateat, vel quia ignorent prorsus in quas regiones fuerint transvecti, vel quia ipsa itineris longitudo magnam afferat difficultatem : idcirco Nos, attendentes hujusmodi connubia inter infideles contracta, vera quidem, non tamen adeo rata censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint (2), talium gentium infirmitatem paterna pietate miserati, universis et singulis dictorum locorum Ordinariis et parochis, et presbyteris Societatis Jesu ad Confessiones audiendas ab ejusdem Societatis Superioribus approbatis, et ad dictas regiones pro tempore missis, vel in illis admissis,

(1) Non vero, ut passim citatur, *Quoniam saepe contingit*. Vid. cit. *Collectanea* n. 920, *Bull. S. C. de Prop. Fide*, l. c. p. 103 sq.

(2) Simillima hisce verba, nempe : « Nos attendentes hujusmodi infidelium matrimonia non ita censeri, quin necessitate suadente dissolvi possint, » cet. ab Urb. VIII in duplici Brevi 20 oct. 1626 et 27 sept. 1627 adhibita fuisse dicit de Lugo in supplici libello, quem citamus n. 486.

plenam, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, concedimus facultatem dispensandi cum quibuscumque utriusque sexus Christifidelibus incolis dictarum regionum, et serius ad fidem conversis, qui ante Baptisma susceptum matrimonium contraxerant, ut eorum quilibet, superstite conjuge infideli, et ejus consensu minime requisito, aut responso non expectato, matrimonia cum quovis fideli alterius etiam ritus contrahere et in facie Ecclesiae solemnizare, et in eis postea carnali copula consummatis quoad vixerint remanere licite valeant : dummodo constet, et summarie, et extrajudicialiter, conjugem, ut praefertur, absentem moneri legitime non posse, aut monitum intra tempus in eadem monitione praefixum suam voluntatem non significasse; quae quidem matrimonia, etiamsi postea innotuerit conjuges priores infideles suam voluntatem juste impeditos declarare non potuisse, et ad fidem etiam tempore contracti secundi matrimonii conversos fuisse, nihilominus rescindi nunquam debere, sed valida et firma, prolemque inde suscipiendam legitimam fore decernimus. »

475. 4° S. C. C. 23 januar. 1603 episcopo sciscitanti respondit (1) : « S. C. censuit ita respondendum, minime posse praedictos ad veram Fidem conversos accipere alias fideles uxores, nisi prius constiterit, utrum primae voluerint cum eis permanere, vel non. Quod si noluerint cohabitare, vel si voluerint, non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut conversos ad mortale peccatum pertrahant, tunc posse eos alias fideles accipere uxores. Si cohabitare absque Creatoris contumelia velint, et absque eo quod conversos ad mortale peccatum pertrahant, quamvis veram agnoscere Fidem noluerint, non posse conversos alias fideles accipere uxores. Non sufficere ea, quae proponuntur, nempe loci distantiam, difficultatem, ac praesumptionem, cum constare debeat de voluntate ipsarum uxorum infidelium. »

476. 5° Ad dubia : « Num verba Divi Pauli (I^a ad Cor., c. VII,

(1) Ex l. 10 Decret. p. 55, ap. Ben. XIV, *De syn.* l. 13, c. 21, n. 1.

v. 15) : *quod si infidelis discedit, discedat,* ita intelligenda etiam sint de Catechumenis, seu potius utrum Titius Catechumenus possit ducere Bertham Catechumenam et a suo marito infideli propter Religionem repudiatam? 2. Praedicta Bertha tenereturne redire cum primo marito, si postea conversus illam revocaret? 3. Tenereturne adhuc redire cum illo, si, Titio jam baptizato, illam nondum baptizatam revocaret? », S. C. de Prop. Fide 16 januar. 1803 respondit : « Ad 1. Negative quia matrimonium non solvitur nisi per Baptismum, ex quo patet responsio ad reliqua (1). »

477. 6° Ab episcopo Coccinensi ad Sedem Ap. haec dubia fuerunt transmissa : « Saepe contingit, ut, ex duobus infidelibus, alter convertatur ad fidem, alter converti quidem tunc nolit, consentiat tamen cohabitare cum fideli sine contumelia Creatoris et quin eum pertrahat ad mortale peccatum, imo promittat se quoque fidem postea amplexaturum, quod ob aliquam specialem rationem aliquandiu differre necessarium ducit. Quare fidelis infidelem non dimittit, sed cohabitare pergunt ut conjuges, idque ad longum tempus et aliquos etiam annos : at postea infidelis, mutata voluntate, non solum converti non vult, sed tentat fidelem pertrahere ad idolorum cultum, vel discedit nec jam consentit habitare cum illo, imo ad alias nuptias transit. Quaeritur : 1. An in hoc casu possit etiam fidelis derelictus discedere, et ad alias nuptias transire, habeatque hic locum privilegium ab Apostolo promulgatum : *Si infidelis discedit, discedat?* 2. An id solum habeat locum quando infidelis discedit odio fidei, an etiam quando discedit propter discordias, vel aliam causam a fide diversam?

(1) Cit. *Collectanea*, n. 931, Ap. Perron. *De matr. christ.* ed. Rom. t. 2, p. 319, not. 38, haec causa immerito dicitur esse 16 januar. 1683, et praeterea ibi non accurate refertur. Documenta quae sunt in cit. op. *Collectanea* fuerunt omnia rite collata cum originalibus archivi S. C. de Prop. Fide; cf. collectorum epistolas ad Card. Praefectum, et ad Vicarios Apostolicos ac Missionarios, initio operis.

3. An etiam possit fidelis transire ad alias nuptias quando infidelis quacumque de causa ab eo discessit, nec sciri potest vivat adhuc necne? 4. An fidelis, qui ex dispensatione valide contraxit matrimonium cum infideli, transire possit ad alias nuptias, si infidelis discedat, vel cohabitare nolit, vel eum pertrahat ad mortale peccatum? 5. An aliquo, et quanto tempore possit fidelis post conversionem cohabitare cum infideli, quin privetur potestate transeundi ad alias nuptias? »

Die 1 aug. 1759 respondit S. Off. : « Ad 1. In casu de quo agitur, affirmative. Ad 2. Cum militet ex parte conjugis conversi favor fidei, eo potest uti, quacumque ex causa, dummodo justa sit, nimirum si non dederit justum ac rationabile motivum alteri conjugi discedendi, ita tamen ut tunc solum intelligatur solutum jugum vinculi matrimonialis cum infideli, quando conjux conversus (renuente altero post interpellationem converti) transit ad alia vota cum fideli. Ad 3. Praemittendam esse interpellationem qua intimetur conjugi infideli an velit converti, a qua interpellatione Apostolica Sedes justis de causis dispensat. Ad 4. Si fidelis, praevia dispensatione, contraxit matrimonium cum infideli, censetur illud contraxisse cum explicita conditione, dummodo nimirum infidelis secum cohabitare velit absque contumelia Creatoris ; quare, si infidelis non servet supradictam conditionem, adhibenda sunt juris remedia ad hoc ut eam servet ; alias separari debent quoad torum et cohabitationem, non tamen quoad vinculum ; quocirca in casu de quo agitur, conjuge infideli superstite, non potest fidelis ad alia vota transire. Ad 5. Conversus ad fidem, in ipso conversionis momento non intelligitur solutus a vinculo matrimonii cum infideli adhuc superstite contracti, sed tunc acquirit tantummodo jus transeundi ad alias nuptias, cum conjuge tamen fideli, idque si conjux infidelis renuat post interpellationem converti. Caeterum tunc solum conjugii vinculum dissolvitur, quando conjux conversus transit cum effectu ad alias nuptias. Si gentilis conversus ante susceptionem baptismi habeat plures

uxores, et prima recuset amplecti fidem, tunc legitime potest quamlibet ex illis retinere, dummodo fidelis fiat, sed in hoc casu contrahentes mutuum consensum coram parocho et testibus renovare debent (1). »

478. 7° Postea « actum fuit de casu, in quo adulterium a parte fideli perpetratum fuerit ante ejus conversionem, repudio inde secuto; quaesitum est, an pars jam adultera et repudiata, si postea christianam fidem amplexata fuisset, et pars infidelis cohabitare cum illa recusasset, uti posset privilegio fidei concesso, et ad alias nuptias transire? Et S. C. de Prop. Fide 17 januar. 1797 respondit : *affirmative;* praemissa tantum interpellatione, utrum nec ne praecesserit sive adulterium, sive repudium, quia adulterii macula praecedens per conversionem et baptismum sublata censenda erat, et pars infidelis irrationabiliter et injuste in suscepto consilio perseverabat, minime se parti fideli reconciliandi. Quare si in hoc casu, infidelis, accepta interpellatione, recipere partem, et habitare cum illa absque Creatoris injuria recuset, justum non

(1) Ap. cit. *Collectanea* n. 924, Perron. l. c. p. 322 sq. not. 47. Et p. 326 sq. sic scribit idem auctor : « Supremae ss. inquisitionis congregationi propositum fuit dubium, ut paulo ante vidimus, de infideli qui fidelem conjugem non dimittit, sed cohabitare pergit : at [pergit ut] conjux sine contumelia Creatoris, imo cum spe conversionis, idque ad longum tempus. Sed postea, mutata voluntate, infidelis discedit sive odio fidei, sive *alia de causa*. Hac posita facti specie, quaerebatur, an in casu discessus *in odium fidei* maneret integrum jus parti fideli utendi privilegio fidei, non obstante pacifica infidelis cohabitatione post alterius partis conversionem ad fidem christianam, ac responsum est : *affirmative*. Quaerebatur insuper utrum parti fideli maneret pariter integrum privilegium fidei, etiamsi infidelis ab ea discederet ob alias causas ab ejus conversione ac fide independentes; et *negative* responsum fuit, si pars fidelis post longum tempus pacificae cohabitationis post conversionem praebuit parti infideli justam et rationabilem discedendi causam, puta per adulterium : ob idque additum fuit : *Dummodo pars fidelis justum ac rationabile motivum non dederit discedendi.* » Quomodo haec resolutio concordet cum infra citanda resolutione S. C. de Prop. Fide 17 januar. 1797, vid. in nota numeri sequentis.

est, ut ob irrationabilem hanc agendi rationem, pars fidelis in statu voluntariae continentiae cum peccandi periculo maneat (1). »

Textus ipse praefatae responsionis ad quatuor dubia a Vic. Ap. Sutchuensi proposita is erat : « In casu matrimonii dissolvendi ex privilegio in favorem fidei promulgato ab Apostolo, duo haec tantum spectanda, de quibus fieri debet interpellatio : 1° Utrum pars infidelis velit converti ; 2° Utrum saltem velit cohabitare sine contumelia Creatoris, nulla praeterea habita ratione utrum necne praecesserit sive adulterium, sive repudium (2). »

479. 8° Die 23 januar. 1805, S. Off. declaravit, legitimam uxorem a viro divenditam alteri, cum quo ad longum tempus cohabitavit, teneri, si possit, ad primum maritum se recipere, aut sibi fuga consulere, nec aliter posse eidem conferri baptismum, nisi, abjectis adulterinis nexibus, se separet ab emptore, excepto articulo mortis, si ipsam peccatorum suorum poeniteat (3).

480. 9° S. C. de Prop. Fide 3 aug. 1806 declaravit, quod si quis vir infidelis primam dimiserit uxorem, postea vero fiat christianus, et, celato priori conjugio, ineat coram parocho matrimonium cum altera muliere, ejusmodi secundum matrimonium tam-

(1) Perron. l. c. p. 327, qui hanc resolutionem comparans cum illa S. Off. 1 aug. 1759 (cf. num. praec.) sic scribit : « Ex quibus duabus in specie contrariis resolutionibus patet, quod si pars fidelis post conversionem et pacificam cum parte infideli cohabitationem adulterio se polluat, si infidelis hac de causa discedat, non posse adulteram ad alias transire nuptias fruique privilegio fidei ; possit vero si adulterium patraverit ante conversionem et baptismum, si parte infideli interpellata, nolit haec cum fideli reconciliari, eamque post repudium denuo suscipere et cum ea pacifice et sine contumelia Creatoris cohabitare. » Ipsa S. C. de Prop. Fide 30 januar. 1807 (cit. *Collectanea* n. 933) utriusque responsionis concordiam demonstravit, simul pleniorem referens tenorem responsionis a. 1797.

(2) Ap. cit. *Collectanea*, n. 929. Pleniorem hujus responsionis tenorem vid. in cit. resp. 30 januar. 1807.

(3) Ita Perron. l. c. p. 328, sed textum ipsum hujus rescripti, quod erat 29 januar. 1805, vid. ap. cit. *Collectanea*, n. 932.

quam nullum ac irritum habeatur, et secunda uxor sit libera, ac possit cum alio viro catholico nuptias jungere (1).

481. 10° Synodus vicariatus Sutchuensis in imperio Sinensi, habita a. 1803, et a S. Congr. de Prop. Fide approbata a. 1822, atque a Sede Ap. ad omnes episcopatus et vicariatus Apostolicos in Sinis et regnis adjacentibus, Siam, Tunchino, cet., cum nonnullis postea pro ratione status uniuscujusque missionis factis modificationibus extensa a. 1833 (2), haec habet : « Noverint missionarii, quibus concessa est facultas dispensandi ab interpellatione, ea non uti, nisi ad normam Brevis Greg. XIII (3); scilicet, ut non dispensetur, nisi quando fidelis conjugem infidelem absentem, an sine contumelia Creatoris secum habitare velit, ut par est, monere nequit, vel quia interdum ad hostiles, et barbaras provincias, ne nunciis quidem accessus pateat; vel quia prorsus ignoratur in quas regiones fuerit transactus, vel quia itineris longitudo magnam affert difficultatem; et praeterea rarissime, et in casu urgentis necessitatis. Extra hos casus omnino fieri debet interpellatio, etiamsi inutilis, aut periculosa videatur, si fidelis velit ad alias nuptias transire, nec ab ea dispensari potest, sive timeatur, ne infidelis interpellatus, sicut prima vice uxorem vendidit, eamdem recuperatam iterum vendat; sive praesumatur cum fundamento, vel ex dissensionibus conjugum in praecedenti cohabitatione, vel ex alia quavis circumstantia, partem infidelem nolle redire. Quod si periculum adsit, ne facta interpellatione, exinde oriatur molestia seu persecutio contra christianos, hujusmodi casus deferatur ad Vicarium apostolicum, ut S. Sedes consulatur, prout olim responsum est in Congr. S. Off. a. 1769. De duobus porro dumtaxat fieri debet interpellatio, nempe 1° num pars infi-

(1) Ita Perron. l. c. p. 327 sq. Illi rescripto simillimum est ejusdem S. Congr. rescriptum plenius 5 mart. 1816, ap. cit. *Collectanea*, n. 935; imo idem esse videtur.

(2) Perron. l. c. p. 329 sq. not. 55.

(3) Vid. n. 474.

delis velit converti ; 2° num saltem velit cohabitare absque contumelia Creatoris.

Advertant iidem missionarii, fidelem, cum quo dispensatur, non posse novum matrimonium inire, nisi cum fideli baptizato, minime vero catechumeno. Praeterea adhuc diligenter observent, quod in unoquoque illorum casuum, in quibus necessarium judicabunt dispensare ab interpellatione, non sufficiat, ut omnino sint persuasi de impossibilitate, aut difficultate illam exequendi, sed oportebit, ut faciant processum summarium, et scriptum, quo pro omni tempore futuro haec necessitas appareat, vel ex eo, quod interpellatus non respondet ; aut ignoratur ubi sit ; aut quia dedit argumentum reipsa aperti sui dissensus ; aut quia tandem in tanta est distantia, ut interpellatio ad illum pervenire nequeat, aut saltem res est multum difficilis ; iste enim praevius processus summarius nascitur ex littera et spiritu Brevis Gregoriani...

Quamvis in folio facultatum, quae missionariis conceduntur, sequens facultas legatur : — Dispensandi cum gentilibus, et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem, et baptismum quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti, — nihilominus eorum conscientia oneratur, qui uti non debent tali facultate, nisi ad normam supra dicti Brevis Gregoriani, scilicet, ut non dispensetur ab interpellatione prima [primae] uxoris, nisi in casibus in Brevi expressis : sufficit autem, ut interpelletur, num velit converti (1). »

(1) *Synodus Vicariatus Sutchuensis habita... anno* 1803, Rom. 1837, cap. 9, n. 8. Vid. etiam cit. *Collectanea*, n. 934. Ibidem n. 942 refertur haec S. C. de Prop. Fide responsio 26 sept. 1837 : « Tandem quae aliquibus n° 8, capitis 9, Synodi Sutchuensis pugnantia videntur, scil. quod primum legatur : *De duobus fieri debere conjugis infidelis interpellationem*, etc., et paulo post : Sufficit autem ut *interpelletur num velit converti*, ea pugnantia minime sunt. In prima enim ejus paragraphi periocha praescribit Synodus quid ab eo sit praestandum qui unam vel unum tantum conjugem in infidelitate habuerit, in altera vero de eo qui plures in infidelitate conjuges retinuerit, tunc enim sufficit ut primam interpellet num velit converti, secus eam retineat ex aliis quae fidelis fiat. »

482. 11° Pro vicariatu Ap. Tunchini occidentalis proposita fuerunt haec dubia :

« 1. Utrum ad effectum matrimonii dissolvendi juxta privilegium in favorem fidei a Christo Domino concessum, et ab Apostolo promulgatum, interpellatio partis in infidelitate perseverantis sit de jure divino, atque adeo necessaria, ut, ea neglecta, nullus plane habeatur matrimonii dissolvendi locus? An solum pertineat ad formam judicialem, nec requiratur nisi ut dissolutio licite fiat, praesertim cum aliunde constat, indiciis moraliter certis, alterum conjugum nec fidem amplecti nec sine contumelia Creatoris velle cohabitare?

2. Posito quod ad primam partem respondeatur affirmative, quaeritur num sola de Religione amplectenda sufficiat interrogatio : *utrum* scilicet *pars in infidelitate remanens velit converti necne*, quod, Thomae Sanchez auctoritate freti, existimant aliqui ex Missionariis; an potius interpellatio, *utrum saltem pars in infidelitate perseverans absque Creatoris contumelia cohabitare consentiat,* sit quoque essentialis, et absolute requisita, ita ut, illa praetermissa, non solum non licite, sed etiam non valide matrimonium dissolvi queat?

3. Utrum solemnis uxoris expulsio a marito facta, videlicet dando libellum repudii coram pagi primoribus, juxta leges Regni, possit interpellationis locum tenere et pro ea reputari, cum certissime constet de istius mariti voluntate, illum nempe praefatam mulierem nullo modo in posterum uxorem velle habere; an potius, nulla repudii habita ratione, in iis etiam circumstantiis duplex in jure praescripta ad validitatem dissolutionis matrimonii requiratur interpellatio?

4. Quaeritur quomodo se debeat gerere Missionarius erga mulierem infidelem, absque ulla adulterii causa a suo marito etiam infideli repudiatam, qui aliam duxit, cum illa postulat baptizari, et est suspicio, an sit animo parata ad revertendum ad suum maritum, si forte postea revocet, et sine contumelia Creatoris coha-

bitare consentiat? Debetne illam de hac re prius interrogare, atque interea Baptismum differre, donec melius sit disposita, etiam cum periculo moriendi absque Baptismate? Quid autem si consentit, sed dumtaxat cum hac conditione, quando nimirum expulsa fuerit concubina?

5. Quaeritur, an adulterium ansam praebeat conjugibus infidelibus, sicut et Christianis, divortium perpetuum celebrandi, ita ut parti innocenti omnino sit integrum, cum sacro Fonte abluta fuerit, aut sacculo nuntium remittere, aut in statu viduitatis vitam transigere, licet pars altera reconciliari velit, et sine contumelia Creatoris cohabitare?

6. Cum maritus infidelis suae uxori jam sacri Baptismi aquis tinctae, Religionem quidem servare permittit, nec aliquid peccati mortalis formaliter jubet; at illam in usu matrimonii ad multa gravia contra conjugalem castimoniam adeo importune pellicit ut mulier semper sit in gravi periculo peccandi mortaliter. Quaeritur, in hoc casu, an praefata mulier possit eum relinquere et ad alia vota transire? Quid autem si periculum non veniat ex altero conjuge, sed ab aliis qui in eadem domo sunt, v. g. a socero qui suam nurum ad incestum sollicitat, vel a socru, muliere jurgiosissima et superstitionibus addictissima? »

S. C. de Prop. Fide 5 mart. 1816 respondit : « Ad 1. Non esse locum dissolutioni matrimonii in infidelitate contracti, in casu de quo agitur, nisi interpellatione praemissa, aut nisi obtenta, legitimis ex causis, super interpellatione apostolica dispensatione. Ad 2. Interpellandum esse conjugem infidelem, non solum an converti velit, sed etiam, casu quo nolit converti, an velit cum conjuge fideli cohabitare sine contumelia Creatoris, juxta dispositionem Innoc. III, cap. *Quanto, De divortiis*. Ad 3. Faciendam esse interpellationem, etiam in casu de quo agitur, si fieri possit, aut recurrendum esse ad Sedem Ap. pro obtinenda dispensatione. Ad 4. Nihil obstare quominus mulieri, de qua in casu, modo aliunde sit sufficienter instructa, Baptisma conferatur. Ad 5. Conjugem ad fidem conversum et baptizatum posse facere divor-

tium, quoad forum, a conjuge infideli, ob adulterium ab eo commissum, quamvis iste veniam petat et velit cohabitare sine contumelia Creatoris (1). Ad 6. Mulierem conversam posse a viro infideli discedere, et ad alia vota transire, in casu quod ille eam pertrahat ad gravia peccata contra conjugalem castimoniam (cap. *Quanto* et cap. *Gaudemus* Innoc. III, *De divortiis*). Quod si pertractio mulieris conversae ad peccatum mortale non proveniat ab ejus viro infideli, sed ab aliis qui in ejus domo habitant, socero, exempli gratia, vel socru, posse mulierem fidelem, ubi alia media non suppetant, se subducere ab ea domo, ubi ad graviter peccandum pertrahitur; non vero posse matrimonium dissolvere et ad aliud transire. »

483. 12° Archiep. Quebecen. hanc proposuit quaestionem : « Ex illis difficultatibus quae in America obstant conversioni barbarorum, inter quos viget polygamia, ea prae caeteris, ut longa experientia constat, praecipue valet, scil. quod usque nunc, juxta 11 ex 29 articulis, quibus constat Indultum extraordinarium Episcopis communicatum, Infideles plures habentes uxores tenentur, post conversionem et Baptismum, primam retinere si ipsa voluerit converti. Jam vero gravibus Missionariorum rationibus permotus, et ut istorum Infidelium saluti efficacius consulatur, enixè desidero novam erogari concessionem, cujus tenore eisdem Infidelibus plures uxores habentibus, et converti desiderantibus, permittatur ut quam ex illis maluerint (quae ordinarie inter alias junior est) eligant, ad illam etiam converti volentem in matrimonium juxta regulas Ecclesiae ducendam, sine obligatione primae eligendae. Haec autem desiderata concessio refertur ad

(1) Perrone, qui quinque tantum priora hujus causae dubia eorumque resolutionem refert l. c. p. 324 sqq., ad quinti dubii resolutionem notat p. 326 not. 48 : « Ex responsione ad 5 dubium patet non recte sensisse nonnullos, qui existimarunt hoc in casu posse dissolvi ex parte fideli conjugium quoad vinculum, innixi illi principio generali Greg. III cap. *Pervenit* 2. *de jurejurando, ut frangenti fidem fides frangatur eidem*. Siquidem perperam ab ipsis huic casui principium istud applicatum fuit. »

Decretum S. Pii V, 2 aug. 1571 datum, quo declaratur : *Indi, in futurum baptizandi, cum uxore quae cum ipsis fuerit baptizata remanere valeant, tanquam cum uxore legitima, aliis dimissis.* In hoc enim Decreto nulla fit mentio de prima in legitimam uxorem suscipienda, sed tantum de ea quae cum illis fuerit baptizanda. At in casu submisso nulla nascitur difficultas Baptismi suscipiendi a parte illius uxoris, qualiscumque sit, quam Infideles prae ceteris eligunt. »

Respondit S. Off. 8 junii 1856 : « Rebus omnibus circa controversiam hanc mature perpensis, EE. ac RR. DD. Cardinales Supremi Inquisitores distinguendum esse censuerunt utrum matrimonium haberi possit ut validum, necne. In primo quidem casu, videlicet quando agitur de vero matrimonio inito, dubium esse non posse S. Cong. existimavit, Infideles plures uxores habentes post conversionem suam debere primam uxorem retinere, si et ipsa Baptismum suscipiat, vel saltem habitare cum illo assentiatur absque injuria Creatoris. In altero vero casu, scil. quando non subsistit validitas nec primi nec subsequentium matrimoniorum ita ut serio dubitari possit matrimonia hujusmodi ad instar belluarum censenda esse, posse infidelem qui ad fidem convertitur eligere quamcumque velit ex suis mulieribus, dummodo et ea ad Christianam Religionem convertatur, ac renovetur consensus : vel etiam posse quamcumque aliam eligere mulierem, eadem servata conditione.

Gregorius XVI suffragia EE. S. R. E. Cardinalium Universalium Inquisitorum probavit, renovato tamen consensu si matrimonium in prima hypothesi contrahitur cum secundo vel tertio etc. conjuge, propterea que primus in infidelitate permanens erit, et addita facultate dispensandi ab interpellatione conjugis primi, quoties aut fieri reipsa nequeat, aut si fieret nullius utilitatis fore reputetur, juxta ea quae a s. m. Ben. XIV, lib. 15, cap. 21, traduntur, ubi agatur de matrimonio valido (1). »

(1) Cit. *Collectanea*. n. 941. Concinnius habetur ap. Perron. l. c. p. 315 sq.

484. 13° Vicarius Ap. Novae Zelandiae a. 1848 duo dubia proposuit (1) : « 1. Quaeritur utrum duo conjuges infideles quando conversi baptizantur, aut una pars tantum baptizatur, licite possint ambo, vel possit pars fidelis cohabitare cum parte infideli absque renovatione matrimonialis consensus? 2. Utrum, si pars fidelis matrimonii sic initi, aut confirmati coram proprio missionario, promissione de cohabitatione pacifica a parte non baptizata, prius data, possit disjungi non solum quoad habitationem et torum, sed etiam quoad vinculum, a parte infideli quae deinceps non vult amplius pacifice cohabitare propter partis fidelis religionem; quaeritur scilicet utrum haec pars fidelis possit valide et licite convolare ad alias nuptias? » Respondit autem S. Off., fer. 5, 20 sept. 1848, ad 1, quod si dubium nullitatis non sit vere fundatum « renovatio consensus non est necessaria; » ad 2 : « Affirmative. » Resolutio haec fuit a Pio IX approbata 27 sept. 1848; aliae etiam quas citamus resolutiones fuerunt a Romanis Pontificibus approbatae.

485. 14° « Item a vic. apostolico Siam provinciae sinensis an. 1854 proposita fuerunt haec dubia Sac. Congr. S. Off. nempe 1. Utrum Pontifex dispensare possit ab interpellatione infidelis, stante gravi *difficultate?* Resp. *Affirmative.* 2. Utrum neophytus hoc in casu possit contrahere nuptias cum secunda uxore adhuc pagana, mediante dispensatione ab impedimento disparitatis cultus? Qua in hypothesi, quamvis nati filii non fuerint, si secunda uxor spem praebet futurae conversionis, quaesitum ulterius est, an possit illam pariter retinere, data dispensatione a disparitate cultus. Demum si secunda uxor consentiat conversioni, satis ne erit neophyto interpellare primam conjugem : *an velit converti?* Resp. Jam provisum per synodum sutchuensem-*Affirmative.*

II Dubium. Quaeritur 1. an ejus maritus teneatur eam redi-

(1) Perron. l. c. p. 328.

mere a captivitate, etiamsi divendita ab aliis fuerit, ex. gr. ab illius parentibus, aut a secundo marito, qui eam repudiavit? Resp. *Affirmative* si potest, id est teneri redimere legitimam uxorem volentem converti, aut saltem cohabitare sine contumelia Creatoris.

Quaer. 2. Si neophytus duxit secundam uxorem ex qua filios procreavit, si haec consentiat fidem christianam amplecti, aut cohabitare pacifice, poterit ne ipse eam retinere, *renovato consensu, et data dispensatione, si fuerit necessaria?* Resp. per instructionem an. 1854 ex synodo sutchuensi cap. IX § VII, ubi inter cetera adnotatur, post dispensationem ab impedimento disparitatis cultus non posse amplius ullo in casu matrimonium solvi quoad vinculum, sed solum quoad torum, quia factum est indissolubile in favorem fidei, et fidelis partis (1). »

486. His itaque praeprimis expensis documentis, ad ipsius doctrinae expositionem gressum facimus.

Si conjunctio in infidelitate inita non fuit verum seu validum matrimonium, sive propter defectum consensus vere matrimonialis, sive propter pactam conditionem substantiae matrimonii adversantem, sive propter aliud impedimentum juris naturae vel divini (2), potest conversus et baptizatus, sive cum eadem sive cum alia persona, baptizata tamen et (ut licite nubat) catholica, matrimonium inire, praestito mutuo in debita forma consensu. Idem dicendum quando ex more infidelium in aliqua regione serio dubitari potest an vera ineant matrimonia (3), quia tunc, spectato ejusmodi more ex circumstantiis dijudicando, praesumuntur potius non voluisse vere matrimonialiter conjungi (4).

(1) Perron. l. c. p. 329. Magis extensam hanc causam 4 jul. 1855 habes ap. cit. *Collectan.* n. 950, ex quibus corrige dubium 1, initio hujus n. 486.

(2) Cf. Verricellus, q. 176, n. 2 sqq.

(3) Vid. docum. cit. n. 483.

(4) Cf. etiam Kenrick, tr. 21, n. 141, Konings, n. 1577 in fine. Huc quoque spectat responsio Urb. VIII, relata a Nicol. del Techo, *Historia*

Idem quoque dicendum si infidelis, plures habens mulieres, resp. viros, post conversionem non recordetur quam primam in uxo-

provinciae Paraquariae Societatis Jesu. Leod. 1673, l. 10, c. 15, cujus locum integre refert etiam Jo. de Cardenas. *Crisis theologica*. part. 4. dissert. 2. n. 551 sqq. Sic autem scribit del Techo : « Guaranae gentis primores solebant tot pellices alere, quot eorum libido et authoritas a popularibus suis impetrabat : nec aliud erat majus capessendae religionis nostrae impedimentum, quam cum monerentur unica uxore Christianos ex lege Divina contentos esse debere. Accessit huic obstaculo nimia quorumdam Sociorum religiositas, ejusmodi homines ad primam uxorem adigere volentium. Alii dempto scrupulo, religionem Christianam incuntibus, quamcumque vellent, ex pellicibus pro uxore permittebant. Ob earum opinionum diversitatem, inde natam, quod Doctores scholastici de ea re inter se dissentiant, ad summum Legum interpretem recursum est, et Joannes Lugo, postmodum Cardinalis, rem totam his verbis Urbano VIII Pontifici maximo exposuit. *Sanctissime Pater, in Provincia et regno Paraquariae, in India Occidentali maxima difficultas suboritur in conversione infidelium ad fidem nostram, quando aliqui ex ministris volunt illos cogere ad recipiendum, et retinendum primum conjugem, quem in infidelitate habuerunt : gens quippe ex innata barbarie passim conjuges (si vere conjuges dicendi sunt) dimittunt, non aliter quam nostri famulas vel famulos : et hoc solum quia conjux infirmatur, nec coquere cibos potest, aut vestes consuere, vel domus curam habere, vel quia jam senescit. Imo frequenter non unam solum uxorem accipiunt, sed simul cum ea omnes ejus filias vel sorores, si quas habet : Ex quibus postea donat amicis aliquam, vel famulo in gratiam obsequii, quam postea repetit, si famulus discedat. Aliis sola loci mutatio causa est deserendi conjugem, ne eam secum ferat. Itaque plerique putant non esse saltem communiter apud illos verum matrimonium, sed concubinatum : atque ideo permittunt, quod conjugem baptizatum accipiant, quando ad fidem convertuntur. Alii tamen scrupulum habent, et cogunt eos ad repetendum primum conjugem, ex quo magna incommoda sequuntur. Primo, quod multi hoc terrore Baptismum aversantur. Secundo, quod mentiuntur, dicentes se nullum alium conjugem habuisse, et mala fide cum alio contrahunt. Tertio, quod fingunt se repetere primam uxorem, sed revera aliam habent, nec de prima curant. Quarto, quod frequenter difficillimum est primam agnoscere, quia vix recordantur in tanta multitudine, quae fuerit prima, et illa inventa oportet rursum inquirere, an illa prius habuisset viros; et*

rem duxerit (1), vel cum quanam ex ipsis matrimonialiter jungi voluerit.

rursum de iis viris, an prius alias habuissent uxores. His accedit, quod frequenter in iis conjugiis non utantur signo aliquo externo speciali, diverso ab eo, quo concubinam ad hebdomadam, vel mensem accipiunt; quare saepe non invenitur signum externum expressivum consensus ad matrimonium requisiti. Unde attenta eorum praxi et consuetudine, multi pii et docti viri putant communiter, non fieri apud ipsos verum contractum Matrimonii. Caeterum ad tollendos scrupulos et dubia, et ad hoc gravissimum impedimentum auferendum illius gentis conversionis ad Fidem, a Sanctitate Vestra humiliter petitur, ut quandoquidem juxta doctorum virorum doctrinam Sedes Apostolica ex gravi causa potest aliquando Matrimonium infidelium dissolvere, prout Sanctitas Vestra declaravit in Brevi suo expedito die vigesima octobris anno 1626, *et rursus in alio simili die decima septima septembris anno* 1627, *his verbis :* Nos attendentes hujusmodi infidelium Matrimonia non ita censeri, quin necessitate suadente dissolvi possint, etc. *Et quidem in hoc gravissimae causae sunt, imo necessitas ad conversionem illorum infidelium, dignetur Sanctitas Vestra ex benignitate Apostolica concedere Provinciali Societatis Jesu facultatem, ut ipse, et ii ex Societate, quibus ipse conversionem gentis demandaverit, et communicandum censuerit, possit occurrente casu, et facto examine, et manente dubio de valore prius Matrimonii in infidelitate facti, vel magna difficultate inveniendi veritatem, vel magna difficultate repetendi primum conjugem jam*

(1) Vid. docum. cit. n. 472; cf. Verricellus, q. 176, n. 7, ubi rationem addit : « Quia in talibus circumstantiis est fere moraliter certum, cum nulla ex his fuisse contractum valide indissolubile matrimonium, nam barbarae, et ferae gentes brutali modo, incerte, et pro libito copulantur. » Minime ergo in Pauli III constitutione (n. 472) sermo est de Pontificia dispensatione in vinculo matrimonii, licet consummati, inter infideles initi; et praeterea, posita etiam hac Pontificis potestate, de qua disputabitur c. 30 § 1, generalis ejusmodi dispensatio cum praxi S. Sedis prorsus pugnat. Nequaquam autem explicatio nostra contradictionem adducit inter Paulum III et S. Pium V (n. 473); quod scribit Biederlack, ap. *Zeitschrift fuer kath. Theologie*, Oeniponti, 1883, p. 319. De pluribus in infidelitate ductis conjugibus vid. etiam resp. S. Off. 8 junii 1836 (cit. *Collectanea*, n. 941).

At quando post validum matrimonium in utriusque infidelitate initum alterutra vel utraque pars convertitur et baptizatur, firmum manet matrimonium neque opus est novo consensu, neque etiam, si altera pars maneat infidelis, dispensatione in disparitate cultus (1). Si autem plures quis in infidelitate habuerit mulieres, resp. viros, et recordetur quam primam matrimonialiter sibi conjungere voluerit, et nuptiis cum ea initis nullum obstiterit impedimentum juris naturae vel divini (de impedimento a civili principe constituto vid. n. 67 sqq., 368, 380, 408, 456, 457), ea sola est ejus uxor eique adhaerere debet, nisi, una parte manente infideli, fidelis utatur privilegio fidei concesso in casu Apostoli (2). Quodsi tunc manere velit cum aliqua, quam post validum cum alia matrimonium duxerat in infidelitate, novus consensus requiritur, et explicitus quidem, nec sufficit implicitus per copulam subsequentem cum affectu maritali (3). Dictis autem non adver-

dimissum, possint, inquam, ad conversionem faciliorem reddendam, vel ad conversorum manutentionem in Fide et obedientia legum Ecclesiasticarum, dispensare cum ejusmodi conversis, ut possint post Baptismum contrahere verum Matrimonium in facie Ecclesiae. Hoc enim modo Sanctitas Vestra infidelibus illis aditum ad Ecclesiam patefaciet, quem daemon occludere conatur. Prout de Vestrae Sanctitatis benignitate sperare jubet, quam Deus etc. Urbanus Octavus indicto sapientum virorum super ea re consulto, pronunciavit, non videri sibi speciali sua dispensatione opus esse, ubi doctorum sententiae utrimque probabiles intercederent : sequerentur opiniones pro conditione locorum, ac hominum Barbaris favorabiliores, salva interim utriusque partis authoritate, sinerent doctis hominibus sentiendi libertatem. Constans igitur Sociorum plerorumque in his terris degentium opinio praxi confirmata fuit, horum Barbarorum Matrimonia ob rationes supra relatas nulla esse, et posse Barbaros ad Fidem conversos quamcumque baptizatam, rejectis aliis, in conjugem sumere. Quamquam eam semper adhibuere cautelam, quam rei gravitas postulabat. »

(1) Vid. S. Off. 14 dec. 1848 ad 1, ap. cit. *Collectanea*, n. 946.

(2) Vid. c. *Quanto* 7 et c. *Gaudemus* 8, *De divortiis*, et documenta citt. n 472, 475, 477 — 485, et cf. n. 440.

(3) Vid. S. Off. 12 junii 1850; ap. cit. *Collectanea* n. 948.

santur ea documenta, in quibus dicitur posse converso et baptizato in nonnullis casibus permitti, ut e pluribus, quas olim acceperat, eam retineat, quae et ipsa Baptismum suscepit; in iis enim jam agitur de casu Apostoli et Rom. Pontificis circa eum dispensatione seu declaratione (1). Possitne vero Pontifex vinculum matrimonii in infidelitate contracti, etiam consummati, dissolvere, examinabitur c. 30 § 1.

487. Una igitur parte conversa et baptizata, et hac volente uti privilegio fidei, interpellanda est pars infidelis velitne et ipsa ad fidem converti, vel saltem cohabitare pacifice ac sine contumelia Creatoris, ita nempe ut neque molestias inferat Religioni partis fidelis, neque eam pertrahat ad peccatum mortale, neque catholicam prolis educationem impediat (2). Si neutrum facere velit infidelis, revera *discedit* juxta locutionem Apostoli, et baptizatus (3) novum potest inire matrimonium, *non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi*, ut, rebus ita se habentibus, coacte coelebs manere debeat (4).

Verum praefata interpellatio jure divino (5) necessaria est, ut ad novas nuptias perveniatur, nec solum velitne infidelis converti, sed etiam velitne saltem cohabitare pacifice ac sine contumelia Creatoris, hoc est, non molestando partis conversae vel prolis religionem, neque conversam sollicitando ad peccatum mortale (6).

(1) Cf. n. 494 vs. *Difficilior*.

(2) Contumeliae Creatoris aequivalet recusatio educationis prolis in Religione catholica; vid. S. Off. 14 dec. 1848 ad 2 (cit. *Collectanea* n. 946).

(3) Catechumenis enim hoc privilegium non competit; vid. docum. cit. n. 476.

(4) Vid. citt. capp. *Quanto* et *Gaudemus*, et documenta inde a n. 475 allata.

(5) Vid. S. Off. 12 junii 1850; ap. cit. *Collectanea*, n. 948.

(6) Vid. citt. capp. *Quanto* et *Gaudemus*, documenta citt. n. 475, 481, 482 ad 2, 483, et paulo supra hoc n. 487, Ben. XIV const. *Apostolici* 16 sept. 1747 (*Bullar. Ben. XIV*, t. 2, const. 38; ed. Mechl. vol. 5, p. 303 sq.), S. C. C. in *Florentina* 27 januar. 1722 (*Thes. S. C. C.* t. 2); cf. n. 491, Ben. XIV, dum erat a secretis S. C. C., in cit. *Florentina*

Casus enim, quibus provident ea documenta, quae dicunt novas nuptias posse iniri si infidelis nolit converti, pertinent ad hypothesim, in qua Pontifex interpellandi necessitatem ex parte sublatam declaravit (1).

Interpellatio facienda est post baptismum, nisi Pontifex concesserit fieri ante; idemque dicendum de petenda vel concedenda interpellationis dispensatione (2). Interpellatio semel facta de jure divino sufficit, potest tamen fieri pluries ex mera charitate (3). Non autem sufficit monere ut infidelis fiat christianus vel de hoc interpellare, nihil dicendo de matrimonio (4).

Solo jure divino spectato, sufficit interpellatio quoquo modo, etiam private, facta, quamquam, nisi hac plene probata, in foro externo non posset permitti novi matrimonii celebratio, nec prius haberi pro dissoluto. Ecclesia vero interpellationem semper vult judicialiter, interveniente Ordinario, fieri (5).

488. Pontificis vero Romani, hujus tamen solius, licentia fieri potest, ut in quibusdam circumstantiis novae nuptiae incantur sive absque ulla interpellatione, sive post solam interpellationem

a. 1722, et in *Florentina* 27 jul. 1726 (*Thes. S. C. C.* t. 3), *De syn.* l. 6, c. 4, n. 3, l. 13, c. 21, n. 1, Perron. l. c. p. 313, 321, Giovine, t. 1, p. 516-519. De necessitate interpellationis vid. etiam S. C. de Prop. Fide 5 mart. 1816 ad 1-3 (cit. *Collectanea* n. 934), S. C. de Prop. Fide 30 mart. 1836 (Ib. n. 940), S. Off. 20 junii 1858 (Ib. n. 916), 22 nov. 1871 in fine (Ib. n. 957). An, omissa absque dispensatione interpellatione, novum matrimonium sit invalidum, vid. n. 493.

(1) Vid. n. 477 ad 5, 481 in fine, 485 dub. 1 ad 2, 488.

(2) Vid. S. Off. 23 junii 1847 (cit. *Collectanea* n. 945), 13 apr. 1859 (Ib. n. 955), 3 junii 1874 (Ib. n. 958), Pius IX 10 dec. 1876 (Ib. n. 959) et 26 aug. 1877 (Ib. n. 960).

(3) Vid. S. Off. 12 junii 1850 (cit. *Collectanea* n. 948); cf. nostrum n. 498.

(4) Vid. S. C. de Prop. Fide 3 januar. 1777 ad 4, (cit. *Collectanea*, n. 926), et cf. S. C. de Prop. Fide 10 aug. 1841 (Ib. n. 943).

(5) Cf. Ben. XIV. *De syn.* l. 13, c. 21, n. 4 sqq., card. de Lauraea ap. Clericat. decis. 11 *De Sacr. matr.* n. 22 sq. Giovine t. 1, p. 520 sq.

de voluntate amplectendi fidem. Ita autem de quovis casu, licet difficillimo, dicendum est, ex. gr. quando sciri non potest ubinam infidelis degat, an adhuc vivat, vel moraliter impossibile judicatur ut debita ad eum interpellatio perveniat, vel ex interpellatione timenda est persecutio aliave gravissima incommoda, vel intra tempus praefixum infidelis nihil respondit; licet etiam voluntas partis infidelis jam certo nota existimetur, quia repudiavit vel dimisit compartem, vel continuae erant dissensiones in praecedenti cohabitatione, cet. (1). Ejusmodi autem licentia seu dispensatio, sive ut absque ulla interpellatione vel amplius non exspectato infidelis responso, sive ut post solam interpellationem velitne converti (2), novum matrimonium ineatur, numquam potest, etiam ob identitatem rationis, ad alias regiones aut casus extendi, quam pro quibus fuit concessa (3).

(1) Vid. n. 496, et documenta citt. n. 473-475, 477 ad 3, 481, 482 ad 1, 2, 3, 483 in fine, 485 dub. 1 ad 1 et 2, S. C. de Prop. Fide 3 januar. 1777 (cit. *Collectanea* n. 926), 3 mart. 1787 (Ib. n. 928). Ben. XIV const. *In suprema* 16 januar. 1745 (*Bullar. Ben. XIV*, t. 1, const. 117; ed. Mechl. vol. 3. p. 71), cit. const. *Apostolici* (n. 487), S. C. C. in cit. *Florentina* a. 1722 (Ib.). Cf. etiam Ben. XIV, *De syn.* l. 6, c. 4, n. 3, l. 13, c. 21, n. 3-6, ubi n. 6 citat facultatem concessam a Paulo V 21 junii 1611, et ut secretarius S. C. C. in cit. *Florentina* a. 1722, *Florentina* a. 1726 (n. 487), et in hac posteriori reproposita 29 mart. 1727 (*Thes. S. C. C.* t. 4), Giovine t. 1, p. 521 sqq. Inter facultates, quas in brevi *Plura inter* 11 jul. 1826 Leo XII concessit Praeposito generali Soc. Jesu, tamquam capiti missionum Societatis, et ab hoc ejusdem Soc. missionariis delegandas, ac duraturas pro viginti annis, post quos earum renovationem a Sede Ap. petere Praepositus generalis deberet, haec quoque legitur : « Dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem, et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti. » Alias hujus facultatis exempla vid. ap. cit. *Collectanea*, n. 31 sub 11. Konings, p. LXX sub 11. Ejusmodi facultatem pro fundamento habere sublatam necessitatem manendi cum infideli volente saltem pacifice cohabitare, et circa hanc voluntatem interpellandi, patet ex docum. cit. n. 481.

(2) Vid. n. 477 ad 5, 481 in fine, 485 dub. 1 ad 2, et not. praec. in fine.

(3) Vid. docum. cit. n. 481, et cf. Ben. XIV, *De syn.* l. 13, c. 21, n. 3

Quoties a Rom. Pontifice delegatus sua facultate utitur, extrajudicialiter et summarie confici debet scripta probatio seu testimonium seu processus de circumstantiis interpellationem impossibilem vel difficilem vel inutilem reddentibus (1). At si ei, qui facultate sibi a Pontifice data utitur, de ipsa re, nempe impossibilitate cet., constet, illius summarii processus scripti omissio illicitas tantum, non vero invalidas novas nuptias reddere videtur; ecclesiastico enim jure propter rectum ordinem praescriptus dicendus est, non vero sub poena nullitatis.

Matrimonium novum ex praefata Rom. Pontificis licentia contractum firmum manet et inviolabile, etiamsi postea innotescat infidelem, legitimo impedimento detentum, suam voluntatem manifestare minime potuisse, vel ad fidem conversum fuisse et ipsum, quando novum illud matrimonium contrahebatur (2).

489. Longe diversa est auctorum de actu ejusmodi Pontificio opinio. Sunt qui eum habent pro dispensatione in vinculo matrimonii, licet consummati, in infidelitate contracti (3). Pluribus

sqq., Verricell. q. 98, n. 256, Perron. l. c. p. 320, 329 sq., not. 55, Giovine, t. 1, p. 524 sqq. De legitima causa dispensandi ab interpellatione vid. S. Off. 23 nov. 1769 (cit. *Collectanea* n. 925), S. C. de Prop. Fide 5 mart. 1787 (Ib. n. 928), a. 1821 (Ib. n. 937), Greg. XVI 17 januar. 1836 (Ib. n. 938), 17 januar. 1836 (Ib. n. 939), S. C. de Prop. Fide 30 mart. 1836 (Ib. n. 940), Pius IX 17 aug. 1849 (Ib. n. 947), S. Off. 6 aug. 1856 (Ib. n. 953), Pius IX 18 aug. 1859 (Ib. n. 956).

(1) Vid. documenta citt. n. 474 et 481, Paul. V 21 junii 1611 (ap. Ben. XIV, *De syn.* l. 13, c. 21, n. 6), Ben. XIV cit. const. *In suprema* (initio hujus numeri); cf. Ben. XIV, *De syn.* l. c. n. 4 sqq., Giovine, t. 1, p. 523 sqq. 527 sq.

(2) Vid. docum. cit. n. 474, et Ben. XIV cit. const. *In suprema* (initio hujus numeri).

(3) Inter eos sunt Verricellus, q. 98, n. 180, q. 177, n. 7, 11, 18 sq., S. Alph. n. 897, prob. 1, 956, erronee eamdem opinionem attribuens Benedicto XIV, qui eam e contra non haesitans rejicit, Scavin. t. 4, u. 656, et ipse Benedicto XIV attribuens opinionem ab eo rejectam, Ballerin. ad Gury, t. 2, n. 759 sub 3°, 789 resp. 2, Palmieri, *Tract. de matr. christ.* Rom. 1880, p. 221 sqq., Biederlack l. c. p. 307 sqq., qui p. 318 melius

vero (1) est declaratio juris divini, in ejusmodi nempe circumstantiis desinere obligationem praecepti divini, quo interpellatio ante rescissionem matrimonii videtur injuncta, seu in ejusmodi circumstantiis novum matrimonium posse iniri, nulla licet facta interpellatione vel post solam interpellationem circa voluntatem se convertendi. Cum his auctoribus existimamus praefatum actum Pontificis nullatenus posse haberi pro exercitio potestatis dispensandi in vinculo matrimonii, etiam consummati, in infidelitate contracti, sed esse declarationem juris divini. Non tamen satisfacit illud quod aliqui addunt, S. Pium V et Greg. XIII aliosve Pontifices nihil aliud egisse quam, peculiaribus suadentibus circumstantiis, rigorem judicialis interpellationis auferre, seu canonicarum legum rigorem temperare, loco formalis ac rigorosae interpellationis judicialis admittendo in favorem fidei extrajudicialem notitiam, quod vel omnino ignoretur ubinam degat infidelis, vel saltem judicialiter interpellari nequeat. Sic enim Pontifex tantum videretur dispensare in lege ecclesiastica judicialem formam praescribente, et novas nuptias, etiamsi interpellatio fieri nequeat, sine ea non permittente absque obtenta licentia. Nec concipitur varios ex illis auctoribus in ejusmodi circumstantiis semper niti in discedendi voluntate a parte infidelis, dicendo scil. ex circumstantiis, argumentis, extrajudicialibus notitiis, suaderi infidelem non velle converti nec cohabitare. Videtur potius res

non scripsisset Constitutiones S. Pii V et Greg. XIII (n. 473 sq.) nonnisi ex praeconcepta opinione posse intelligi de dispensatione interpellationis. Hi igitur admittunt eam. de qua c. 30, § 1, agetur, potestatem Rom. Pontificis dispensandi in vinculo praefati matrimonii, licet consummati, dummodo non post utriusque baptismum.

(1) Inter quos Ben. XIV, *De syn.* l. 6, c. 4, n. 3 sqq., l. 13, c. 21, n. 4 sq. et ut secretarius S. C. C. in cit. *Florentina* a. 1726 et 1727 (n. 487 sq.), Perron. op. cit. t. 2, p. 318, *Prael. theol.* de matr. n. 105, Giovine, t. 1, p. 508 sq. 519, 522, Laemmer ap. Vering, *Archiv fuer kath. Kirchenrecht*, t. 11, p. 248, de Angelis, t. 3, part. 1, p. 320 sq., Braun, ap. Vering, *Archiv* t. 46, p. 392 sqq., ubi alios citat.

explicanda, saltem in plerisque casibus, per declarationem juris divini innixam discessu de facto ac motivo ab Apostolo indicato, ut specialiter inde a n. 493 notabitur; et quum praeterea ecclesiastico saltem jure numquam liceat novum matrimonium inire absque licentia Rom. Pontificis, etiamsi interpellatio fieri nequeat, in jure quoque ecclesiastico dispensatio aderit.

490. Si interpellationi respondeat pars infidelis (1) se velle converti, omnino est retinenda (2). Si vero respondeat se non quidem velle converti, sed velle pacifice et sine contumelia Creatoris cohabitare, pars conversa non tenetur, nisi ex charitate quando conversionis spes probabilis affulget, manere cum infideli. Cum pluribus enim gravissimis auctoribus contra alios (3) opinamur S. Paulum in v. 12 sq. dare consilium, non praeceptum, non dimittendi, quam opinionem existimamus esse tutam in praxi, imo praxi Ecclesiae conformem. Potest tamen cohabitare si velit (idque consulit Apostolus), dummodo absit periculum subversionis vel peccati mortalis; secus enim jus ipsum naturae et divinum postulat ut, si periculum removeri nequeat, non cohabitet. Ordinarii est hac de re judicare, et, consideratis omnibus circumstantiis, cohabitationem aut permittere aut negare; ipsius est curare, « ne infideli conjuge in societatem thori consentiente, id mali sequatur, ut neophytus ad vomitum redeat, et in pristinas infidelitatis tenebras prolabatur (4). » Ratio non permittendi cohabitationem facilius existit, si agatur de Judaeis quam si de paganis, et cum his saepius non prohibetur cohabitatio in regionibus infidelium. In nonnullis regionibus regulariter non permittitur coha-

(1) Invigilandum est ne subdole respondeat; cf. S. C. de Prop. Fide 30 mart. 1836 (cit. *Collectanea* n. 940).

(2) Vid. cit. c. *Gaudemus*, De divortiis.

(3) Ea de re cf. Verricell. q. 170, n. 1 sq., Kenrick, tr. 21, n. 48, Perron. *De matr. christ.* ed. Rom. t. 2, p. 312, 321 sq., Ballerin. ad Gury, t. 2, n. 759 sub 3°, Palmieri l. c. p. 218 sq.

(4) Ben. XIV, *De syn.* l. 13, c. 21, n. 1.

bitatio, praesertim cum parte Judaea. Quamquam itaque non desunt clari nominis auctores, qui censent, gravi spectato periculo cui fidelis exponitur, hodie cessasse supra memoratum S. Pauli sive consilium sive praeceptum, et societatem cum infideli saltem hodie semper illicitam esse, nisi, ut addunt aliqui, episcopus ob spem conversionis dispenset; id tamen absolute admitti nequit, sed a casuum circumstantiis rem pendere ex hujus ipsius doctrinae ratione, nempe periculo, colligitur (1).

491. Quum igitur non teneatur conversus cohabitare cum infideli nolente converti, sed volente pacifice et sine contumelia Creatoris cohabitare, quumque, etiamsi fidelis cohabitare velit, nihilominus cohabitatio possit ab Ordinario prohiberi, potestne in utraque hac hypothesi novum matrimonium a fideli contrahi (2)? Casu quo cohabitatio non est prohibita, sed sola conversi voluntate negatur, opinamur novas nuptias contrahi non posse, idque colligi tum ex citt. c. *Quanto* et *Gaudemus*, De divortiis, ac documentis citt. n. 475, 485, 485 dub. 2, ad 1 (3), tum ex verbis S. Pauli. In ejusmodi enim casu neque infidelis ipse *discedit*, neque locus est rationi ab Apostolo additae : *Non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi*, quum sponte sua fidelis vitam coelibem tunc eligat neque ad eam cogatur. Nec procedit

(1) De hac quaestione cf. Verricell. q. 98. n. 183, q. 170. q. 177. n. 2 sqq., Clericat. decis. 11. *De Sacr. matr.* n. 10 sqq. 30-45, Ben. XIV. Kenrick. Perron. Ballerin. ll. cc. Carr. n. 280, Palmieri l. c. p. 218 sq., Planchard ap. *Nouv. rev. th.* t. 15, p. 413 [417] sq.

(2) Verricell. q. 98, n. 183, q. 177, n. 2 sqq., Clericat. n. 30 sqq., S. Alph. n. 957, Carr. n. 279 sq., Kenrick, tr. 21, n. 46, Scavin. t. 4, n. 722. van de Burgt, *De matr.* n. 460, Perron. l. c. p. 321 sq., Ballerin. l. c., Giovine, t. 1, p. 519.

(3) Cf. etiam citata n. 481, 482 ad 2, et dicta n. 487 vs. *Verum*. Clare etiam patet ex docum. cit. n. 482 ad 5; quum enim in casu adulterii ab infideli commissi separatio fieri possit voluntate conversi, non tamen aliud contrahi matrimonium, inde liquet in casu quo sola voluntate conversi negatur cohabitatio, non posse novum iniri matrimonium, seu non esse locum privilegio fidei.

ratio in contrarium a nonnullis adducta, scil. infidelem revera discedere si nolit converti, et nolle converti idem esse ac nolle pacifice cohabitare, quum pacifica cohabitatio plerumque sit impossibilis, et perversionis periculum a pravo infidelis exemplo immineat. Si ita esset, vanae forent tot cautelae de interpellatione facienda non solum circa voluntatem se convertendi, sed etiam circa voluntatem pacifice et sine contumelia Creatoris cohabitandi (1).

Gravior vero haec disputatio est casu, quo cohabitatio non negatur sola conversi voluntate, sed prohibita est. Novas enim tunc nuptias posse iniri videri potest, tum quia prohibitio ejusmodi nititur periculo perversionis imminente ab infideli, ideoque is ipse prohibitionem noscens et converti nolens discedere dicendus est, tum quia locus est rationi ab Apostolo adductae, quum ad vitam coelibem fidelis cogeretur. Ideirco novas nuptias generaliter permittere solent qui hodie semper illicitam esse cohabitationem opinantur, alii vero in casibus saltem in quibus ob circumstantias vel regionis morem prohibetur. Quamquam opinio in casu prohibitae cohabitationis novas nuptias permittens valde probabilis est, nihilominus existimamus in praxi prius esse confugiendum ad Rom. Pontificem, idque patere ex necessitate interpellandi etiam circa voluntatem pacifice cohabitandi, nisi Rom. Pontifex novas nuptias absque hac interpellationis parte contrahi posse permiserit (2).

492. Si infidelis cohabitationem neget in odium fidei seu propter compartis conversionem, haec privilegio fidei fruitur, sive ab initio animum illum declaret infidelis, sive per longum tempus

(1) Cf. Perron. l. c. p. 321. Ipse Verricellus, qui in casu proposito novas nuptias permiserat q. 98, n. 183, ab hac opinione recessit q. 177, n. 4 et 7 sq.; cum quibusdam tamen aliis opinatur posse Pontificem in isto quoque casu dispensando dissolvere matrimonium, etiam consummatum, in infidelitate initum; sed hac de re dicemus c. 30 § 1.

(2) Vid. n. 487 sq. 494 vs. *Porro.*

pacifice cohabitans postea mutet animum, et aut cohabitationem solvat aut molestias inferat Religioni vel ad mortale peccatum pertrahat (1). Si vero non in odium fidei, sed propter alias causas a fide diversas, sive statim sive post perdurantem cohabitationem amplius cohabitare nolit, nihilominus gaudet fidelis privilegio fidei alias nuptias ineundi, dummodo non dederit infideli justum ac rationabile motivum discedendi (2). Si igitur infidelis cohabitationem neget propter adulterium a fideli commissum post Baptismum, is non fruitur privilegio fidei, nisi adulterium illud jam condonaverit infidelis, vel et ipse fuerit adulteratus absque causa a converso data (3). Habet vero fidelis privilegium fidei, si infidelis cohabitationem neget propter adulterium aliudve crimen a comparte commissum ante Baptismum, etiamsi illud non fuerit ab infideli condonatum; crimina enim ante Baptismum commissa objici numquam possunt (4). Quodsi infidelis velit pacifice cohabitare, sed adulterium commiserit, non potest conversus, saltem extra casum prohibitae cohabitationis (5), novas nuptias contrahere; tantum potest negare tori et cohabitationis consortium (6). Quamquam autem aliunde juxta dicta n. 490 non tenetur cohabitare, adulterium tamen ad hunc effectum allegare non potest, si illud jam condonaverit vel ejus causa fuerit, ex. gr. per libellum repudii datum infideli, qui deinde adulteratus sit cum alio cui nupsit, non vero cum alio cui non nupsit, vel si ipse post suam conversionem sit adulteratus (7).

(1) Vid. docum. citt. n. 477 ad 1 et 5, 484 ad 2.

(2) Vid. docum. cit. n. 477 ad 2.

(3) Cf. Perron. sup. in notis ad n. 477 sq., et vid. cit. c. *Gaudemus*, De divort., juxta quod infideli, qui post repudium a comparte acceptum alteri nupsit, adulterium cum hoc commissum objici non potest, sed tantum adulterium commissum cum aliquo cui non nupsit.

(4) Vid. docum. cit. n. 478.

(5) Cf. n. 491.

(6) Vid. docum. cit. n. 482 ad 5, et cf. n. 491 init.

(7) Cf. sup. hoc ipso numero vs. *Si igitur* cum nota ibi apposita. Quovis

493. Si pars conversa, non praemissa nec dispensata interpellatione, novum matrimonium contrahat, graviter delinquit. Valor autem matrimonii juxta multos (1) pendet ex superveniente infidelis consensu vel dissensu quoad conversionem et pacificam ac sine contumelia Creatoris cohabitationem; putant enim de hoc casu esse statuendum ut de matrimonio absque morali de obitu compartis certitudine contracto. Haec tamen opinio non congruit documentis citatis n. 480, 482 ad 1, 2 et 3, e quibus matrimonii sic contracti in aliquo saltem casu nullitas deducitur, et lux aliqua affunditur aliis documentis, quibus constat novas nuptias iniri non posse, nisi aut facta interpellatione tum quoad voluntatem se convertendi tum quoad voluntatem pacifice cohabitandi, aut dispensata interpellatione, sive ex toto, sive quod spectat ad voluntatem pacifice cohabitandi (2). Matrimonii itaque, non praemissa nec dispensata interpellatione contracti, in aliquo saltem casu nullitas elucet ex documentis citatis n. 480, 482 ad 1, 2 et 3 (3); sed operae pretium est accuratius id indagare, uti etiam quae videantur esse hac in re partes juris divini, quae vero juris ecclesiastici, et quam naturam videatur habere actus Rom. Pon-

casu graviter est illicitum more infidelium dare libellum repudii; cf. Ben. XIV in cit. const. *Apostolici* (n. 487), *De syn.* l. 6, c 4. n. 6, et ut secretarius S. C. C. in *Florentina* 29 mart. 1727 (*Thes. S. C. C.* t. 4). Ipsis quoque Judaeis post latam legem Evangelicam, et quidquid sit dicendum de liceitate sub V. T., certo illicitum illud est, nec dissolveretur matrimonium. Imo si cum pacto potestatis dandi libellum repudii initum hoc fuerit, ab initio fuit invalidum propter repugnantiam cum substantia matrimonii. Cf. Verricell. q. 176, n. 3 sqq. De Baptismo conferendo mulieri a marito infideli venditae vel repudiatae, vid. docum. citt. n. 479. 482 ad 4.

(1) Ea de re cf. Clericat. decis. 11 *De Sacr. matr.* n. 21, Ballerin. ad Gury, t. 2, n. 579 sub 3°, not. ult.

(2) Cf. n. 487 sq.

(3) Vid. etiam S. C. de Prop. Fide 3 januar. 1777 ad 1. 2. 3 (*Collectanea* n. 926), 5 mart. 1787 (Ib. n. 928), alia 5 mart. 1816 (Ib. n. 935). Pius IX 10 dec. 1876 (Ib. n. 959), S. Off. 11 sept. 1878 (Ib. n. 1055).

tificis in interpellatione dispensantis seu absque ea novas nuptias permittentis. Praenotandum autem est, videri ipsam S. Sedem in documentis, quibus in quocumque casu esse necessariam interpellationem declarat, nisi a Rom. Pontifice dispensetur, nihilominus non declarare hanc necessitatem, quae in quovis etiam difficillimo casu exstat jure saltem ecclesiastico, in quovis casu esse constitutam jure divino, atque pro valore quidem novi matrimonii; imo S. Sedes, licet expresse interrogata de jure divino, ad hujusmodi quaestionem interdum non respondit, saltem explicite (1), quamquam alias generaliter jus divinum affirmans (2).

494. Quando interpellatio fieri potest, ipso jure divino eam esse pro valore novi matrimonii necessariam existimamus, non solum quoad voluntatem se convertendi, sed etiam quoad voluntatem pacifice cohabitandi. Hunc enim saltem casum comprehendit Sedis Ap. declaratio de nullitate (3) matrimonii, non praemissa nec dispensata interpellatione contracti. Et revera ex una parte dici nequit infidelem velle discedere, nisi ejus contradictio constiterit; ex altera vero rationi quoque privilegii fidei locus non est; nam in casu posito fidelis nulli esset servituti subjectus. Videri tunc tantum potest interpellationis pro novi matrimonii validitate necessitas non esse de jure divino, si aliunde certo jam constet infidelis contradictio; sed quum fieri posset infidelem mutasse suam voluntatem, etiam tunc non videtur posse novum matrimonium tuto haberi pro valido, nisi aut praemissa interpellatione aut obtenta licentia Rom. Pontificis, cui soli competit juris divini declaratio.

Porro, quando interpellatio fieri potest, numquam in ea Pontifex dispensat ex toto, sed tantum ex parte, nempe ut sufficiat interpellatio an infidelis velit converti. Praesertim id fit quoties

(1) Vid. docum. cit. n. 482 ad 1.

(2) Vid. p. 362, not. 5.

(3) Vid. n. 480, 482 ad 1, 2, et 3, coll. n. 493, aliaque documenta citata in fine not. 6, p. 362 sq.

cohabitatio est prohibita, nec difficile tunc res explicatur, quum ejusmodi prohibitionis ratio sit perversionis periculum, quo spectato, infidelis revera dici potest sua voluntate discedere, et verificatur etiam motivum quod fidelis non est servituti subjectus in hujusmodi (1). Sic igitur jus divinum in tali casu Pontifex declarat, quod ipsi soli competit, et opus non est dispensationem illam seu actum Rom. Pontificis cum aliis habere pro dispensatione Pontificia in vinculo matrimonii, etiam consummati, in infidelitate contracti.

Difficilior evadit explicatio quando interpellatio fieri potest, cohabitatio autem non est prohibita, et de legitima uxore constat, ac nihilominus Pontifex permittit ut, hac nolente converti, nuptiae contrahantur cum alia jam baptizata (2). Sunt qui dicant eo quoque casu Pontificem dispensare in vinculo matrimonii, licet consummati, in infidelitate initi; sed potius quam hanc explicationem adoptemus, rursus opinamur Pontificem declarare jus divinum, scil. in circumstantiis, pro quibus ita declarat, cessare obligationem juris divini quoad necessitatem retinendi primam uxorem volentem saltem pacifice cohabitare.

495. Si, debita facta interpellatione, infidelis intra terminum ei praefixum non respondeat, certitudo tamen habeatur interpellationem ad eum pervenisse, sunt qui existiment ejusmodi silentium haberi posse pro responsione negativa, et novas nuptias posse contrahi (3). In se quidem hoc omnino est rationi congruum, dummodo constet infidelem non esse legitime impeditum quomi-

(1) Cf. n. 491 vs. *Gravior*.

(2) Vid. documenta citt. n. 473, 477 ad 5, 481 in fine, 485 dub. 1 ad 2, 488.

(3) Cf. Verricell. q. 98, n. 182, Perron. l. c. p. 321, Giovine, t. 1, p. 526; hi duo posteriores loquuntur quidem de locis, in quorum gratiam Apostolica privilegia data sunt, rationem tamen adducunt, quae pro omnibus locis valet, scil. quod jure ipso communi ille, qui interpellatus non respondet, perinde est ac si declaret nolle cohabitare.

nus respondeat (1). Practice tamen non est fidelis admittendus ad novum matrimonium, nisi permittente Pontifice, idque ad validitatem etiam novi matrimonii videtur extendendum, si non constet legitimo impedimento detineri infidelem, et multo magis si constet eum legitime impediri. Idem dicendum maxime est si constet interpellationem ad infidelem non pervenisse, vel si non constet ad eum pervenisse. Revera merum silentium non sufficere, firmari videtur per documenta, quibus nonnulli Pontifices pro certis regionibus et circumstantiis concesserunt facultatem remittendi interpellationem (2). Actus autem Pontificius novas nuptias permittens nobis non est dispensatio in vinculo matrimonii, licet consummati, in infidelitate contracti, neque dispensatio in interpellatione jure divino requisita; sed declaratio juris divini, non tam inixa discedendi voluntate infidelis, quam discessu de facto et motivo non esse servituti subjectum fidelem in hujusmodi. Licet autem in circumstantiis initio hujus numeri indicatis videri possit per se et absque superveniente Pontificis actu esse affirmandam novi matrimonii validitatem; non ita tamen in reliquis, quum absque juris divini declaratione, quae soli Pontifici competit, valor asseri tuto nequeat.

496. Si de extraordinaria illa agatur circumstantia, quod interpellatio fieri nequeat, rursus diversae hypotheses distinguendae sunt. Si interpellatio fieri nequeat quia infidelis malitiose latet, idque certo constet, dicito ut num. praec. de casu quo intra prae-

(1) Cf. Verricell. l. c. Si pars infidelis, interpellata an velit converti vel saltem pacifice et sine contumelia Creatoris cohabitare, respondeat se quidem velle sed detineri a secundo marito vel a creditore qui illam abire non sinunt, locus est privilegio fidei si infidelis non redierit intra justum aliquod et rationabile temporis spatium, dummodo fidelis non sit causa impedimenti quo infidelis detinetur; vid. S. Off. 12 junii 1850, ap. cit. *Collectanea* n. 948.

(2) Vid. n. 474, 481. Ben. XIV, § 2 const. *In suprema* (n. 488); cf. etiam n. 475, 488. S. C. de Prop. Fide 3 januar. 1877 (cit. *Collectanea* n. 926), 5 mart. 1787 (Ib. n. 928), S. Off. 22 nov. 1871 (Ib. n. 957).

fixum tempus non respondet; imo fortior est ratio in casu nunc posito, nam malitiose latens, si id constet, merito censetur non velle. Si fieri interpellatio nequeat, quia sciri non potest quaenam e pluribus fuerit vera uxor, dicito ut n. 486; ibi enim data explicatio sufficit, nec opus est recurrere ad eam, quae remedium quaerit in dispensatione Pontificia in vinculo matrimonii, licet consummati, tempore infidelitatis contracti, vel in dispensatione interpellationis divinitus praescriptae. Si vero interpellatio fieri non possit, quia sciri nequit ubi infidelis degat, an adhuc vivat, vel quia, cognito licet loco, constat debitam interpellationem ei transmitti non posse propter accessum moraliter impossibilem, vel inde oritura gravissima mala, ex. gr. persecutionis in Religionem christianam (cf. n. 481), novae nuptiae iniri non possunt nisi de licentia Rom. Pontificis. Hujus autem actum rursus nullatenus habemus pro dispensatione in vinculo matrimonii, licet consummati, in infidelitate contracti, neque pro dispensatione interpellationis jure divino requisitae, sed pro declaratione juris divini, scil. novas nuptias posse iniri, non obstante defectu interpellationis, non quod sua voluntate discedere dicendus sit infidelis, sed quod in ejusmodi circumstantiis fidelis non sit servituti subjectus in hujusmodi. Imo ne in eo quidem veram dispensationem in vinculo matrimonii, vel dispensationem interpellationis divinitus praescriptae, sed juris divini declarationem admittimus, quod, dispensata interpellatione et novo matrimonio contracto, firmum hoc maneat, etiamsi postea innotescat infidelem legitimo impedimento detentum suam voluntatem manifestare minime potuisse, vel ad fidem conversum fuisse et ipsum, quando novum illud matrimonium contrahebatur. Rursus autem hanc declarationem censemus niti discessu de facto, et motivo quod fidelis non est servituti subjectus in hujusmodi, non vero infidelis voluntate discedendi.

In hujusmodi igitur hypothesibus declaratio juris divini nobis non nititur in infidelis voluntario discessu, sed in ejus discessu

de facto, et motivo ab Apostolo addito. Quatenus vero consideratur ecclesiastici quoque juris prohibitio, ne in ullo prorsus casu, nisi praemissa quoad utramque suam partem interpellatione, et accepta infidelis responsione negativa, novae nuptiae incantur sine Rom. Pontificis licentia, eatenus haec in diversis positis hypothesibus ecclesiasticae quoque prohibitionis relaxationem seu dispensationem continet.

497. Privilegio fidei utens novum matrimonium absque dispensatione valide inire nequit, nisi cum persona baptizata (1); secus enim adesset dirimens impedimentum disparitatis cultus. Insuper, ut licite ineatur novum matrimonium, debet contrahi cum catholica; ex dispensatione quidem licite posset cum haeretica contrahi, sed haec dispensatio numquam in hujusmodi casu obtinebitur. Semper autem opus est novo in debita forma praestito consensu mutuo, etiamsi novum matrimonium incatur cum una ex mulieribus, quas conversus habebat dum erat infidelis (2). Praeterea in omni casu, quo ex privilegio fidei ad novum proceditur matrimonium, hoc inire non licet absque Ordinarii interventione, quae tamen ad valorem necessaria dici nequit, dummodo reliqua ex parte interpellationis cet. ad valorem necessaria non desint.

498. Olim controvertebatur quandonam in casu Apostoli matrimonium in infidelitate initum solveretur; sed certum est illud neque dissolvi per Baptismum a converso susceptum, neque statim ac infidelis respondet se nec velle converti nec pacifice ac sine contumelia Creatoris cohabitare, neque quando lapsus est terminus auctoritate ecclesiastica praestitutus ut voluntatem suam infidelis manifestet 3), sed illud dissolvi ipso momento quo vali-

(1) Vid. docum. citt. n. 473-475, 477 ad 5, 481, 483, 485 dub. 1 ad 2, dub. 2 ad 2; cf. n. 440, 486.

(2) Vid. docum. citt. n. 474. 477 ad 5, 483, Ben. XIV § 2 cit. const. *In suprema* (n. 488); cf. sup. n. 440, 486, Ben. XIV, *De syn.* l. 13, c. 21, n. 6 sqq.

(3) Proposito dubio : « Utrum dilato ex parte fidelis per notabile tem-

dum aliud matrimonium contrahitur (1). « Prudentia exiget, ut antequam pars libera ad alias nuptias transeat, divortium civile obtineatur (2). »

Soluto priori matrimonio, filii ex eo suscepti, qui (quod in dubio praesumitur) nondum habent plenum rationis usum, partem conversam sequi debent; qui vero plenum rationis usum habent, quantum fieri potest, parti fideli sunt committendi, non tamen ad fidem cogendi, sed suae libertati relinquendi (3).

499. Si altera quoque pars convertitur et baptizatur antequam prius conversa novum ex privilegio fidei inivit matrimonium, hoc iniri amplius non potest. Quod vero attinet ad quaestionem, an pars prius conversa teneatur alteram postea conversam recipere seu ad eam redire, certo tenetur id facere ex charitate, si secus periclitaretur compartis conversio; de justitiae tamen obligatione disputant auctores. In cit. c. *Gaudemus,* De divortiis,

pus matrimonio post interpellationem factam, vel post obtentam ab ea dispensationem, nova interpellatio aut dispensatio nova necessaria sit? Et quatenus affirmative, quod temporis spatium intercedere debeat inter primam et secundam, aut interpellationem, aut ab ea dispensationem? », S. C. de Prop. Fide 26 junii 1820 respondit : « Negative, quatenus fuerit facta interpellatio; affirmative, post annum, in casu dispensationis obtentae ab initio. » Ap. cit. *Collectanea* n. 936.

(1) Hanc doctrinam, quae jam olim communissima erat (cf. Ben. XIV ut secretarius S. C. C. in *Florentina* a. 1726. et Ben. XIV const. *Apostolici.* sup. n. 487), certam esse liquet ex cit. c. *Gaudemus.* De divort. (inf. n. 499), ex *Florentina* 1 jul. 1679, l. 30 Decr. p. 352 a tergo, et 13 apr. 1680, l. 31 Decr. p. 88 a tergo (citatur in praefata *Florentina* a. 1726), ex hac ipsa *Florentina* a. 1726, cujus resolutio ex hac quaestione pendebat, ex Ben. XIV epist. *Postremo* 28 febr. 1747, § 58 (*Bullar. Ben. XIV,* t. 2, const. 28 ; ed. Mechl. vol. 5, p. 96 sq.), et const. *Apostolici* (n. 487), ex documento citato n. 477 ad 5, aliisque supra citatis Cf. etiam Ben. XIV, *De syn.* l. 6, c. 4, n. 4, Giovine, t. 1, p. 514 sqq., Ballerin. ad Gury, t. 2, n. 759 sub 3°.

(2) Konings, n. 1551, *Nota.* Vid. etiam inf. n. 583.

(3) Vid. cap. *Ex literis,* 2, *De conversione infidelium.;* cf. Clericat. decis. 12 *De Sacr. matr.* n. 18 sq., de Justis, l. 2, c. 15, n. 44.

haec leguntur : « Quod si conversum ad fidem et illa conversa sequatur, antequam propter causas praedictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compelletur. » Excipe casum, quo pars prius conversa emisit professionem religiosam vel suscepit sacros Ordines (vid. num. sq.), et eum quo secundo conversus post suam conversionem dedit causam obtinendi separationem. Ante conversionem gesta, ex. gr. adulterium, non possunt opponi. Attamen ob fundatum timorem jurgiorum et molestae cohabitationis suaderi vel obtineri potest, ut non compellantur cohabitare.

500. Si pars infidelis interpellata non vult converti vel pacifice cohabitare, vel, etiamsi id velit, non tamen permittenda censetur cohabitatio, vel universe, si non vult pars conversa cohabitare, generaliter loquendo potest haec sacros Ordines suscipere vel ingredi Religionem, dummodo probabilis spes conversionis alterius non affulgeat.

Si conversus sacros Ordines suscepit, non est restituendus comparti, licet et haec sit conversa. Quamquam enim matrimonium contractum numquam solvitur per Ordinis sacri susceptionem (vid. c. 21), cum statu tamen ordinati pugnat cohabitatio. Non solum igitur pro petendo vel reddendo debito, sed et pro mera cohabitatione requireretur Sedis Ap. dispensatio, quae etiam pro hac sola vix umquam concederetur. Si conversus nondum suscepit sacrum Ordinem, applica dicenda in vs. sequenti.

Si pars conversa Religionem fuit ingressa, et deinde altera pars convertitur, aut hujus conversio locum habuit ante, aut post professionem a priori emissam. Si ante, alii opinantur hanc non teneri exire e Religione ac reverti ad compartem, quum res non sit integra, et illa reperiatur in statu pugnante cum matrimonio. Alii docent contrarium, quia res integra est, et pars prius conversa est tantum in via ad statum matrimonio repugnantem. Si non adest justa ratio obtinendi separationem, ex. gr. adulterium ab altera parte commissum post suam conversionem, odium,

timor jurgiorum ac molestae cohabitationis, opinamur debere redire, quod quidem magis quoque est in favorem fidei quam contraria solutio.

At si post professionem a prius conversa parte emissam altera quoque convertitur, illa non potest exire absque Sedis Ap. dispensatione, quae non tantum requiritur pro petendo debito, sed et pro sola cohabitatione et exitu e Religione, vix umquam tamen concederetur. Imo sunt qui opinentur (1) casu quo, uno manente infideli, alter professionem solemnem emittit, matrimonium etiam consummatum dissolvi. Etenim, ajunt, 1° vinculum matrimonii rati fidelium fortius est vinculo matrimonii consummati infidelium, quum suam firmitatem ducat non solum ex natura contractus, sed etiam ex Sacramento; illud tamen per professionem solemnem dissolvitur. 2° Professio religiosa est altera mors. Cum aliis ea dissolutio omnino videtur neganda; nam 1° dissolutio juri divino foret attribuenda, eo autem non reperitur nisi pro novo matrimonio concessa et expressa I Cor. VII. 15. 2° Vinculum matrimonii rati fidelium non est fortius vinculo matrimonii consummati infidelium. Matrimonii indissolubilitas non provenit a Sacramento, sed per elevationem ad Sacramenti dignitatem fuit confirmata, benedicta, sanctificata, validius roborata, matrimonii autem consummatio peculiarem addit indissolubilitatis rationem. Quare vinculum matrimonii rati fidelium fortius quidem est vinculo matrimonii veri infidelium, non tamen vinculo matrimonii infidelium consummati. Alii alias addunt rationes, ut idem ostendant (2). 3° Prioris opinionis ratio secunda, quam Clericatus dicit

(1) Inter quos Clericat. decis. 12 *De Sacr. matr.* n. 3 sqq.

(2) Ben. XIV, ut secretarius S. C. C. in *Florentina* reproposita 29 mart. 1727 (*Thes. S. C. C.*, t. 4), ipse quidem non pronuntiat, satis tamen manifestat quid sentiat; nam, enumeratis casibus, in quibus cessat matrimonii indissolubilitas, addit a dissolutione matrimonii rati inter fideles non valere argumentum pro dissolutione matrimonii consummati infidelium.

manifestam, est manifesto falsa; sequeretur enim solvi etiam matrimonium consummatum fidelium, quod certo falsum est (cf. c. 22).

Ex dictis patet, non facile, nec nisi interveniente auctoritate Superioris ecclesiastici, qui circumstantias maturo examini subjiciet, posse converso permitti ingressum in Religionem vel in viam ad suscipiendos sacros Ordines.

501. Inito a fideli novo matrimonio, potest pars infidelis, si et ipsa dein baptizetur, cum alia baptizata non solum valide, sed etiam licite (1), matrimonium contrahere. Si vero altera pars maneat infidelis, alii affirmant, alii negant hanc posse cum alia infideli novum inire matrimonium; sed hodie communis est doctrina tum valide tum licite infidelem cum alia infideli matrimonium eo casu inire (2).

Si vero fidelis non inivit novum matrimonium, eo superstite invalide alteri nubit infidelis, nec potest huic, si postea convertatur, Baptismus conferri nisi, abjectis adulterinis nexibus, se a nova comparte separaverit (3). Verum autem hoc est etiamsi haec quoque convertatur (4), imo eo etiam casu tenetur ad prius conversam eam recipere volentem redire (5), nisi haec post suam con-

(1) Aliqualem controversiam an liceat, vid. ap. Giovine, t. 1, p. 512 sq. Loquimur autem, uti patet, de matrimonio cum persona catholica, non vero cum haeretica; ad hoc enim ineundum utique requiritur dispensatio Apostolica, quae tamen in casu non concederetur.

(2) Ben. XIV, ut secretarius S. C. C. in *Florentina* reproposita 29 mart. 1727 (*Thes. S. C. C.* t. 4), jam dicebat communem hodie videri sententiam valide eam agere, et forte etiam licite, quia licet privilegium casu Apostoli per se datum sit fideli favore fidei, per accidens tamen datur etiam infideli, si fidelis novum inivit matrimonium. Pontifex factus noluit qua talis quaestionem dirimere, sed in § 58 cit. const. *Postremo* (n. 497) dicit rem in dubio esse, et in cit. const. *Apostolici* (n. 487) scribit nihil se definire intendere, sed singulas sententias suo loco relinquere.

(3) Vid. docum. cit. n. 479.

(4) Vid. S. C. C. 1 jul. 1679, 13 apr. 1680 (sup. p. 377 not. 1).

(5) Ib.

versionem justum dederit separationis motivum. Neque ad novum ejus matrimonium sufficit conversae vel prius conversae partis consensus. Professionem quoque solemnem ab hac emissam ad illud non sufficere censemus juxta dicta n. 500. Sunt qui opinentur (1) posse recurri ad dispensationem Pontificiam in vinculo matrimonii, etiam consummati, infidelium, si prius conversus suscepit sacrum Ordinem vel emisit professionem religiosam aut votum absolutae castitatis, nec libenter admittit secum in his dispensari, alter vero nonnisi aegre in statu continentiae vivere potest. Sed de illa potestate Pontifici competente necne vid. c. 30 § 1, ubi iterum agetur de sensu constitutionum S. Pii V et Greg. XIII.

502. Non desunt qui opinentur (2) tunc etiam valere privilegium fidei, quando quis ex infidelitate transit ad acatholicos et valide baptizatur. Propugnari id merito potest pro casibus in quibus omnia jure divino quoad interpellationem requisita fuerunt impleta, et in quibus nulla opus est Rom. Pontificis licentia seu juris divini declaratione, saltem ut novum matrimonium tuto

(1) Cf. Ballerin. ad Gury, t. 2, n. 759 sub 3°, initio, not. *c.*

(2) Perrone, *De matr. christ.* ed. Leod. 1861, t. 2, p. 324, Ballerin. ad Gury, t. 2, n. 759 sub 3°, in fine, ubi optat ut in publicam lucem prodeat opusculum in hoc sensu conscriptum a Tarquinio; Palmieri op. cit. p. 224 sqq., ubi memorat et ipse dissertationem Tarquinii, « quae edita tamen non fuit, neque ms. exemplar quivimus reperire. » De Angelis, t. 3, part. 1, p. 334 sq. refert consultum a se fuisse S. Off., ab hoc autem sibi fuisse responsum, S. Off. hunc casum expendisse, sed post serias inquisitiones nihil fuisse decisum, et proinde esse liberam utramque sententiam. Gravia esse pro utraque argumenta dicit de Angelis, ipse tamen videtur inclinare in sententium negantem. Braun ap. Vering, *Archiv* t. 46, p. 402 sqq. favet affirmanti. Negantem tenet Kutschker, op. cit. t. 1, p. 387. Supra memorata dissertatio, quam scripsit Tarquinius ut votum pro aliqua causa S. Off., ex italico idiomate in germanicum versa reperitur ap. Vering, *Archiv* t. 50, p. 224 sqq. Casum aliquem propositum refert Konings, t. 2, p. 394, et testatur se a quodam episcopo didicisse novum matrimonium fuisse declaratum validum.

habeatur pro valido. In reliquis vero casibus videtur non posse privilegium fidei agnosci, saltem ita ut novae nuptiae tuto habeantur pro validis. Licentiam autem seu dispensationem seu juris divini declarationem novus ille christianus profecto numquam obtineret a Rom. Pontifice, et facultates dispensandi aliis ab hoc concessae coarctatae sunt ad conversos ad fidem catholicam (1).

503. Non defuit etiam qui opinaretur (2) locum esse casui Apostoli, si fidelis ex dispensatione matrimonium contraxit cum infideli, et is dein renuit cohabitare pacifice ac sine contumelia Creatoris; sed negari debere certum est (3).

CAPUT XXI.

DE IMPEDIMENTO ORDINIS SACRI, ET HUJUS SUSCEPTIONE A CONJUGATO (4).

504. Ordines minores non impediunt quominus matrimonium ineatur; possunt enim iis insigniti nuntium mittere statui clericali; matrimonium tamen ab ipsis initum alios producit effectus quoad privilegia clericorum, beneficium cet. At Ordo sacer susceptus dissolvit sponsalia contracta, manente obligatione reparandi detrimenta quae sponsa patiatur, et, quamquam non dissolvit matrimonium jam contractum, dirimit contrahendum (5).

(1) Cf. Giovine, t. 1, p. 528, de Angelis l. c. p. 335.

(2) Kenrick, tr. 21, n. 110.

(3) Vid. docum. citt. n. 477 ad 4, 485 dub. 2 ad 2, S. Off. 14 junii 1708, ap. Perron. *De matr. christ.* ed. Rom. t. 2, p. 309.

(4) Vid. canonistas ad titt. *Qui clerici vel virentes matrimonium contrahere possunt, De clericis conjugatis, De conversione conjugatorum, De divortiis, De voto et voti redemptione.* Ibidem scribunt de sacro coelibatu, de quo cf. etiam Zaccaria, *Storia polemica del celibato sacro*, Rom. 1774, Moser, c. 5, Perron. *Prael. theol.* de Ord. n. 152 sqq.

(5) Vid. c. *Quod votum* un. *De voto et voti redemptione* in VI, Extrav. Jo. XXII *Antiquae* un. cod., Conc. Trid. sess. 24, can. 9 de Sacr. matr.

Praeterea qui in sacro Ordine constitutus et quae cum eo matrimonium contrahere seu attentare praesumit, incurrit excommunicationem latae sententiae Ordinario reservatam (1). Ad hoc non sufficiunt sponsalia, sed requiritur matrimonii celebratio seu attentatio ab habente scientiam nullitatis; an vero in locis, ubi obligat lex Tridentina de clandestinitate, sufficiat matrimonium, quod vocant civile, in cap. ultimo dicetur.

505. Invaliditas matrimonii ab existente in sacro Ordine contracti ex sola lege ecclesiastica esse communiter docetur; sed disputatur, et Conc. Trid. l. c. definire noluit, a quo fonte sit repetenda obligatio servandi castitatem et non contrahendi matrimonium, utrum a voto, an vero a lege Ecclesiae. A voto etiam aliqua ratione repeti debet (2), sed votum hoc servandae castitatis simul est sumendum cum lege ecclesiastica hanc obligationem susceptioni sacri Ordinis annectente, ita ut obligatio oriatur ex voto lege Ecclesiae solemnizato, et ad hanc quoque ipsam semper reducamur, ut ex sequentibus patet.

Intentionem esse Ecclesiae ut Ordinem sacrum suscipiens hoc ipso, saltem implicite, promittat seu voveat continentiam, ex pluribus documentis colligitur (3). Posse autem Ecclesiam hanc obli-

Pius IX in brevi *Ad Apostolicae* 22 aug. 1851 (sup. n. 7), et in syllabo a. 1864, prop. 72, damnavit errorem dicentium impedimentum Ordinis Sacri primum fuisse assertum a Bonif. VIII.

(1) Vid. Clem. un. *De consang. et affin.*, Pii IX const. *Ap. Sedis*, n. 1 inter excommunicationes latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatas. Cf. Avanzin. comment. ad hanc constit., p. 29 sq., ejus continuat. t. 2, p. 5 sqq., Avanzin. ed. man. not. 39, Giovine t. 1, p. 401 sq., de Angelis t. 2, part. 1. p. 35, *Acta S. Sedis*, t. 11. p. 33 sqq. 38 sqq., t. 15, p. 536 sq., *Nouv. rev. th.* t. 11, p. 46 sqq., t. 15, p. 230 sqq., Kohn ap. Vering, *Archiv*, t. 41, p. 390 sqq., Téphany, *Constitution Ap. Sedis*, Turonib. 1883, p. 349 sqq., comment. Reatin., Grandclaude, alios, ad const. *Ap. Sedis* l. c.

(2) Cf. S. Alph. de Sacr. Ordinis, n. 808, Gury et Ballerin. ed. a. 1869, t. 2, n. 41.

(3) Vid. S. Greg. M. l. 1, epist. 42, conc. Toletan. II, can. 1, conc. Arausic. I, can. 22, citt. c. un. *De voto* in VI et Jo. XXII Extrav. un. eod.

gationem imponere vel ex eo liquet, quod id non faciat nisi sub conditione voluntarie a suscipiente posita.

Hoc votum saltem implicite fit ab eo qui illud non excludit, sed bona fide Ordinem suscipit, quum animo obedienti suscipiat, et monitio praecedat non licere post susceptum Ordinem sacrum recedere. Libere igitur Ordinem suscipiens eo ipso vult se conformare intentioni Ecclesiae, seu facere quod Ecclesia exigit. Licet etiam non praecederet monitio, lex nihilominus est sufficienter stabilita, et continuo ipsa admonet omnes ad sacros Ordines accedentes.

506. Quapropter ignorantem sacro Ordini annexam esse obligationem continentiae, ad hanc teneri dicimus (1). Qui autem Ordinem sacrum suscipit cum expressa voluntate non promittendi vel non se obligandi ad continentiam, graviter peccat et proprie non emittit votum, sed valide suscipit Ordinem et est obligatus ad continentiam; eo enim ipso quod velit Ordinem suscipere, non potest non velle obligationes ei conjunctas (2).

Qui sacrum Ordinem suscipit ante usum rationis, ea obligatione non ligatur, nisi postea expresse vel tacite suam ordinationem libere ratam habeat, idque, ob rationes a Ben. XIV allegatas pro Cophtis, sed revera generales, post annum decimum sextum aetatis completum (3). Ordinatus vero post usum rationis, sed ante aetatem legitimam, completa tamen pubertate, ad continentiam obligatur, si, conformiter ad modo dicta, post annos sexdecim completos expresse vel tacite ratificaverit libere quod gestum est. Eum etiam qui ordinatur post usum rationis sed ante puber-

(1) De eo cf. S. Alph. l. c. n. 809, dub. 1, Carr. n. 797, Giovine, t. 1, p. 436.

(2) Cf. S. Alph. l. c. dub. 2, Gury et Ballerin. l. c. n. 42, q. 4.

(3) Vid. Ben. XIV const. *Eo quamvis* 4 maii 1745. § 3. 17-22, 25-32. 40, 42, 47-53 (*Bullar. Ben. XIV*, t. 1, const. 129; ed. Mechl. vol. 3. p. 131 sqq.), et const. *Anno vertente* 19 junii 1750, § 7-11 (Ib. t. 3, const. 30; ed. cit. vol. 8, p. 242 sqq.).

tatem, inspectis et comparatis iis quae habet Ben. XIV cit. const. *Eo quamvis* § 23 et 26, ejusque modo loquendi de ratihabitione, eodem loco habemus cum ordinato ante usum rationis.

507. Si quis ordinatur invitus, aut id fit per coactionem externam, quam auctores vocant etiam absolutam vel praecisam, ipso interne repugnante et contradicente, quo casu ipsa quoque ordinatio est invalida (1); aut fit per metum gravem seu cadentem in virum constantem, seu coactionem, ut vocant, non absolutam, non praecisam, sed conditionalem et causativam. In hoc autem casu valet ordinatio; ad continentiam quoque ille certo tenetur, si libere dein ratam habeat suam ordinationem, sed magna olim fuit controversia inter auctores de casu quo ratificatio facta non fuit. Multi dicebant talem teneri ad continentiam, sed habere causam justam obtinendi dispensationem; alii vero eum non teneri. Posterior sententia hodie videtur extra dubium posita (2). Semper tamen Sedis Ap. judicium seu late dicta dispensatio seu rescriptum gratiae seu declaratio interveniat necesse est. Haec tamen declaratio seu quasi dispensatio non conceditur, nisi metu probato ex adjunctis plurimis, et circumstantiis antecedentibus, concomitantibus et subsequentibus, iisque momenti ineluctabilis et inconcussi (3). Semper autem S. C. C. praescribit ut in pro-

(1) Cf. c. *Majores* 3 *De Baptismo et ejus effectu*.

(2) Cf. Ben. XIV, *De syn.* l. 12, c. 4, n. 2, Avanzin. *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 330 sq. in nota, t. 2, p. 450, t. 6, p. 94.

(3) Vid. Ben. XIV const. *Postremo* 28 feb. 1747 (*Bullar. Ben. XIV*, t. 2, const. 28, n. 50; ed. Mechl. vol. 5, p. 86). Pro libertate ordinati resolutum fuit pro subdiacono in *Ipren. Dispens.* 5 aug. 2 et 16 dec. 1719 (*Thes. S. C. C.* t. 1), pro diacono in *Parisien. Dispens.* 25 januar. 12 junii 1721 (Ibid. t. 2), pro subdiacono in *Namurcen. Dispens.* 19 nov. 1729, 10 mart. 1731 (Ib. t. 4 et 5), cum qua cf. negativam prius datam responsionem 16 dec. 1724 (Ib. t. 3); pro subdiacono etiam in *Biterren. Ordinis subdiaconatus* 21 aug. 1790 (Ib. t. 59), *Gratianopolitana* 3 jul. 1762 (Ib. t. 31), alia *Ordinis subdiaconatus et dispensationis* 13 aug. 1870 (*Acta S. Sedis*, t. 6, p. 85 sqq.). In duabus tantum ex hisce causis, nempe *Namurcen.* et *Gratianopolitana*, S. C. C. declaravit oratorem non teneri ad

cessu servetur forma const. Ben. XIV 4 mart. 1748 (vid. c. 28) de ordine servando in causis super nullitate professionis religiosae, ideoque etiam ut Ordinis defensor constituatur atque in omnibus audiatur.

508. Diversa viget in Ecclesia Orientali et Occidentali disciplina. Graeci aliique Orientales in sacris constituti, exceptis episcopis, licite retinent uxorem, quam ante hanc ordinationem duxerunt virginem et unicam seu primam; qui vero viduam duxerunt vel corruptam vel secundam, promoveri ad sacros Ordines licite non possunt. Post susceptum sacrum Ordinem matrimonium valide inire nequeunt, quod non solum certum est pro Italo-Graecis, sed pro reliquis etiam est sensus ac praxis Sedis Ap. (1).

509. In Ecclesia Latina conjugato facultas generatim non est suscipiendi Ordines, interdum tamen est uxore consentiente, interdum invita; de quo haec est auctorum doctrina.

continentiam; in reliquis vero duxit esse consulendum SS^mo pro dispensatione, ideoque, metu forsitan non omnino probato, alio hoc remedio uti maluit; cf. Avanzin. op. cit. t. 2, p. 450 sq. Saepissime autem negata fuit declaratio libertatis oratoris, ut plurimum ob non probatum metum, interdum etiam ob tacite ratificatam ordinationem, nec voluit S. C. C. consulere SS^mo pro dispensatione; inter multas ejusmodi causas. vid. *Marsicen. Sacrae ordinationis* 7 dec. 1861 (*Thes. S. C. C.* t. 120, et *Acta S. Sedis* t. 1, p. 328 sqq.), *Pennen. Ordinis subdiaconatus et dispens.* 28 jul. 1866 (*Thes. S. C. C.* t. 125, *Acta S. Sedis*, t. 2, p. 443 sqq.).

(1) Vid. Ben. XIV const. *Etsi pastoralis* 26 maii 1742, § 7, n. 26 sqq. (*Bullar. Ben. XIV*, t. 1, const. 57; ed. Mechl. vol. 1, p. 368 sq.), const. *Eo quamvis* § 34 sqq. et const. *Anno vertente*, § 13 (sup. n. 506), S. C. de Prop. Fide Instr. 24 mart. 1858 (ap. *Anal. jur. Pont.* ser. 16, col. 243 sqq., de Angelis, t. 3, part. 1, p. 164 sqq.), de Angelis, ib. p. 160 sqq. et t. 2, part. 1, p. 33 sqq. De varietate autem quoad primum Ordinem sacrum apud diversos Orientales existente, et de eorum disciplina universim, cf. etiam Kutschker, t. 3, § 135, Hergenroether ap. von Moy et Vering, *Archiv*, t. 8, p. 180 sqq., Laemmer ib. t. 10, p. 242 sqq., Mittermueller ib. t. 16, p. 3 sqq., 209 sqq., Papp-Szilagyi, part. 2, § 83, 101, Zhisman p. 449 sqq.

Invita uxore regulariter est illicita susceptio Ordinum, et extra casus permissos sic suscipiens S. Ordinem valide sed illicite agit; tenetur autem reddere debitum, sed petere non potest. Duo solent a praefata prohibitione excipi casus, 1° quando adulterium uxor commisit, 2° quando lapsa est in haeresim vel apostasiam et post monitionem in ea perseverat.

In priori casu aiunt requiri ut praecesserit sententia separationis, vel saltem ut crimen sit ita notorium sive facto sive jure, ut innocens, etiam non expectata sententia, possit deserere ream sine metu restitutionis. At si reconciliatus est cum uxore, vel et ipse est adulteratus vel causa fuit adulterii suae uxoris, non potest ad Ordines transire.

In posteriori vero casu, pronuntiato ob haeresim vel apostasiam perpetuo divortio, innocens numquam tenetur resipiscentem recipere, et potest vir innocens suscipere Ordines. At si propria auctoritate divertit, non potest ad Ordines transire, et resipiscentem uxorem tenetur recipere; vid. c. 6 *De divort.* Etiamsi enim lapsus in haeresim sit notorius, nihilominus, si non intervenerit judicium Ecclesiae, non est causa perpetui sed temporalis tantum divortii.

Addunt porro, si maritus consentiente uxore ordinetur, hanc teneri, si senex sit et non suspecta de incontinentia, votum simplex castitatis emittere et ita posse manere in saeculo; si vero sit juvenis vel suspecta de incontinentia, teneri Religionem ingredi (1). Praedicta omnia non praejudicant aliis insuper servandis a conjugato qui ad SS. Ordines vult ascendere.

Minor quidem difficultas est pro casu, quo licet invita uxore Ordines suscipere (2); numquam tamen nisi interveniente Ordinario fieri poterit. Major vero est difficultas quando necessaria est uxoris licentia. Tunc enim omnino requirendum, ut uxor, si

(1) Cf. Ben. XIV, *De syn.* l. 13, c. 12, n. 14 sq.
(2) Cf. Ben. XIV, ib. n. 15 sq.

est senex et non suspecta de incontinentia, saltem emittat votum perpetuae continentiae in saeculo; si vero est juvenis vel suspecta de incontinentia, ingrediatur Religionem. Curandum autem tunc est ut vir non suscipiat sacrum Ordinem, nisi post emissam ab uxore professionem. Necessaria insuper est dicenda licentia episcopi. Si vir dein fieret episcopus, quovis casu deberet uxor ingredi Religionem. Quum vero ob dubium quae senectus sit intelligenda, et quia haec ex pluribus adjunctis est aestimanda, et quia renuit forsitan uxor Religionem ingredi, ordinarie Romam mittenda sit causa, idcirco conemur eruere praxim Sedis Ap. ex causis in S. C. C. agitatis.

510. In *Constantien.* 10 et 31 maii 1766 (1) uxor 50 annorum parata erat ingredi domum sanctimonialium, emisso voto continentiae perpetuae, vir autem 70 annos habens volebat SS. Ordinibus initiari; erant valde pii, eosque episcopus commendabat.

Notat autem in suo discursu secretarius 1° de admissione conjugati ad sacros Ordines receptum esse communiter ut, si ea aetate sint ambo conjuges, quae suspicionem non excludat, non admittatur nisi uterque Religionem profiteatur; can. 6 Dist. 77. Hinc S. Congr. in *Veronen.* 12 febr. 1729 resolutionem distulisse casu, quo mulier 24 annorum volebat Religionem ingredi, vir 40 annorum promoveri ad SS. Ordines. Contra etiam neque virum senem admitti, nisi uxor, si sit florentis aetatis, Religionem ingrediatur. Admitti tamen si ambo senes sint, dummodo mulier votum perpetuae continentiae emittat (c. 5 *De conv. conjug.*), nisi maritus fiat episcopus. 2° Summam ergo rei in casu esse in aetate; vir certe senex est, sed dubium est de muliere. Concessa olim fuit licentia in *Parisien.* 6 maii 1645, l. 17 decr. p. 471 a tergo; sed in ea vir habebat 62, uxor 58 annos. De quinquagenaria deest exemplum. Videndum num ob circumstantias nunc primum danda sit; num saltem voto continentiae adjicienda sit conditio permanendi in aliqua sanctimonialium domo.

(1) *Thes. S. C. C.* t. 35.

Resolvit S. Congr. pro facultate, « emisso per Rosam voto perpetuae continentiae, nec non permanentiae usque ad obitum viri in aliqua religiosa domo sub approbatione Eminentissimi Archiepiscopi. »

511. In *Lucana* 18 jul. 1795 (1) vir habebat 70, uxor 64 annos; haec erat parata ad emittendum votum simplex continentiae extra claustrum, et ita ut posset pro indigentiis corporalibus senis mariti praesto esse sub eodem tecto. Non erant suspecti.

Secretarius in suo discursu notat 1° in ejusmodi casu debere uxorem consentientem emittere votum perpetuae castitatis, ita ut, si sit juvenis vel suspecta, ingrediatur claustrum ibique maneat usque ad obitum mariti (c. 6 Dist. 77), si sit senex et non suspecta, votum emittat in saeculo. 2° Si sit uxor grandaeva et non suspecta, juxta canones quidem non prohiberi meram cohabitationem in eadem domo, sed aliud vigere ex Ecclesiae praxi et disciplina, ex quibus R. Pontifici est reservatum id concedere, cujus tamen concessionis non videtur exstare exemplum, nec permittendum esse ob periculum incontinentiae, suspicionis ansam et scandali tradunt Doctores.

Resolvit S. Congr. non expedire ut Orator ad SS. Ordines ascenderet.

512. In *Florentina et Volaterrana Ordinationis* 28 aug. et 20 nov. 1830 (2) conjuges, post obitum prolis perfectius vitae genus ambientes, viro agente annum 51, muliere vero 44, in curia archiepiscopi se devinxerant voto castitatis perpetuae a. 1822. Tunc vir in alia dioecesi theologiae operam dedit, cathedrali inserviens, et ab episcopo, nullo quidem impetrato Rom. Pont. beneplacito, sed assentiente uxore et cum dimissorialibus literis sui Ordinarii, fuit promotus ad tonsuram et minores Ordines. Aliquot post annis archiepiscopo Florentino suo Ordinario obtulit preces

(1) Ib. t. 64.
(2) Ib. t. 90.

pro suscipiendis SS. Ordinibus; archiepiscopus vero renuit, quia uxor nondum erat Religionem ingressa, ideoque necessaria videbatur venia Sedis Ap. Pro hac igitur obtinenda vir recurrit ad S. C. C. Informationem et votum petivit secretarius ab archiepiscopo, qui respondit uxorem annum agere 52, semper fuisse piam, nullatenus timeri posse periculum incontinentiae in ea, et plene eam assentiri viri ordinationi; virum agere annum 58, veram ostendere vocationem, jam prospexisse doti, vitae ecclesiasticae integerrimae esse, dignumque omnino videri ut veniam obtineret. Constare autem indubie, sponte eos vovisse continentiam et ultro se sejunxisse, ut insuper ipsi authentice apud S. Sedem probaverant.

Specie hac factorum narrata, notat secretarius 1° neutri quidem conjugum post matrimonii consummationem fas esse sine alterius consensu Religionem ingredi (c. 1 et 3 *De convers. conj.*), et multo minus, invita uxore, viro licere recipere Ordines sive majores sive minores aut tonsuram (c. 5 cod., c. ult. *De temp. ord.* in VI, Extrav. un. Jo. XXII *De voto*); sed communi consilio conjuges posse perpetuae castitatis votum emittere. Virum autem tum demum posse Religionem ingredi, quando idem vult facere uxor (c. 4 *De conv. conj.*), jure tamen suo episcopum posse alteri conjugum veniam tribuere ingrediendi Religionem, licet alter idem facere nolit, dummodo hic castitatis votum emittat, et in ea versetur aetate eoque vitae genere, ut immunis sit ab omni suspicione incontinentiae (Ib.) 2° Quod vero pertinet ad Ordinum susceptionem, hanc interdici nisi uxor professionem solemnem emiserit (c. 3 *De conv. conj.*). Immo si vir neque aetate grandaevus, neque ob alias circumstantias incontinentiae suspicione careat, exploratissimi juris esse, eum non posse ad Ordines ascendere, nisi et ipse Religionem ingrediatur (c. 6 Dist. 77, Ben. XIV, *De syn.* l. 13, c. 12, n. 14, et S. C. in *Veronen.* 18 dec. 1728). Utrum autem viro licitum sit initiari Ordinibus sacris et in saeculo manere, quando uxor vult quidem emittere votum perpetuae

castitatis, non tamen ingredi Religionem, vehemens est inter DD. quaestio. Attamen verior ac tutior juxta Fagn. in c. 5 *De conv. conj.* n. 10, est sententia, si mulier sit senex et non suspecta, sufficere votum castitatis in saeculo, si vero sit suspecta aut juvenis, requiri solemnem professionem. Immo si uxor sit provectioris aetatis nec suspecta, non vetari ab ipso jure meram cohabitationem. Quae autem ad majorum Ordinum susceptionem a canonibus statuta sunt, eadem pro minoribus Ordinibus et tonsura quoque sunt sancita (c. ult. *De temp. ord.* in VI).

An ergo praesto sunt in casu ea quae suadeant dispensationem concedendam? Merito sibi Orator favorabilem sententiam pollicetur. Ab omni enim suspicione eos esse immunes ostendit abstinentia diuturna, votum olim emissum et summa laude servatum. Orator se a Deo vocari insuper profitetur; idcirco per plures annos theologiae incubuit. Praeterea munere sacristae in Fesulana parochia fungitur et annum agit 58, ac propterea in ea est aetate ac vitae ratione, quae omnem propulsat libidinis suspicionem. Nec aliter subdit de uxore sentiendum, quae annum agit 52 et post emissum votum eximiae semper probitatis speciem dedit. Apud DD. autem invaluit opinio, mulierem quae excessit 50 annos ad senilem aetatem pervenisse. Nec putat Orator SS. Ordinum inter saeculares presbyteros susceptioni obesse, quod uxor non ingreditur Religionem. Utut enim se habet quaestio inter DD., nullo Pontificio rescripto aut constitutione definita, illud certum exploratumque est non deesse exempla, quorum unum est in *Parisien.* 6 maii 1645, l. 17 Decr. p. 471 terg., alia vero afferuntur a Ben. XIV, *De syn.* l. 13, c. 12, n. 16, et a S. Congr. in *Panormitana* 20 maii 1752.

Verumtamen quaedam esse videntur argumenta pro neganda dispensatione, nisi Oratoris uxor ingrediatur Religionem, siquidem nec vir nec uxor illius sunt aetatis, quae omnem expellere possit incontinentiae timorem. Senectus enim non est annorum numero computata, et jure cautum non habetur, quot anni exi-

gantur ad senectutem, ut conjuges in saeculo manentes a quovis libidinis periculo et incontinentiae suspicione sint immunes, ideoque senectutem a valetudine, a viribus, ab anteactae vitae consuetudine potius quam ab annorum dumtaxat numero patet esse aestimandam; Fagn. in c. 4 *De conv. conj.* n. 17, S. Congr. in *Barcinonen.* 28 sept. 1765. Hisce principiis instructa S. Congr. conjugum preces extra claustra castitatem vovere cupientium, ut vir ad SS. Ordines promoveretur, modo penitus respuendas, ut in *Lucana* 18 jul. 1795 (n. 511), modo dispensationem certis legibus circumscriptam indulgendam censuit. Ita in *Constantien.* 31 maii 1766 (n. 510). Similiter Ben. XIV, *De syn.* l. 13, c. 12, n. 16, se egisse testatur. Tandem in *Panormitana* 20 maii 1752, ubi agebatur de conjugibus, quorum neuter tum gravis aetatis annorum 67, tum habitualium aegritudinum causa, Religionem ingredi poterat, ideoque votum perpetuae castitatis in saeculo emittere pollicebantur, dispensationem S. C. concedendam censuit, sub lege tamen « dummodo habitent in separatis domibus. »

« Videant nihilominus Emi Patres quid in praesenti casu sit decernendum, ubi agitur de viro prope sexagenario, de muliere quae quinquagesimum secundum jam attigit annum, de conjugibus tandem qui octo abhinc annis continentem solent ducere vitam, ac insuper perpetuae castitatis voto sese Deo dicarunt. Quae quidem omnia ejusmodi sunt, ut omnem in conjugibus incontinentiae suspicionem propulsare videantur. »

Dubium sequens posuit secretarius : « An et quomodo sit clerico Marzocchini concedenda facultas ascendendi ad sacros Ordines in casu etc. » Die 20 nov. 1850 data fuit haec resolutio : « Affirmative, dummodo habitent in separatis domibus, et renovato per mulierem consensu et voto castitatis, antequam Orator ad sacros Ordines promoveatur, per Breve facultativum. »

513. Manifestum est uxoris consensum debere esse omnino liberum, nec sufficere ex gravi metu datum. Si vero libere omnino consensit ut maritus sacros Ordines susciperet, tunc ne mor-

tuo quidem marito sic ordinato potest valide inire aliud matrimonium, idque statuit Ecclesia propter reverentiam SS. Ordinum a marito susceptorum (1).

CAPUT XXII.

DE IMPEDIMENTO VOTI SOLEMNIS SEU PROFESSIONIS RELIGIOSAE, ET CONJUGUM INGRESSU IN RELIGIONEM.

514. Votum solemne seu professio religiosa proprie dicta, nempe solemnis, est impedimentum dirimens matrimonii contrahendi, idque juxta longe communiorem doctrinam jure ecclesiastico (2). Dissolvit etiam matrimonium ratum tantum, non consummatum, idque pro diversa auctorum doctrina (3) aut jure naturae, aut divino positivo, aut ecclesiastico, aut omnibus simul sumptis.

Praeterea regularis vel monialis votorum solemnium et persona cum tali matrimonium contrahere seu attentare praesumens, ipso facto incurrit excommunicationem Ordinario reservatam, de qua

(1) Cf. Sanchez, *De sancto matr. Sacr.* l. 7, disp. 40, de Justis, l. 2. c. 14, n. 72 sqq., Ben. XIV, *De syn.* l. 13, c. 12, n. 16, et ut secretarius S. C. C. in *Eistetten.* 28 jul. 1724 (*Thes. S. C. C.* t. 3), Giovine, t. 1, p. 248 sq., Ballerin. ad Gury, t. 2, n. 44, 761, de Angelis, t. 2, part. 2, p. 136. Plures solent textus juris allegari, praesertim c. 10-12, Dist. 28, et c. 14, Dist. 32.

(2) Ea de re scribunt Moser, c. 5, n. 8, Carr. n. 652, Giovine, t. 1, p. 428 sqq., et canonistae ad titt. mox citandos.

(3) Cf. Carr. n. 307-320, Perron. *Prael. theol.* de matr. n. 107 sqq., *De matr. christ.* ed. Rom. t. 3, p. 472 sqq., et canonistae ad diversos titulos, ad quos de utroque illo professionis solemnis effectu scribunt, nempe *Qui clerici, vel voventes matrimonium contrahere possunt, De conversione conjugatorum, De voto et voti redemptione,* et *De divortiis.* Vid. Conc. Trid. sess. 24, can. 6 et 9 de Sacr. matr.

dicendum ut sup. n. 504 (1); an autem sufficiat matrimonium quod vocant mere civile, in cap. ultimo dicetur. Alias quoque poenas professus vel professa ejusmodi incurrit tam ex jure communi quam ex diversorum Ordinum statutis.

515. Primo igitur professio religiosa solemnis votum solemne castitatis includens (2) dirimit matrimonium contrahendum. Votis simplicibus haec vis non est, nisi Sedes Ap. eam tribuerit, quod fecit Greg. XIII § 22 const. *Ascendente Domino* octavo Kal. junii 1584 pro votis post biennium novitiatus in Soc. Jesu emissis. Restituta a Pio VII Societate Jesu, idem obtinere non dubitamus, quum haec restitutio dicenda sit facta cum omnibus ad Societatis constitutionem ac vota pertinentibus. Per dimissionem tamen, ut vota ipsa, ita vis illa disparet. Hucusque nullibi vis illa facta legitur votis simplicibus, quae in aliis quoque Ordinibus emitti et triennio ante professionem solemnem durare debent ex Pii IX decreto dato per S. C. super statu Regularium 19 mart. 1857.

516. Praeterea professio religiosa solemnis dissolvit matrimonium ratum tantum, seu non consummatum, antea contractum, estque hoc dogma fidei catholicae ex Trid. cit. can. 6. Pauci aliqui auctores (3) eamdem vim attribuerunt votis post biennium

(1) Vid. Clem. un. *De consang. et affin.*, et Pii IX const. *Ap. Sedis* n. 1 inter excommunicationes latae sententiae Episcopis sive Ordinariis reservatas. Cf. auctores citatos p. 383, not. 1.

(2) In iis enim Ordinibus Militaribus, qui conjugalem tantum castitatem vel prohibitionem alterarum nuptiarum profitentur, vota, licet solemnia, non inducunt hoc impedimentum dirimens, quum non contineant votum castitatis solemne seu perfectam castitatem; cf. Giovine. t. 1, p. 427 sq., Ballerin. ad Gury. t. 2, n. 797, coll. Ben. XIV const. *Biennium* 13 oct. 1745, § 6 (*Bullar. Ben. XIV*, t. 3, supplem. n. 2; ed. Mechl. vol. 9, p. 406 sq.).

(3) Inter quos Pontius, l. 9, c. 6, Leurenius, *For. eccl.* De divort. q. 279, n. 1, de Justis, l. 2, c. 14, n. 106, Bonix, *De jure Regul.* t. 1, p. 532, t. 2, p. 567, Perron. *De matr. christ.* ed Rom. 1858, t. 3, p. 478, 484, 486, 499, qui tamen id correxit in ed. Leod. 1861. t. 3, p. 443, 448, 450, 462.

tyrocinii in Soc. Jesu emissis, erronee tamen; hanc enim vim neque Greg. XIII neque alius Pontifex votis illis fecit (1). Tenendum omnino est, quod insuper declaravit Pius IX per S. C. super statu Reg. 25 januar. 1861 (vid. n. 519), « nonnisi per solemnem votorum professionem matrimonium ratum et non consummatum dissolvi; non vero per professionem votorum simplicium. » Imo ne per solemnia quidem vota dissolvitur, nisi solemne continentiae votum includant (2).

Matrimonium consummatum per professionem etiam solemnem numquam dissolvitur. Disputatio quidem hac de re est quoad matrimonium in infidelitate contractum, et ante utriusque conversionem ac Baptismum consummatum; sed eo quoque casu dissolutionem negavimus n. 500. Quoad matrimonium consummatum duorum fidelium nulla disputatio est. Quum tamen conjuges possint, servatis servandis, etiam post consummationem Religionem ingredi, hinc de hujusmodi ingressu dicendum habemus tum pro casu matrimonii rati tantum, tum pro casu matrimonii consummati.

517. Ac primo quidem de ingressu in Religionem post matrimonium ratum tantum.

Jure canonico conjugibus (3) concessum est bimestre, intra quod Religionis ingrediendae consilium capere possunt, ideoque debitum reddere non tenentur (4). Hoc bimestre solis de ingressu

(1) Cf. Tamburin. *Theol. mor.* de matr. tr. 5, c. 6, § 2, n. 10 sqq., Wiestner, n. 9 sqq. *De convers. conjug.*, n. 26 sqq. *Qui cler. vel vov.*, Pichler, n. 14 *Qui cler. vel vov.*, Ballerin. ad Gury, t. 2, n. 759 sub 2°, de Angelis, t. 2, part. 2, p. 129, t. 3, part. 1, p. 176.

(2) Cf. dicta n. 515 de nonnullis Ordinibus Militaribus. et Ben. XIV. *De syn.* l. 13, c. 12, n. 9.

(3) De ingressu in Religionem nondum contracto matrimonio sed solis initis sponsalibus, cf. c. 25.

(4) Vid. c. *Ex publico* 7, *De convers. conjug.* De solo tamen ingressu ad emittendam professionem absolute solemnem haec accipe; nullatenus enim bimestre illud concessum est ut. invita comparte, possit conjux

deliberare volentibus concessum esse tradunt alii; alii vero illud quibusvis conjugibus etiam deliberare de ingressu nolentibus esse concessum. Hi autem aiunt bimestre concessum esse in favorem Religionis absque ullo discrimine utrum cogitare velint necne de ingressu; licet enim conjux nondum propositum ingrediendi habeat, posse tamen illud acquirere et statum in meliorem mutare; quosvis igitur conjuges posse durante bimestri licite negare debitum. Juri tamen conformis est doctrina priorum, quia 1° in textu allato sola ponitur hypothesis volentis deliberare, quod paulo post clarius patebit. Contracto matrimonio, jus quaesitum est utrique conjugi ad matrimonii consummationem, quo privari nequit nisi lex Ecclesiae obligationem reddendi suspendat vel inter ipsos conjuges conventio existat. Canones autem excipiunt solum casum illius qui vult cogitare de ingressu. 2° Verum est posse acquiri propositum ingrediendi, sed id rarissime contingit; casus autem extraordinarios jura non respiciunt, et semper recurrendum est ad argumentum primo loco allatum. Opinamur itaque illicite negari debitum ab eo qui non vult deliberare de ingressu. Cum favore Religionis concilianda est ratio juris conjugibus quaesiti. Graviter etiam peccaret qui animo Religionem ingrediendi matrimonium iniret, quin compartem moneret (1).

Transacto bimestri nec prorogato, valide quidem, omnibus fatentibus, emittitur professio; sed disputant auctores an licitus sit ingressus in Religionem. Multi negant, alii vero affirmant.

518. Verum hoc aliaque quaesita pendent ex rite inspectis cit. c. 7, et quaestione a quo tempore sit computandum illud bimestre. In cit. c. 7 matrimonium jam ab aliquo tempore erat contractum, et statuitur bimestre computari a sententia judicis, non vero a die contracti matrimonii. Eumdem terminum *a quo* indi-

vitam religiosam amplecti per vota simplicia vel non absolute solemnia; cf. Ben. XIV, *De syn.* l. 13, c. 12, n. 9, et cit. const. *Biennium* (n. 515).

(1) Cf. S. Alph. de matr. n. 870, 958, Ballerin. ad Gury, l. c.

cant causae in S. C. C. tractatae (vid. n. 520) et communior auctorum doctrina (1). Bimestre igitur non est sumendum praecise pro primo conjugii bimestri, ut sumunt non pauci, sed pro bimestri incipiendo a sententia judicis vel cautione data, et quamdiu haec non intervenit, potest semper recurri ad judicem ecclesiasticum atque ita bimestre obtineri et fieri ingressus in Religionem, prius tamen probato ratum tantum esse matrimonium; semper itaque debet intervenire auctoritas Superioris. Quando igitur ratum est matrimonium, non consummatum, et unus conjugum vult bimestri illo frui et debitum negat, Superior sufficientem cautionem ab eo exiget, vel ipse conjux cautionem dabit, quod intra duos menses aut Religionem sit ingressurus aut debitum redditurus. Quod quidem tempus potest dein Superior prorogare, vix umquam tamen prorogabit, nisi ob causam peculiarem et gravem. Infertur negari de jure posse debitum donec praefigatur terminus, donec cautio praestetur, et quaestionem initio habitam de deliberatione ingrediendi necessaria necne, solvendam esse sensu supra proposito. Mox haec confirmabimus per causas in S. C. C. agitatas.

519. Facto ingressu, matrimonium per professionem solemnem dissolvitur. Quum autem integer annus novitiatus sit necessarius ad validam professionem, sequitur partem in saeculo remanentem non posse novum inire matrimonium, nisi exspectato eodem tempore et professione secuta (2). Peculiaris hinc difficultas oritur pro Soc. Jesu, in qua vota solemnia non ab omnibus emittuntur, et ab iis qui ea emittunt nonnisi diu post vota simplicia fiunt. In ejusmodi igitur casu, ne nimis diu debeat altera pars exspectare, solemnem professionem post unum annum novitiatus fore faciendam monere solent Soc. Jesu scriptores. Non minor est difficultas

(1) Cf. Fagn. n. 26 ad cit. c. 7, Ferrari, t. 2, n. 431, Ballerin. ad Gury l. c.

(2) Cf. Ben. XIV, *De syn.* l. 13, c. 12, n. 2.

in aliis Ordinibus, in quibus olim non erant nisi vota solemnia, sed nunc, jubente Pio IX, debent post novitiatum emitti vota simplicia, et post tres tantum annos emitti solemnia possunt. Ex relatione autem status ecclesiae Mexicanae ad S. C. C. transmissa die 20 jul. 1860 habetur sequens Postulatum : « Cum jure communi receptum sit, ut conjugibus ante consummationem matrimonii, tempus petendi ad deliberandum an vellet monasticam vitam amplecti, bimestre concedatur, alterque conjux in saeculo manens expectare teneatur donec monasticam vitam amplexus professionem emittat, quin antea alias nuptias inire valeat, a S. C. postulo declarari, num conjux manens in saeculo nedum bimestre et annum probationis ante simplicium votorum professionem expectare teneatur, sed et subsequens triennium, quo demum expleto juxta recentem disciplinam locus est professioni solemni. » Pius IX per S. C. super statu. Reg. 25 januar. 1861 respondit : « Nonnisi per solemnem votorum professionem matrimonium ratum et non consummatum dissolvi ; non vero per professionem votorum simplicium ; ideoque in casu quo vir juxta legem diei 19 Martii 1857 per S. C. super statu Regularium latam, vota simplicia emittere debeat ante solemnem professionem, sive ipse, sive ejus conjux recurrere poterit ad Ap. Sedem pro obtinenda facultate ut statim emitti possint vota solemnia (1). »

520. Ut matrimonium sit consummatum requiritur copula ita perfecta ut per se sit apta generationi (2). Imo si haec ipsa non habuit locum nisi ante matrimonium contractum, ratum tantum hoc manet, et per solemnem professionem dissolvitur (3). Verumtamen illicitus tunc potest esse ingressus in Religionem propter prolem legitimandam vel scandalum reparandum vel honorem

(1) Ap. Bizzarri, *Collectanea in usum secretariae S. C. Ep. et Reg.* Rom. 1863 sqq., p. 910.

(2) Cf. n. 370. Ballerin. ad Gury. t. 2. n. 759 sub 2°, et n. 745, *Acta S. Sedis*, t. 4, p. 196 sq.

(3) Cf. Carr. n. 323, Scavin. t. 4, n. 655, Gury et Ballerin. ll. cc.

sponsae (1). An autem licite ingrediatur Religionem uxor, matrimonio per vim vel gravem metum consummato, paulo post videbimus; matrimonium ipsum tunc non dissolvitur per professionem (2).

Ut permitti possit ingressus in Religionem, in foro externo constare debet ratum tantum esse matrimonium (3).

(1) Cf. S. Alph. n. 958 coll. n. 870, Carr. l. c., Ballerin. ad Gury, t. 2, n. 759 sub 2°.

(2) Cf. de Angelis, t. 2, part. 2, p. 130 sqq.

(3) Cf. de Justis, l. 2, c. 14, n. 107, postea dicenda de impedimento impotentiae (c. 24), et dispensatione Pontificia in matrimonio rato tantum (c. 30 § 1), et tum hac de re, tum de doctrina proposita circa bimestre, consulantur acta S. C. C. De variis aliquando adhibendis et sufficientibus modis probandi matrimonium non fuisse consummatum verba sunt in *Neapolitana Matr.* 11 apr. 18 jul. 1761 (*Thes. S. C. C.* t. 30), *Camerinen. seu Fabrianen. Matr.* 24 aug., 28 sept. 1765, 4 junii, 20 aug. 1768 (Ib. t. 34 et 37), *Comen. Matr.* 17 dec. 1768, 28 januar. 1769 (Ib. t. 37 et 38), *Neapolitana Matr.* 31 mart. 28 apr. 1770, 28 sept. 1771, 27 junii, 18 jul., 29 aug., 19 sept. 1772 (Ib. t. 39, 40 et 41). In hac causa secretarius iterato observat, quamquam nonnulli censuerunt spatium duorum mensium computandum esse a die contracti matrimonii, ex communi tamen canonistarum sententia computari debere a die termini a judice praefixi. Id autem patere ex ipso c. 7 *De convers. conjug.*, ex quo patet requiri ministerium hominis, proindeque terminum duorum mensium decurrere ipso jure non posse a die initi matrimonii, sed a die praefixi termini. Inferre idcirco canonistarum plerosque, quod si, elapso bimestri nullaque praestita cautione, matrimonium nondum fuerit consummatum, licere, non obstante quocumque temporis lapsu, Religionem ingredi. Denique vid. *Chien. Matr.* 15 dec. 1792, 21 junii, 16 aug. 1794 (*Thes. S. C. C.* t. 61 et 63), in qua, quum constitisset de matrimonio rato tantum, maluit S. C. consulere SS^mo^ pro dispensatione in eo, quam daretur mulieri facultas emittendi in manibus episcopi et extra claustra professionem solemnem. In *Placentina* 13 januar. 3 febr. 1725 (*Thes. S. C. C.* t. 3) contractum erat matrimonium die 27 maii 1721; die vero 19 junii vir exposuerat Ordinario non fuisse consummatum matrimonium, et se velle ingredi Religionem. Ordinarius 23 jul. praefixerat terminum duorum mensium, imposita excommunicatione si, eo elapso absque ingressu, renueret cohabitare. Elapso bimestri, alii termini fuerant assignati, qui et ipsi erant elapsi viro non ingrediente Religionem. Instantia facta ut excommunicaretur,

521. Dicendum nunc est de ingressu in Religionem post matrimonium consummatum (1). Ac primo quidem, consummatione facta per vim vel gravem metum, si id contigit tempore quo liber manebat ingressus in Religionem etiam absque compartis consensu, regulariter licitus est ingressus, dummodo consummare renuens manifestaverit se velle Religionem ingredi vel saltem de

vir objecerat manere sibi desiderium ingrediendi, sed exequi non potuisse, quia duo monasteria, a quibus ingressum reverenter postulaverat, eum recipere noluerant. Nihilominus Ordinarius 4 maii 1722 eum excommunicaverat, idque 27 ejusdem mensis confirmaverat. Causa tunc delata ad S. C. C., vir allegavit posse ante consummationem fieri ingressum in Religionem (c. 7 *De convers. conjug.*): diligentias a se fuisse adhibitas tum intra tum extra tempus prorogatum, et nunc se invenisse qui eum reciperet; licet autem elapsi sint termini, posse tamen conjugem ingredi Religionem. Uxor vero opposuit virum manifesto nectere moras nec habere animum ingrediendi, ut ex facto desumitur, quum nec ingressus sit intra bimestre a judice praefixum nec intra terminos prorogatos nec postquam invenisse dicit benevolum receptorem. Agi quippe de matrimonio contracto 27 maii 1721, plures annss esse elapsos tum a die praefixi termini tum a fine prorogationum tum a die quo vir dicit se invenisse receptorem; ingressum tamen non esse. Validam quidem esse professionem si emittatur, sed illicitam, et validam esse excommunicationem ob non ingressum latam, eamque durare donec Religionem ingrediatur, ita ut tunc a judice sit absolvendus. S. C. C. die 3 febr. 1725 ad dub 2 : « An censurae sint exequendae in casu, » de censuris ob contumaciam latis resolvit : « Procedat ex integro, praefixo termino unius mensis, quo elapso, et non parito, omnino procedat ad ulteriora, et amplius. »

(1) De hujusmodi ingressu et requisitis ad eum vid. S. C. C. in *Turonen.* 7 sept. 1720 (*Thes. S. C. C.* t. 1), *Januen.* 2 maii 1722, in qua citantur duae aliae causae antiquiores, una temporis Innoc. X (cf. de Lezana, *Consulta varia,* consulto 30, n. 27), altera 14 nov. 1682 (*Thes. S. C. C.* t. 2; cf. Ben. XIV, *De syn.* l. 13, c. 12, n. 15 sq., Girald. *Expos. jur. Pont.* part. 1, sect. 546, et mox citanda *Ulyssiponen.* 6 dec. 1727), *Salamantina* 6 mart. 1723 (*Thes. S. C. C.* t. 2), *Ulyssiponen. Orientalis* 22 nov. 6 dec. 1727 (Ib. t. 4), *Veronen.* 18 dec. 1728, 15 et 17 januar. 12 febr. 1729 (Ib.), *Anconitana Matr.* 10 sept. 1735 (Ib. t. 7). *Barcinonen.* 28 sept. 23 nov. 1765, 19 sept. 21 nov. 1767 (Ib. t. 34 et 36). *Constantien.* 10 et 31 maii 1766 (Ib. t. 35; sup. n. 510), *Florentina et Volaterrana Ordinationis* 28 aug. 20 nov. 1830 (Ib. t. 90; sup. n. 512).

ingressu deliberare; illicitus vero si hac de re nihil dixit, sed ob aliam causam vel absolute renuit consummare (1). Diximus *regulariter*; posset enim ob prolem natam interdum esse illicitus. Si vero consummatio ejusmodi contigit tempore quo amplius non erat liber ingressus in Religionem, nempe post terminum praefixum vel prorogatum, ingredi licite non potest. Nullo autem umquam casu matrimonium ita consummatum dissolvitur per professionem (n. 520).

Seposito hoc casu violentae consummationis, post matrimonium consummatum ad Religionem transiri potest, servatis servandis, nonnumquam invita comparte, nonnumquam hac consentiente.

522. 1° Licitus est ingressus, si alter conjugum consentiat. « Si de matrimonio agatur consummato, nequit uxor sine consensu viri, aut vir sine consensu uxoris, religiosam et claustralem vitam amplecti... Consensum autem hujusmodi liberum esse oportet, ac voluntarium : si enim fuisset per vim metumve extortus, posset utique, qui ipsum praestitit, alterum conjugem, licet jam claustris inclusum, ex iis revocare... Et, quamvis etiam consensus omnino fuisset liber, insuperque conjux, monasterium ingressus, Religiosam Professionem emisisset, si alter conjux, ea, quae sacris canonibus constituta sunt, ex parte sua non praestet, integrum ipsi est, professum e claustro revocare, licet Professio ab eo valide emissa fuerit... Quapropter, si in aliqua dioecesi contingat, ut nupta mulier in Religionem se recipiat, noverit Episcopus, id sibi vel maxime incumbere, ut et legitimus, liberque praecedat viri consensus, et is praeterea praescriptas a sacris canonibus conditiones implere non omittat (2). »

Nec sufficit consensus praesumptus aut tacitus, ut si compars non reclamet; nonnulli tamen casus sunt, in quibus circumstan-

(1) Cf. Fagn. n. 27 sqq. ad cit. c. *Ex publico*, Reiff. n. 6 sqq. *De convers. conjug.*

(2) Ben. XIV, *De syn.* l. 13, c. 12, n. 10. Vid. c. 1, 2, 17 *De convers. conjug.*

tiae sunt ejusmodi, ut expresso consensui omnino aequivaleant; cf. n. 523, 529. Professio autem absque debito compartis consensu emissa invalida est; attamen ex c. 3 et 12 *De conv. conj.* vim voti simplicis habet. Quae quidem praesumptio juris est; quare votum simplex vere non existit in foro interno, si contraria fuit intentio invalide professi; in foro tamen externo censebitur existere donec contraria intentio fuerit probata. Quum autem nulla sit professio, a conjuge potest ita professus revocari (cit. c. 12), et reddere quidem debet, petere vero debitum non potest propter votum simplex modo indicatum.

523. Si uterque, non obtenta mutua licentia, Religionem est ingressus et professus, sunt qui dicant non esse locum revocationi, quia neuter conqueri potest se jure aliquo fuisse ab altero spoliatum, sed ipse se spoliavit. Verumtamen ex juris principiis distinguas. Aut enim uterque conscius fuit professionis compartis, quo casu revocationi locus non est; censentur enim sibi mutuo facultatem dedisse. Aut uterque nesciebat alterius professionem, quo casu neutrius professio erat valida; uterque alterum poterit revocare; consensus enim non fuit obtentus, qui tamen erat de essentia; idque verum est licet unus conjux cum injuria alterius esset ingressus; per hoc enim non datur licentia ingrediendi parti laesae; deliquit, sed non eo delicto quod inducat divortium. Revocari uterque poterit, invalida enim fuit professio ob defectum praedicti consensus; attamen ob praesumptionem juris indicatam n. 522 abstinendum est a debiti petitione.

Verum an locus est revocationi si, post votum continentiae ab utroque emissum, alteruter ingressus fuit Religionem non petita alterius licentia? Controversia est, sed probabilius consensus ita requiritur, ut eo non habito sit invalida professio; per votum enim mutuo consensu emissum liberatur conjux ab obligatione reddendi, non vero a cohabitatione reliquisque obligationibus conjugalibus. Frustra autem opponitur cap. 2 tit. cit.; in eo enim agitur de casu quo omni juri conjugali partes renuntiaverunt, et intuitu quidem professionis a comparte emittendae.

524. Prorsus igitur necessarius est, idque ad professionis etiam validitatem, compartis consensus. Praeterea requiritur pro liceitate consensus episcopi, estque hoc in praxi omnino tenendum. Tertio requiritur ut conjux relictus, si est juvenis vel suspectus de incontinentia, ingrediatur et ipse Religionem; si vero senex est et non suspectus, saltem emittat in saeculo votum perpetuae continentiae; vid. c. 13 et 18 *De conv. conj.* Emittendum autem hoc est coram testibus et Ordinario, ne ullo modo postea de voto dubitari queat, et emitti debet ante compartis professionem. Controvertitur quidem de tertiae hujus conditionis ad valorem professionis necessitate; sed nullo textu juris dicitur pro valore necessaria (1).

Difficultates tamen oriuntur quando compars non vult Religionem ingredi, vel vir mavult SS. Ordines in saeculo suscipere (2). Uxore ingressa Religionem, vir senex nec suspectus potest ad SS. Ordines ascendere in saeculo (3), nequaquam vero si est juvenis vel suspectus (4). Vice versa viro Religionem ingresso, non sufficit ut uxor juvenis vel suspecta continentiae votum in saeculo emittat. Haec autem regula omnino tenenda est. « Quae tamen nullatenus obstant, quominus, si peculiares alicujus facti circumstantiae temperamentum aliquod, vel regulae relaxationem exposcere videantur, Ap. Sedis auctoritas imploretur, quae ex legitimis causis potest, consuevitque opportunas dispensationes indulgere (5). »

525. Dubitari quidem posset, an invaliditas matrimonii contracti a muliere post mortem mariti in cujus ordinationem con-

(1) Cf. etiam Ben. XIV, *De syn.* l. c. ubi pariter de tertia hac conditione universim agit n. 11.

(2) Cf. Ben. XIV, ib. n. 12.

(3) Ib. n. 13.

(4) Ib. n. 14, et cf. sup. n. 510, 512.

(5) Ben. XIV l. c. n. 6. Exempla ibi citat, sed ejusmodi temperamentum excedit potestatem episcoporum.

sensit n. 515, asserenda etiam sit pro matrimonio contracto a conjuge post mortem compartis de ejus consensu solemniter professae. Pro hoc tamen casu nullum existit Ecclesiae statutum (1).

526. Sed an conjux cum consensu compartis ingressus numquam potest revocari? Distinctio adhibenda est. Aut compars jam emisit votum continentiae, quo casu non potest altera revocari; c. 1 *De conv. conj.*; juri enim suo conjugali cessit. Aut compars nondum emisit votum continentiae, quo casu sequenti modo non pauci resolvunt. Si conscia erat jura disponere alterum non posse profiteri nisi ipsa voveret continentiam vel ingrederetur Religionem, revocare conjugem non potest; dando enim licentiam censetur se obligasse ad id quod jura requirunt. Si vero nesciebat jura sic disponere, revocari conjux potest et reddere debitum tenebitur, quamquam petere non potest et post obitum compartis tenetur ad Religionem redire. Professio enim non fuit soluta per revocationem, sed consultum tantummodo fuit saluti compartis. Attamen in casu etiam ejusmodi ignorantiae implorandum prius est judicium Sedis Apostolicae, quia per consensum videtur ignorans cessisse juri suo conjugali, et non obstante ignorantia illa juris valida est alterius professio. Episcopus autem dispensationem concedere non potest. At alii praedictam inter scientiam et ignorantiam distinctionem non ponunt, sed quovis casu dicunt in altera hac hypothesi posse revocari compartem. Revera ex Ben. XIV (2) colligitur semper posse compartem revocari quando altera pars nondum praestitit quod praestare debet, quamquam, ut ex eodem Benedicti loco dicendum est, valida est professio.

527. Hactenus de casu quo necessarius est compartis consensus, quia illaesa sunt jura conjugii.

2° Invita comparte potest conjux Religionem ingredi, si illa

(1) Cf. Schmier, l. 4, tr. 3, c. 5, n. 50, Baller. ad Gury, t. 2, n. 761 sub 1°; nihil pronuntiat Ben. XIV l. c. n. 16.

(2) L. c. n. 10.

commisit adulterium, quod nec fuit condonatum nec compensatum per alterius etiam adulterium nec per hunc ipsum directe causatum (n. 492, 500). Per adulterium enim reus amisit perpetuo jus petendi debitum et cohabitationis, dummodo illud non solum sit certum, sed et notorium sive facto, sive jure seu per sententiam judicis ecclesiastici vel rei in judicio confessionem; secus enim omnino imploranda est sententia judicis ecclesiastici, qui causam hanc perpetuae quoad torum et cohabitationem separationis pronuntiet. Imo consulendum est ut in omni casu ejusmodi sententia imploretur (cf. c. 27). In secundo autem hoc casu ingressus in Religionem minor est rigor conditionum quae requiruntur, et ex communi doctrina innocens libere Religionem ingreditur.

528. Si vero non innocens sed adulter velit Religionem ingredi, innocente remanente in saeculo, imprimis quidem hujus consensus est necessarius. Quaenam autem obligatio imponetur innocenti? In Congr. partic. habita sub Innoc. X statutum fuit non cogi alteram partem, licet florentem aetate, Religionem ingredi, sed satis esse ut ab ea simplex castitatis votum in saeculo emittatur (1). Saepe tamen nimis grave videri potest hoc onus, si perpetua continentia sit vovenda, et idcirco nonnumquam fuit concessum, ut innocens, habitis informationibus de religiosa ejus vita bonisque moribus, liber in saeculo maneret non emisso voto; conditiones enim severiores vulgo ad ingressum requisitae procedunt in casu, quo jura matrimonii non sunt laesa; sed si laesa per adulterium sunt, tunc innocenti in saeculo remanenti imponitur onus emittendi votum simplex ad quamdam veluti tutiorem cautionem, cui quidem stricto jure locus non est, quoties anteacta ejus vita nullam futurae incontinentiae suspicionem ingerit (2).

Porro scribit Giraldus (3): « Nota tamen, quod hoc votum in

(1) Cf. Ben. XIV, l. c. n. 15.
(2) Cf. Ben. XIV, ib. n. 16.
(3) *Expos. jur. Pont.* part. 1, sect. 546.

hypothesi emittendum esset a viro innocente dumtaxat, donec uxor Religionem professa viveret, ut rescripsit cad. Congr. in *Januen.* 2 maii 1722 in Thesauro Resol. ejusd. Congr. tom. II, pag. 164. » Adde post hanc resolutionem denuo recurrisse virum; tractata fuit tunc causa per summaria precum, et remissum fuit onus voti emittendi, quia agebatur de viro ignaro, et teste Ordinario aberat metus repetitionis uxoris, ac votum illud simplex injiciebat laqueum conscientiae viri (1).

529. An qui adulterium commisit potest Religionem ingredi, si innocens eum deseruit? Aut innocens statum mutavit, professionem emisit, aut nondum mutavit. In priori casu nihil obstat; in posteriori vero si innocens, ab adultero emendato requisitus, paratus est reconciliari, reus ingredi nequit invito innocente, licet divortium a judice ecclesiastico fuerit pronuntiatum. Quamdiu enim status innocentis non est mutatus, reum is potest revocare et cum eo redintegrare matrimonium etiam post sententiam divortii; hoc enim jure privari non potest per ingressum rei. Pronuntiatur divortium in favorem, non rei, sed innocentis. Si vero innocens ab adultero emendato requisitus non vult reconciliari, reus potest ingredi; innocens enim reconciliationem respuens censetur dare licentiam. Sedulo tamen observetur vox *emendato;* debet enim recusata fuisse reconciliatio post rei emendationem. Etiamsi reus jam emisisset professionem, non requisito tamen post suam emendationem innocente, posset ab hoc revocari.

530. 3° Invita comparte potest conjux ingredi Religionem, si illa in haeresim vel apostasiam a fide lapsa est et post monitionem perseverat. De hoc tamen casu omnino observanda sunt dicta n. 509.

(1) Referuntur haec in cit. *Ulyssiponen. Orientalis* 6 dec. 1727 (n. 521)

CAPUT XXIII.

DE IMPEDIMENTO AETATIS.

531. Ut valide ineatur matrimonium, requiritur pubertas seu completus annus decimus quartus in masculis, duodecimus in feminis, nisi malitia suppleat aetatem (1).

Sunt qui velint ipso jure naturae pubertatem requiri, his argumentis innixi : 1° Lege naturae invalida est traditio quando tradens non habet tradendi postestatem; ante pubertatem autem puer, utpote impotens, non habet potestatem tradendi corpus ad exercendos actus conjugales, in qua tamen traditione est matrimonii essentia. 2° Ex c. 2 h. t. ante pubertatem deest consensus. 3° Greg. XIII, rogatus ut dispensaret in impubertate, die 13 apr. 1580 negavit id posse Sedem Ap.

Sed merito communis doctrina statuit solo jure ecclesiastico pubertatem postulari (2). Jus enim naturae, praeter consensum, ad matrimonii validitatem non requirit nisi corpora habilia, quamvis nunc seu proxime nondum talia. Ex quo sequitur valere matrimonium inter duos infideles impuberes, dummodo consensus existat (3); si unus est fidelis et impuber, praeter disparitatem cultus, matrimonio obsistit impedimentum aetatis; si vero unus fidelis et puber, alter infidelis et impuber, sola cultus disparitas videtur obesse. Sequitur etiam posse Rom. Pontificem in

(1) De impedimento aetatis scribunt canonistae ad tit. *De desponsatione impuberum*.

(2) Cf. Ben. XIV const. *Magnae Nobis* 8 junii 1748 (*Bullar. Ben. XIV* t. 2, const. 51; ed. Mechl. vol. 6, p. 73 sqq.), Ballerin, ad Gury, t. 2, n. 835, de Angelis t. 3, part. 1, p. 81 sqq.

(3) Cf. S. Off. 17 apr. 1839; ap. cit. *Collectanea ad usum operariorum Ap.* n. 977. Hic redit dicendum quod dictum fuit n. 368, si eorum princeps civilis hoc impedimentum dirimens constituerit.

aetate dispensare (n. 684). Sequitur tandem valere matrimonium contractum a pubere adhuc impotente; jus enim ecclesiasticum non exigit potentiam actualem, ut patet exemplo infirmi actualiter tantum impotentis, quem nemo dixerit matrimonium contrahere non posse. Puber autem nondum actu habilis ad exercendos actus conjugales debet in matrimonio manere usque ad plenam pubertatem, quae adest completo anno decimo octavo in masculis, decimo quarto in feminis. Si ne tunc quidem habilis est, locus est, instante alterutro vel utroque conjuge, processui nullitatis propter impotentiam antecedentem et perpetuam, de qua in cap. sequenti (1).

Rationibus adversariorum facile respondetur. Ad 1. Impotentia matrimonium reddens invalidum, praeter alias conditiones, debet esse perpetua seu quae auferri nequeat; ejusmodi autem non est ea quae provenit ex impubertate. Traditio itaque fieri potest et fit ad actus conjugales tempore habilitatis exercendos. Ad 2. In c. 2 h. t. non intelligi consensum substantialem jure naturae requisitum, sed eum quem nunc disciplina Ecclesiae postulat (n. 139), manifestant haec verba : « Nisi forte aliqua urgentissima necessitate interveniente, utpote pro bono pacis, talis conjunctio toleretur. » Ad 3. Non potuisse Greg. XIII dicere quod ei attribuunt adversarii, constat ex dispensatione interdum a Sede Ap. concessa 2). Aut igitur ita dixerit in casus illius particularis circumstantiis, aut dixerit non facile Sedem Ap. dispensare 3).

552. Ad validam itaque matrimonii celebrationem, nisi malitia aetatem suppleat, requiritur aetas indicata, eaque completa c. 6, 11 h. t.). Opinionem eorum qui 3, 4 vel 10 dierum defectum non nocere docent merito reprobat Sanchez 4), nihilominus concedens non exigi annos 14 et 12 completos physice sed moraliter,

(1) Cf. S. Alph. n. 1067.

(2) Cf. Pyrrh. Corrad. l. 4, c. 3, n. 17, Giovine, t. 1, p. 543 sq., de Angelis l. c. p. 82 sq.

(3) Cf. Sanchez, l. 7, disp. 104, n. 13, de Angelis l. c.

(4) L. c. n. 2 sq.

ita ut ultima dies inchoata pro completa habeatur favore matrimonii. Alii ne hoc quidem admittunt, et in praxi cum his sentiendum; sed post factum consulenda est Sedes Ap. antequam matrimonium declaretur nullum.

533. At si aetas quidem indicata deficiat, sed eam suppleat malitia, contrahi matrimonium potest; c. 6 h. t. Tunc autem malitia dicitur supplere aetatem, quando adest tum actualis habilitas ad copulam tum capacitas doli, hoc est, discretio sufficiens ad intelligendam vim consensus conjugalis. Non sufficit alterutra, sed utraque requiritur; c. 6 h. t. (1).

Exceptionis ratio est, quod aetas memorata ideo tantum praescribitur, quia antea pubertas ordinarie non existit. Immerito nonnulli asserunt casu etiam, quo malitia supplet aetatem, ad validitatem matrimonii postulari dispensationem, his innixi rationibus : 1° Canones praefixerunt aetatem; haec autem absque dispensatione praeveniri nequit. 2° Ante expletum tempus jure statutum non potest valide emitti professio religiosa, licet discretio adsit. Revera dispensatione opus non est (2); nam aetatem jus non requirit nisi addita exceptione malitiae aetatem supplentis. Hinc liquet responsio ad 1^{am} rationem oppositam, et patet aetatis a jure praescriptionem efficere ut qui aetatem illam habet sit liber a probanda pubertate, qui vero eam non habet, debeat pubertatem probare. Liquet etiam responsio ad 2^{am} rationem oppositam; pro religiosa professione lex praescribit aetatem nulla addita exceptione; in nostro vero casu nonnisi exceptione addita.

Attamen matrimonium contrahere non licet, nisi postquam sive Sedes Ap. sive Ordinarius declaraverit adesse exceptionem a jure positam (3). Declaratio haec etiam Ordinario competit, quamquam in aetate dispensare nequit (4).

(1) Cf. S. Off. 28 junii 1865, ad 2; ap. cit. *Collectanea* n. 974.

(2) Cf. Ben. XIV l. c., Giovine, t. 1, p. 543 sq.

(3) De hac declaratione et processu servando cf. Fagn. ad c. *De illis* 9 h. t., Giovine, t. 1, p. 544 sqq.

(4) Cf. Ben. XIV, l. c.

534. Matrimonium ante aetatem, malitia non supplente, contractum non validatur per lapsum temporis et pubertatis adeptionem (1). Quamquam autem matrimonium est invalidum, ex communi tamen doctrina in sponsalia resolvitur si fuit contractum inter duos impuberes, vel puberum unum, impuberem alterum. Certum hoc est pro locis in quibus Trid. decretum non viget; de matrimoniis clandestine contractis in locis ubi decretum *Tametsi* viget, vid. in fine numeri sequentis. Est haec praesumptio juris, quia, licet non actu, virtualiter tamen censentur sponsalia voluisse inire, et mutuam sibi dedisse promissionem tempore legitimo actualem traditionem faciendi (2).

535. Quum tamen mera sit praesumptio juris, vis illa deest si contrahentium intentio expresse excluserit sponsalia. Praeterea potest impuber sive ab his sive ab aliis sponsalibus se liberare quando pubertatem attigit, nisi copula carnalis libere intervenerit vel non reclamaverit intra tempus legitimum, nempe intra tres dies inde ab habita hujus privilegii notitia (3). Hinc passim jura disponunt puellam impuberem, etiam traductam in domum viri, si pubertatem adepta velit resilire, esse audiendam. Quo quidem casu jus sequenti modo distinguit. Si vir juramento affirmet copulam intercessisse in puellae impubertate, haec vero eam neget, potest puella resilire, quum ei faveat praesumptio; in femina enim potentia requisita regulariter non existit ante annum 12 completum. At si vir juramento affirmet copulam fuisse habitam in puellae pubertate, jure antiquo matrimonium, durante impedimento habens vim sponsalium, per copulam censebatur

(1) Cf. Girald. *Expos. jur. Pont.* part. 1, sect. 672, Giovine, t. 1, p. 550 sq.

(2) Vid. c. *Tuae Nobis*, ult. h. t., c. *Si infantes* un. eod in VI, § 1.

(3) De dissolutione sponsalium in impubertate initorum cf. van de Burgt, *De matr.* n. 333, 352, tr. Mechl. n. 4 et 12, Ballerin. ad Gury. t. 2, n. 723 sub 1, de Angelis l. c. p. 77 sqq. Ex textibus juris vid c 6 sqq. h. t. et c. un. eod. in VI.

transire in matrimonium, et tunc credebatur potius viro affirmanti quam feminae neganti (1). Haec regula de matrimonio praesumpto etiam nunc viget ubi non obligat lex Tridentina de impedimento dirimente clandestinitatis; alibi vero matrimoniis praesumptis locus non est (2).

Praeterea disputant auctores an praefata vis sponsalium existat etiam in matrimonio ante aetatem, malitia non supplente, inito clandestine in loco ubi decretum *Tametsi* obligat. Existere communiter docent; qua de re, et de excipiendo saltem casu matrimonii, ut vocant, mere civilis, vid. n. 282, 398, 400 in fine.

536. Disputant etiam auctores an graviter peccet contrahens ante aetatem, malitia non supplente. Sunt qui excusent a culpa gravi (3), dummodo non attentet copulam; nituntur autem c. fin. h. t. et c. un. eod. in VI, ubi, aiunt, permittitur matrimonium et tantum prohibetur copula, Neque, inquiunt, irrogatur irreverentia Sacramento; nam ejusmodi matrimonium non est matrimonium, sed tantum habet vim sponsalium; haec autem impuberibus sunt licita. Verum in textibus allatis non permittitur matrimonium, sed mera facta narrantur a Pontifice id unum dicente habere vim sponsalium. Irreverentia autem Sacramenti non videtur excludi eo quod illud non perficitur; secus enim foret dicendum conatum perficiendi Sacramentum, dummodo hoc ipsum non perficiatur, seu dummodo nulliter ponatur, non esse irreverentiam gravemque culpam. Merito itaque tradunt alii graviter peccari. Sed ubi hi ipsi excipiunt casum urgentissimae necessitatis, ut pacis conservandae vel conciliandae, cet., et pro hoc allegant c. 2 h. t., valida contra eos quoque institui argumentatio potest; de intellectu cit. c. 2 vide potius Fagn. ad illud, et n. 26 sqq. ad c. 9 h. t.; vox *toleretur* de dispensatione est intelligenda.

(1) Cf. c. 3, Caus. 33, q. 1.

(2) Cf. n. 196 sq. 201, syn. Sutchuensis a. 1803, c. 9, n. 6, Rom. 1837. p. 82 sq. et ap. Perron. op. cit. ed. Rom. t. 1, p. 127, not. 39.

(3) Inter quos Sanchez, l. 1, disp. 17, n. 5 sq.

« His vero sic dispensatis, antequam sint ad copulam potentes, non permittitur cohabitatio propter periculum incontinentiae (1). »

557. Quod attinet ad consensum parentum, certum est matrimonia filiorum familias contracta absque consensu parentum, etiam rationabiliter denegato, esse valida (2); sunt tamen regulariter illicita. Si matrimonium contrahitur parentibus inconsultis, vel consultis sed invitis, graviter peccatur si sine justa causa fit. Non tamen peccatur, si praevideri rationabiliter potest parentes, si consulantur, fore malitiose impedituros matrimonium ob causam irrationabilem, vel si, consultis sed invitis parentibus, contrahitur casu quo parentes non habent justam contradicendi causam. Grave vero peccatum dici debet quando parentes justam contradicendi causam habent. Quum tamen haec ex circumstantiis pendeant et nupturientes facile sibi fucum faciant, parochus, inconsultis vel contradicentibus parentibus, assistere nequit, sed debet recurrere ad Ordinarium, qui media opportuna adhibebit, et his non proficientibus, si constet non esse justam contradicendi causam, declarare poterit parochum posse procedere. In quovis igitur ejusmodi casu recurratur ad Ordinarium (3), et sedulo quo-

(1) De Angelis l. c. p. 83.

(2) Vid. Trid. sess. 24, c. 1 de ref. matr.; cf. sup. n. 163.

(3) De parentum consensu quoad matrimonium cf. Christoph. Cosci, *De sponsalibus filiorumfamilias*, Rom. 1766, Franc. Maria Muscettula, *Dissertatio theologica, legalis de sponsalibus et matrimoniis quae a filiisfamil. contrahuntur, parentibus inscis vel juste invitis*, cum additamentis Mazzochii et Valsechii, ed. Brux. 1771, S. Alph. n. 849, Scavin. t. 4, n. 438 sq., Bangen, tit. 2, p. 3 sq. 7 sq. 12, tr. Mechl. n. 10, 22, van de Burgt, n. 314 sqq., Giovine, t. 1, p. 242 sq., Gury et Ballerin. t. 2, n. 754 sq. De parentum contradictione cf. etiam inf. n. 558, S. C. C. in *Meldensi Matr.* 24 jul. 1875 (*Anal. jur. Pont.* ser. 15, col. 227 sqq.), *Melevitana Remotionis impedimenti* 20 mart. 1880 (Ib. ser. 19 col. 983 sqq., *Acta S. Sedis* t. 13, p. 440 sqq., *Thes. S. C. C.* t. 139), *Remotionis impedimenti* 9 jul. 1881 (*Anal. jur. Pont.* ser. 21 col. 126 sqq., *Acta S. Sedis* t. 14, p. 455 sqq.). De parentum consensu quoad sponsalia cf. n. 174. Cosci et Muscettula opp. citt., S. Alph. n. 849, 877, Scavin. t. 4, n. 461

que attendatur ad legis civilis praescriptiones, ne multis difficultatibus negotium implicetur (1).

CAPUT XXIV.

DE IMPEDIMENTO IMPOTENTIAE.

538. Ante hujus impedimenti expositionem (2) plura sunt notanda. 1° Impotentia ad actus conjugales generationi prolis inservientes, seu impotentia coeundi copula perfecta, qua conjuges fiunt una caro, debet distingui ab impotentia generandi seu sterilitate; illa obstat, haec vero non obstat valori matrimonii. 2° Impotentia coeundi alia matrimonium antecedit, alia subsequitur; subsequens autem numquam dissolvit matrimonium, sed, si hoc est ratum tantum, potest illud dispensando solvere Pontifex (c. 30 § 1). 3° Impotentia coeundi aut est perpetua, seu quae per naturalia remedia vel absque peccato vel absque gravissimo periculo tolli nequit, aut est temporanea (3). 4° Impotentia coeundi

sq., Bangen, tit. 1, p. 5 sqq., tit. 2, p. 3 sq. 7 sq. 12, tr. Mechl. ll. cc., van de Burgt, n. 333 in fine, Giovine, t. 1, p. 316 sq., Gury et Ballerin. t. 2, n. 732.

(1) Cf. Van Hemel, *Institutiones de formis civilibus*, p. 11, 18 sqq. 32-35, 37 sqq.

(2) De eo scribunt canonistae ad tit. *De frigidis et maleficiatis, et impotentia coeundi;* cf. Bus. et S. Alph. n. 1095-1104, Gousset, n. 790 sq., Scavin. t. 4, n. 563 sqq., Bangen, tit. 2, p. 106 sqq., tit. 3, p. 167 sq. 177-232, Kutschker, t. 3, § 111 sqq., Soglia, § 190, Ferrari. t. 2, n. 399, Gury et Ballerin. t. 2, n. 854 sqq., van de Burgt, n. 199 sqq., tr. Mechl. n. 71 coll. n. 47, Capellmann, *Medicina pastoralis,* Aquisgran. 1879, p. 159 sqq., syn. prov. nationis Syrorum Maronitarum, a. 1736, part. 2, c. 11, n. 13. De androgynis seu hermaphroditis multa disputant auctores antiquiores; inter alios cf. Verricellus, q. 196; ex recentioribus cf. Capellmann, l. c. p. 164 sq.

(3) De defectibus sive perpetuam sive temporaneam coeundi impoten-

est aut naturalis seu ex vitio congenito, aut accidentalis, seu casu, morbo, facto hominis inducta (1). 5° Impotentia coeundi aut est absoluta seu quoad omnes personas, aut relativa seu respectiva ad determinatam personam vel personas.

539. Impotentia coeundi antecedens et perpetua jure naturae dirimit matrimonium; quamquam enim actus copulae carnalis et actualis ad hanc habilitas non est de essentia matrimonii, potentia tamen talis est, et hujus defectus obest intrinseco fini matrimonii. Nec refert utrum impotentia sit ex parte viri an vero mulieris, in qua tamen rarius adest, nec utrum sit naturalis an vero accidentalis, absoluta an vero respectiva tantum. Ad declarandam matrimonii nullitatem sufficit ut probetur impotentia antecedens et perpetua.

540. In foro interno prudentiae confessarii maxima pars est, qui suspicionibus vel querelis non cito indulgebit, neque illico poenitentem de matrimonii nullitate certiorabit vel in hujus suspicionem adducet. Ex circumstantiis norma agendi erit petenda, et recurrendum ad principia generalia, atque in casu difficili consulendus Ordinarius (2).

tiam causantibus cf. Bangen, tit. 2, p. 109-113, van de Burgt, n. 202 sq., Capellmann, p. 159 sqq., Konings t. 2, p. 409, de Angelis t. 3 part. 1, p. 253 sq. 255 sq.

(1) In jure sermo etiam est de impotentia coeundi causata per maleficium seu daemoni attribuenda. Posse ex maleficio impotentiam oriri absque temeritate negari nequit, quum concilia innumera, ritualia, theologi et canonistae, ipsi quoque Romani Pontifices hoc ponant; cf. c. 6 sq. h. t., Caus. 33. q. 1, c. 4, ubi regulae praescribuntur servandae. Imo potissimum contra hujusmodi maleficia suadebatur vel praescribebatur Sacramentorum ante matrimonii celebrationem vel saltem consummationem susceptio (n. 276). Ob ejusmodi tamen impotentiam difficillime perveniretur ad matrimonii nullitatem declarandam; vix enim intelligitur quomodo ejusmodi impotentia possit esse et probari antecedens simul ac perpetua. Insuper ex signis, quae auctores indicare solent, plura possunt absque ope daemonis a causis naturalibus provenire.

(2) Cf. Gousset, n. 791, Scavin. t. 4, n. 565 sub 4, Bangen, tit. 2,

Profecto conjuges certo scientes ex parte unius adesse perpetuam et antecedentem impotentiam (1), tenentur abstinere ab omni actu non permisso personis liberis, quales in foro interno revera sunt, quum certa sit matrimonii nullitas. Quoad torum itaque certo sunt separandi. Non possunt quidem recedere a conjugio in foro externo; sed interdum ob circumstantias, quando nempe aliter vitari peccata non possunt, etiam quoad habitationem recedere debent quo meliori modo absque scandalo fieri possit. Ad tempus fieri hoc potest propria auctoritate, quum non sit divortium, sed fiat ut conscientiae consulatur; ipsum vero divortium seu non tori tantum sed et cohabitationis separatio absque auctoritate Ordinarii fieri nequit; c. 3 *De divortiis* (cf. c. 27).

541. In foro externo tam pars impotens quam potens contra matrimonii validitatem reclamandi jus habet (2). Plura tamen sunt juxta canones observanda ut ad nullitatis declarationem perveniatur. Investigandum est an adsit impotentia, utrum sit antecedens an vero subsequens, et, si reperiatur antecedens, utrum

p. 115 sqq., tit. 3, p. 167 sq., Kutschker. t. 3, p. 23 sq. 49 sq., van de Burgt, n. 206, tr. Mechl. n. 71, Gury et Ballerin. t. 2, n. 855, Konings, n. 1619 sub 6°.

(1) De consequente cf. Ballerin. ad Gury l. c. not. *a*, de Angelis l. c. p. 256 sq.

(2) Antiquitus juxta Ecclesiae Romanae disciplinam conjuges ordinarie non separabantur propter impotentiam etiam antecedentem ac perpetuam, sed solebat rescribi ut viverent tamquam frater et soror; cf. Ben. XIV. *De syn.* l. 9, c. 10, n. 2. Scribit autem Giraldus, part. 1, sect. 724 sq. hodie ejusmodi cohabitationem non admitti ob periculum incontinentiae, potissimum si conjuges juvenes sint vel stimulis carnis obnoxii, etiamsi non institerint pro declaratione nullitatis matrimonii. Excipi tamen cohabitationem late sumptam, puta si vivant in eadem domo, sed ita separati ut nullum prorsus peccandi occasionem inde possint desumere; verum in praxi id vix contingere posse. Omnino autem esse prohibendam cohabitationem si contraxerint scientes impedimentum. Fatendum revera est rarissime esse locum cohabitationi ut frater et soror; cf. c. 29, Sixt. V 27 junii 1587 (cit. *Collectanea* n. 1001), de Angelis p. 255, 257 sq.

sit perpetua an vero temporanea. Iudex autem summa prudentia debet procedere; non solum exacte servandae sunt praescriptiones Ben. XIV in const. *Dei miseratione* 3 nov. 1741 (vid. c. 28), sed impotentia quoque plene probari debet; conjugum enim assertionibus fides adhiberi non potest. Ipsi sacri canones, et praesertim praxis Sedis Ap., quam indicant causae tractatae in S. C. C. (1) ac praecipue hujus Instructio 22 aug. 1840 (2), probationum seriem et diversitatem indicant. Quamquam autem S. C. C. hodiedum causas hujusmodi plerumque non terminat per declarationem nullitatis ob impotentiam, sed consulendo SS^mo^ pro dispensatione in matrimonio rato tantum, notitia tamen processus in priori casu adhibendi necessaria est, praesertim Ordinariis.

542. Primo quidem seorsim facienda est corporis vel corporum inspectio, observatis iis omnibus quae in cit. S. C. C. Instructione plene exponuntur. Juramentum autem, de quo ibi saepius sermo est, debet emitti coram judice, tactis Evangeliis, quae praxis servanda est, non obstantibus aliquibus opinantibus fieri posse juxta locorum consuetudinem.

543. Facto autem examine, 1° si ex peritorum unanimi (quod requiri videtur) judicio habentur impotentiae antecedentis ac perpetuae signa et indicia physice evidentia, matrimonium sine alia probatione, nisi eam postulet matrimonii Defensor vel opportunam credat judex, potest nullum declarari, neque opus est deferre conjugibus juramentum, quo affirment se numquam potuisse consummare.

544. 2° Si signa impotentiae non sunt physice evidentia sed tantum moraliter certa, praemittendum est juramentum a conjugibus se matrimonium consummare non potuisse, et necessarium etiam est juramentum *septimae manus*, quo septem pro utraque

(1) Inter alias vid. *Romana seu Reatina Nullit. matr.* 1 febr. 1766 (*Thes. S. C. C.* t. 35).

(2) Vid. Lucidi, *De visit. SS. Lim.* t. 3, p. 510 sqq., *Acta S. Sedis*, t. 1. p. 439 sqq., *Anal. jur. Pont.* ser. 3, col. 927 sqq.

parte consanguinei, vel, si tot consanguinei haberi nequeant, vicini bonae famae jurent se credere conjuges dixisse verum. Conjuges itaque testantur de veritate, consanguinei vel vicini de credulitate. Juramentum istud *septimae manus* exigitur ut in re tam ardua compleatur probatio, quum probatio per signa moraliter certa sit minor ea quae fit per signa physice evidentia (1). Praestito autem utroque juramento, pronuntiari potest nullitas absque longiori mora, nisi alia postulet Defensor matrimonii vel opportuna credat judex. De jure ergo triennali experimento, de quo illico, locus non est, quia hoc non requiritur nisi quando dubia signa sunt, nec potest a judice moralis acquiri certitudo ex depositionibus et juramentis. In praxi tamen S. C. C. regulariter praescribebat triennale experimentum, quando nondum cohabitaverant per triennium (2). Praeterea totum negotium debere agi inde a plena pubertate, numero sequenti patebit.

(1) Cf. Avanzinus, *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 412. Idem autem t. 6, p. 515 sq. haec scribit : « Interpretes ss. canonum valde accurate scripserunt de numero testium qui appellantur *septima manus*, idest auxilium septem testium ex utraque parte propinquorum vel vicinorum, quorum testimonium in veteri methodo tractandi ejusmodi causas erat auxilium praecipuum ad judicandum : sed in praesenti disciplina animadverti, ejusmodi testimonium septimae manus universim quidem requiri a S. Congregatione ; sed numquam animadverti, S. Congregationem exigere adamussim septem ex una parte et septem ex alia, neque distinguere, ut interpretes faciunt, quando sit satis habere eos testes ex una tantum parte : requirit universim testimonium septimae manus, idest aliquem numerum sive propinquorum sive vicinorum sive amicorum aliorumve, qui praesumantur rem melius de qua agitur cognoscere. » Attamen ex cit. Instructione a. 1840 patet insistere S. C. C. ut septem ab utraque parte testes inducantur consanguinei vel affines, si fieri possit, sin minus vicini bonae famae. Cf. etiam *Acta S. Sedis*, t. 10, p. 436, t. 14, p. 361.

(2) Quod dicit Avanzinus, *Acta S. Sedis*, t. 6, p. 513 et 518, triennale experimentum videri ab aula recessisse, id restringendum utique ad multos casus signorum moraliter certorum. Dixerit illud Avanzinus quia in plerisque causis jam adfuit cohabitatio per plures annos, et consequenter non praescribitur tunc triennium, quia hoc computatur tunc a tempore attentatae copulae. Ceterum cf. *Acta S. Sedis* t. 11, p. 434.

545. 5° Si signa dubia sunt, observandum est triennale experimentum (1), computandum a tempore attentatae copulae, si per plures annos, ut in c. 3 h. t. ponitur, jam cohabitarunt, a die vero quo per judicis sententiam concessum est, si paulo post matrimonium contractum reclamatur. Si autem femina vel vir, dum matrimonium inivit, non habebat plenam pubertatem, nempe resp. 18 vel 14 annos completos, experimentum est ad plenam pubertatem differendum, et juxta distinctionem supra factam computandum sive a die attentatae copulae sive a decreto judicis; tunc enim impotentia praesumitur non esse perpetua, nisi signa physice evidentia adsint; quare idem observandum est in casu signorum moraliter tantum certorum (n. 544).

Transacto triennali experimento ob dubia impotentiae signa concesso, si non iteratur instantia, nihil praestatur, sed si iteratur, denuo facienda est inspectio. Qua facta, si signa impotentiae sive physice evidentia sive moraliter certa reperta fuerunt, locus est dictis n. 543 vel n. 544. Si vero ne moraliter quidem certa signa impotentiae fuerunt reperta, sed verum dubium manet, videndum est quid ipsi conjuges asserant. *a)* Si vir neget fuisse consummatum matrimonium, femina vero affirmet, fides est habenda affirmanti, quia in pari causa melior est conditio possidentis, nec praesumitur femina velle cohabitare cum viro impotente et haberi sterilis. *b)* Si femina neget, vir autem affirmet, fides habenda est viro, praecipue si femina per longum tempus distulit reclamare contra matrimonium; cf. c. 1 h. t. *c)* Si uterque affirmet impotentiam, ad tollendam collusionis suspicionem deferendum ipsis est juramentum cum juramento quoque septimae manus; quo facto, nisi alia postulet matrimonii Defensor vel opportuna credat judex, declarari potest nullitas; cf. c. 5 h. t.

Hodie igitur, re delata ad S. C. C., numquam devenitur ad pronuntiandam nullitatem, nisi denuo facta inspectione praesti-

(1) Vid. textus juris h. t. et cf. Ben. XIV, *De syn.* l. 9, c. 10, n. 2.

tisque reliquis supra indicatis. Imo, signis manentibus dubiis, solet potius Sedes Ap. devenire ad dispensationem in matrimonio rato tantum, dummodo constet non esse consummatum, et gravis sit dispensandi causa. Praefert tunc S. C. C. consulere SSmo pro ejusmodi dispensatione, quia non potuit impotentia vel saltem ejus perpetuitas et antecedentia sufficienter probari, ut dissolutioni ex justitia videatur esse locus. Imo post datam pro consulenda dispensatione resolutionem non raro S. C. C., quando causa reproponebatur et quaerebatur an esset standum vel recedendum a decisis, denuo inspectionem aliave media praescripsit, antequam resolveret standum esse in decisis.

Hodie S. C. C., ut supra diximus, plerumque consulit SS^mo^ pro dispensatione in matrimonio rato tantum, dummodo probata fuerit non consummatio et gravis existat causa (1).

Addi quoque solet clausula, ut pars, cujus impotentia verisimilis est, aliud matrimonium non contrahat inconsulta S. Congregatione (2). Haec clausula per se mera est prohibitio alterius

(1) Cf. de Angelis p. 261 sq., *Acta S. Sedis* t. 14, p. 354.

(2) Vid. S. C. C. in *Neapolitana Disp.* 27 jul. 14 dec. 1822 (*Thes. S. C. C.* t. 82), *Neapolitana Disp. matr.* 18 mart. 22 jul. 23 dec. 1826 (Ib. t. 86), *Neapolitana Disp. matr.* 27 maii, 26 aug. 1826 (Ib.), *Neapolitana Disp. matr.* 22 apr. 1826, 28 apr. 21 jul. 1827 (Ib. t. 87), *Theatina Disp.* 20 nov. 18 dec. 1824, 16 sept. 1826, 15 dec. 1827, 15 mart. 1828 (Ib. t. 84, 86, 87, 88), *Neapolitana Disp. matr.* 15 sept. 1827. 26 januar. 20 sept. 20 dec. 1828 (Ib. t. 87 et 88), *Bononien. Matr. super nullitate, seu dispensatione* 30 januar. 27 febr. 30 apr. 25 junii 1836 (Ib. t. 96), *Neapolitana Matr.* 2 aug. 1845, 5 dec. 1846 (Ib. t. 105 et 106), *Romana seu Tiburtina Nullit. matr. super publicatione seu prosequutione processus* 29 maii 1852, *Nullit. seu disp. matr.* 12 mart. 10 sept. 1853 (Ib. t. 111 et 112), *Neapolitana Matr.* 26 sept. 1857, 27 mart. 1858, *Matr. super expensis* 27 nov. 1858 (Ib. t. 116 et 117), *Neapolitana* 24 apr. 1858 (Ib. t. 117), *Neapolitana Matr.* 2 mart. 27 apr. 1861 (Ib. t. 120) coll. *Neapolitana Veniae ad matr.* 1 febr. 1868 (ap. Lingen et Reuss, *Causae selectae S. C. C. per summaria precum*, Ratisb. 1871, n. 522, *Acta S. Sedis*, t. 4, p. 198 sq.), *Neapolitana Nullit. seu disp. matr.* 5 jul. 29 nov. 1862 (*Thes. S. C. C.* t. 121), coll. *Neapolitana Relaxationis testimonii status*

matrimonii, seu impedimentum impediens ob interdictum Ecclesiae, ideoque matrimonium, hac neglecta prohibitione, contractum est illicitum tantum, non vero invalidum, nisi revera obstet dirimens impedimentum impotentiae vel aliud (1). Venia deinde petita, S. C. C. juxta circumstantias aut negat, aut concedit sive absolute sive addita clausula *cum vidua*, et interdum ab hac quoque clausula postea recedit.

546. Matrimonio propter impotentiam respectivam dissoluto, potest etiam impotens novum inire conjugium; sed in praxi indiget superioris ecclesiastici interventu, et ipsius quidem S. C. C., si haec nullitatem pronuntiavit; in ejusmodi enim casu S. C. ponit clausulam, cujus in fine num praec. mentio fuit. Novum vero matrimonium inire impotens non potest, si propter absolutam impotentiam nullitas fuit declarata. Quod si absolute impotens reputatus revera non fuerit talis, novum matrimonium est nullum, nisi fuerit dispensatum in matrimonio rato tantum (2); praecedens enim erat validum, et errori innitebatur judicis sententia. Si autem prior conjux, a quo fuit propter suam impotentiam separatus, jam obivit, et causa novi contracti matrimonii ad judicem defertur, separari debet donec probet se esse potentem et judicem fuisse deceptum seu errasse; eo enim ipso quod sententia propter absolutam impotentiam lata fuit, stat contra eum praesumptio juris. Si itaque postea pateat eum, ob cujus impotentiam dissolutum fuit matrimonium, revera fuisse potentem, debet redintegrari matrimonium et conjux reddi priori comparti, licet jam contraxerit cum alia, nisi fuerit dispensatum in matrimonio rato, non consummato (3). Eo enim ipso quod apparet potentia, probatur

liberi 24 sept. 1864 (Ib. t. 123), et Pii IX Brevi 9 januar. 1863 (ap. Giovine, t. 1, p. 470 sq.), *Jadren. Disp. matr.* 18 jul. 1868, 23 januar. 1869 (ap. *Acta S. Sedis*, t. 4, p. 190 sqq., 374 sqq.), in aliis demum causis recentioribus ex iis quas referimus Append. n. IV.

(1) Cf. c. 25, et *Acta S. Sedis*, t. 6, p. 518, t. 11, p. 594 sq.

(2) Cf. de Angelis l. c. p. 263.

(3) Cf. de Angelis l. c. p. 260, 262 sq.

judicem errasse (1). Quod quidem procedit ex quacumque causa fuerit praetensa impotentia perpetua (c. 6 h. t.), et etiamsi longissimum tempus a sententia dissolutionis effluxerit. In causis matrimonialibus sententia judicis numquam transit in rem judicatam, et semper potest reclamari adversus sententiam contra matrimonium latam. Rarissimus tamen casus est, quo matrimonium propter impotentiam dissolutum restauratur. Ad hoc enim requiritur ut allegata fuerit impotentia perpetua eaque absoluta; nam si respectiva tantum fuit allegata, ex potentia actuali nihil probatur, nisi probari simul possit statum secundae compartis eumdem esse ac primae. Praeterea necesse est ut potentia actualis sit legitime probata.

547. In materia etiam praesenti ex legibus civilibus, quum non conveniant cum legibus canonicis, difficultas oriri potest, quando judex ecclesiasticus dissolutionem pronuntiavit. Etenim in jure civili matrimonium nequit annuliari, nisi ob causam in civili lege expressam. Juxta art. 180 nostri Cod. civ. error personae est causa nullitatis; civilis autem juris periti communi fere sententia errori personae annumerant impotentiam. Distinguentes tamen inter naturalem et accidentalem, satis communiter asserunt accidentalem impotentiam, si exstiterit quando matrimonium contrahebatur, reddere matrimonium nullum, sed ut judex nullitatem pronuntiare valeat, debere causam ad ipsum deferri tempore utili seu legali, quod est intra sex menses a momento quo impotentia erat cognita conjugibus; probata autem impotentia, nullitatem posse a judice pronuntiari. Naturalem vero impotentiam communius dicunt non esse causam nullitatis, idque tum propter difficultatem eam probandi, tum quia, licet fieri posset probatio, foret bonis moribus contraria et nimis scandalosa, tum quia art. 313 statuit numquam posse eam a marito invocari ut probet se non esse patrem pueri.

(1) Cf. Ben. XIV, *De syn.* l. 13, c. 21, n. 5, *Acta S. Sedis* t. 6, p. 518.

Quid ergo facto opus si lex civilis non permittat annullationem matrimonii, contra vero faciat lex canonica? In subsidium potest vocari proprie dictum divortium civile, et scandalum est avertendum, evulgando ex. gr. aliquod impedimentum obstitisse. Ubi leges id permittunt, efficax remedium erit praesertim divortium mutuo consensu obtentum, pro quo tamen extraordinariae conditiones exiguntur; cf. Cod. civ. art. 275 sqq. Si mutuo consensu peti nequeat divortium, restat ut obtineri possit ob saevitiam et gravem injuriam; cf. Cod. civ. art. 231. Hae igitur causae si non adsint, civile remedium nullum praesto esse videtur, nisi illud quod haberi potest ex art. 310. Restat tandem in rarissimo aliquo casu ut vivant tamquam frater et soror; quod si fieri nequeat, omnino sunt separandi (1).

CAPUT XXV.

DE IMPEDIMENTIS IMPEDIENTIBUS.

548. Solent impedimenta tantum impedientia seu prohibentia quatuor his vocibus indicari : « Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum, » quae tamen non omnia comprehendunt capita ex quibus matrimonii celebratio illicita esse potest (2). Insuper existebant olim quaedam alia impedimenta impedientia, de quibus disputatur an adhuc vigeant (3), aliis sentientibus ea esse per generalem consuetudinem sublata, imo unius alteriusve in ipso jure

(1) Vid. S. C. C. 15 dec. 1877, ap. *Acta S. Sedis* t. 10, p. 504 sqq.

(2) Cf. Ben. XIV, *De syn.* l. 8, c. 14, n. 2, Giovine, t. 1, p. 241 sq.

(3) Cf. Clericat. Decis. 37 *de Sacr. matr.* n. 14, 19 sqq., Maschat. n. 7 *De matr. contracto contra interdictum Ecclesiae*, Wiestner, n. 37 sqq. eod, secretarius S. C. C. in *Ulixbonen.* 7 sept. 1726 (*Thes. S. C. C.* t. 3), Ferrari, t. 2, n. 359, Giovine, t. 1, p. 332, 356 sqq. 688 sq., Ballerin. ad Gury, t. 2, n. 776, 867.

existentiam esse dubiam, aliis vero ea, vel certe aliqua, adhuc vigere. Talia erant catechismus seu responsio pro infante in suppletione ceremoniarum Baptismi (1), et graviora quaedam crimina, nempe incestus (2), uxoricidium et probabilius etiam viricidium (3), presbytericidium (4), propriae prolis interfectio (5), matrimonium attentatum cum moniali (6), propriae proli collatus Baptismus vel illius susceptio ex malitia ad frustrandam compartem (7), raptus sponsae alienae (8); item poenitentia publica (9). Existimamus in praxi hujusmodi impedimenta tuto haberi pro subiatis, non excepto incestu, de quo gravior quaestio est, nisi tamen in alterius impedimenti dispensatione Sedes Ap. peculiari clausula novum matrimonium incestuoso prohibuerit (n. 369, 381). Gressum facimus ad exponenda impedimenta impedientia, prout quatuor supra indicatis vocibus enumerantur.

549. 1° *Ecclesiae vetitum*. His verbis proprie non indicatur prohibitio lege generali indicta, ex. gr. ne contrahatur absque denuntiationibus, ne cum haeretica vel schismatica, cet., sed specialis prohibitio ab homine facta (10). Propter causam legiti-

(1) Cf. Clericat. l. c. n. 14, Ballerin. ad Gury, t. 2, n. 776, syn. prov. Syrorum Maronitarum a. 1736, part. 2, c. 11, n. 9 sub IV.

(2) Cf. n. 369, 381, Clericat. l. c. n. 19 sqq., Giovine, t. 1, p. 332, 356 sqq., Ballerin. ad Gury, t. 2, n. 776, 867.

(3) Cf. n. 453, Ben. XIV, *De syn.* l. 9, c. 12, n. 7, et ut secretarius S. C. C. in cit. *Ulixbonen.*, Clericat. l. c. n. 25 sqq., Kutschker, t. 3, p. 407. Carr. n. 727, Giovine, t. 1, p. 415, 688 sq., Ballerin. cit. n. 776, cit. syn. prov. Syrorum Maronitarum, l. c. sub VI.

(4) Cf. Clericat. l. c. n. 29, Giovine. t. 1, p. 688 sq., Ballerin. cit. n. 776.

(5) Cf. Giovine et Ballerin. ll. cc.

(6) Cf. Clericat. l. c. n. 31, Giovine et Ballerin. ll. cc.

(7) Cf. Clericat. l. c. n. 28, Giovine et Ballerin. ll. cc. Privationem juris debitum a proprio conjuge petendi tunc non incurri, vid. sup. n. 427.

(8) Cf. Clericat. l. c. n. 24, Giovine et Ballerin. ll. cc.

(9) Cf. Clericat. l. c. n. 30, Giovine et Ballerin. ll. cc.

(10) De ea scribunt canonistae ad tit. *De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiae*, Giovine, t. 1, p. 328 sqq.

mam interdicere matrimonium possunt Romanus Pontifex (n. 187, 369, 381, 545 sq. 548, 678) et Ordinarius, poenis etiam positis in delinquentes contra prohibitionem (1). Quum autem Ecclesiae vetitum sensu peculiari supra indicato intelligatur, et causarum matrimonialium cognitio soli judici ecclesiastico competat, ac parochus fori externi potestatem non habeat, is neque potest de causa ejusmodi per modum sententiae seu judicialiter cognoscere, neque sive judicialiter sive extrajudicialiter peculiarem ferre prohibitionem praefatam auctoritati fori externi propriam. Quia tamen cura ei commissa est ut matrimonium debito incatur modo, ex officio suo potest extrajudicialiter obsistere matrimonio, donec, causa discussa, judex ecclesiasticus pronuntiaverit quid ultra sit agendum (2).

550. Causae specialem, de qua agitur, prohibitionem ferendi variae esse possunt, ex. gr. necessitas vitandi scandalum, rixas, alia incommoda, tertiae personae non vana oppositio, suspicio non vana latentis impedimenti (3) sive dirimentis sive impedientis, ignorantia doctrinae christianae (4).

(1) Cf. n. 74, Giovine, t. 1, p. 331 sq. Propositis dubiis : « I. An episcopus possit punire contrahentes matrimonium contra ejus prohibitionem contractum? II. An eos, qui contrahunt coram parocho ex causa justa dissentiente? III. An eos, qui contrahunt, omissis denuntiationibus? IV. An possit punire testes intervenientes in supradictis casibus? V. An possit in eisdem casibus punire poenis pecuniariis, locis tamen piis applicandis? », S. C. C. in *Florentina* 10 febr. 1629, l. 14 Decr. p. 35, respondit : « Ad I, II et III. Episcopum posse. Ad IV. Posse, quatenus testes sint in dolo. Ad V. Posse ; » ap Girald. *Expos. jur. Pont.* part. 1, sect. 726, ubi pariter allegat S. C. C. in *Savonen.* 2 mart. 1595, l. 8 Decr. p. 106, ex qua patet parochum posse puniri.

(2) Cf. n. 270 sqq., c. *De muliere* fin. h. t., Giovine, t. 1, p. 334 sqq.

(3) Cf. *Acta S. Sedis* t. 8, p. 211 sqq.

(4) Cf. Ben. XIV, § 11 const. *Etsi minime* 7 febr. 1742 (*Bullar. Ben. XIV*, t. 1, const. 42 ; ed. Mechl. vol. 1, p. 230), *De syn.* l. 8, c. 14. Imo haec ignorantia etiam absque peculiari fori externi prohibitione a matrimonio contrahendo repellit ; cf. n. 253. De matrimonio contracto

551. Prohibitione facta, per se graviter illicitum est inire matrimonium, quum ex causa gravi feratur et materia gravis sit. Si ex causa levi fuisset lata prohibitio, grave peccatum non foret; exemplum aliqui dant consuetudinem vel prohibitionem dioecesanam ne celebretur matrimonium nisi tribus vel quatuor diebus post ultimam publicationem; sed hujus quoque casus gravitas ex verbis statuti aliisque circumstantiis pendet.

Quodsi matrimonium nihilominus ineatur (1) contra prohibitionem episcopi vel alterius R. Pontifice inferioris, validum est, etiamsi contrarium voluerit prohibens (n. 74); si vero prohibitio fuerit facta a Rom. Pontifice, distingui debet utrum clausulam irritantem addiderit necne; in priori hypothesi erit invalidum matrimonium, validum in posteriori (n. 73). Quodsi episcopus vel Rom. Pontifex prohibuerit matrimonium, quia lis vel appellatio est instituta de sponsalibus jam initis cum alia quae fuerit carnaliter cognita, matrimonium contra prohibitionem contractum judicari debet invalidum in locis, ubi sponsalia in praefato casu transeunt in matrimonium per copulam, quae praesumitur animo maritali habita. In locis vero ubi obligat decretum Trid. de clandestinitate, quum matrimoniis hujusmodi praesumptis locus non sit (n. 196 sqq.), valet matrimonium in praedicto casu initum contra prohibitionem etiam pontificiam non munitam clausula irritante.

552. 2° *Tempus*, nempe feriatum vel clausum (2), vocatur illud tempus sacratius, quod orationibus aliisque piis operibus prae ceteris destinatum est, a quibus fideles per nuptiales solemnitates abstraherentur. Tempus hoc, quod olim longius erat, hodie est

tempore interdicti vel ab aut cum excommunicato vel interdicto dicitur in tractatu de censuris; de interdicto cf. Giovine, t. 1, p. 328 sq.

(1) De quaestione an matrimonio hujusmodi uti liceat antequam tollatur prohibitio cf. Carr. n. 917. Licere existimamus, nisi ob dubium de matrimonii validitate vel per judicis decretum prohibeatur.

(2) Cfr. canonistae ad tit. *De matr. contracto contra interdictum Ecclesiae.*

« ab adventu D. N. J. C. usque in diem Epiphaniae, et a feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive (1). »

555. Multi olim affirmarunt ipsum quoque matrimonium tempore feriato esse prohibitum; sed quidquid sit de jure antiquo, jamdiu lex Ecclesiae generalis solas solemnitates nuptiales prohibet, non vero matrimonii celebrationem, dummodo haec fiat absque solemnitate prohibita (2). Conc. Trid. et Rit. Rom. expresse loquuntur de solemnitatibus nuptiarum; imo Rit. Rom. addit : « Matrimonium autem omni tempore contrahi potest, » idemque SS. Congregationes Romanae passim declararunt (3). Ex particulari tamen statuto vel consuetudine ipsum quoque matrimonium potest esse, et in multis dioecesibus revera est prohibitum, quo casu Ordinarii licentia requiritur (4). Quodsi nupturientes sint diversae dioecesis, et in utraque vigeat ejusmodi prohibitio, sufficere dicenda est licentia Ordinarii, in cujus dioecesi matrimonium celebratur, quia prohibitio solum respicit ordinem externum loci, in quo ceremonia peragitur (5). Licentia

(1) Conc. Trid. sess. 24, c. 10 de ref. matr.; cf. ejusdem sess. can. 11 de Sacr. matr.. Rit. Rom. rubr. de Sacr. matr. Ipse quoque dies Epiphaniae includitur, et vox *inclusive* ad omnes dies indicatos refertur. Varie scribunt auctores de hora qua prohibitio incipiat; cf. Ben. XIV, *Inst. eccl.* 13, n. 9, Carr. n. 920, van de Burgt, n. 290, tr. Mechl. n. 63; communiter autem et merito traditur currere prohibitionem a media nocte ad mediam noctem. De varia disciplina Ecclesiae Orientalis cf. Papp-Szilagyi, part. 2, § 122, syn. prov. nationis Syrorum Maronitarum a. 1736, part. 2, c. 11, n. 9 sub II.

(2) Cf. Ben. XIV, *Inst. eccl.* 80, Giovine, t. 1, p. 683 sq.

(3) Vid. S. C. C. ap. Ben. XIV, l. c. n. 20, S. C. de Prop. Fide 31 aug. 1839 ad 1 et 2 (cit. *Collectanea... ad usum operariorum Ap.* n. 1043), S. C. Rit. in *Montis Albani* 14 aug. 1858 ad 3 (Gard. n. 5275, cit. *Collectanea* n. 1049); in hac autem additum legitur : « dummodo accedat Episcopi venia, » quia in illa dioecesi Galliae particularis viget prohibitio, de qua mox infra.

(4) Vid. citt. rescripta S. C. R. et S. C. de Prop. Fide, et cf. Ben. XIV, *Inst. eccl.* 80, Giovine, t. 1, p. 684 sq., tr. Mechl. l. c.

(5) Cf. Carr. n. 921.

data, nihilominus abstinendum est a benedictione aliisque solemnitatibus mox indicandis; in his enim dispensare Ordinarius non potest, nec sentiendum cum iis qui opinantur per se quidem licentiam celebrandi matrimonii non sufficere ut solemnis benedictio adhibeatur, Ordinarium tamen posse dispensare (vid. n. 615).

554. Solemnitates prohibitae sunt : *a)* benedictio nuptiarum proprie dicta, scilicet non illa quae continetur verbis *Ego conjungo vos* cet. (1), sed illa solemnis quae continetur orationibus Missae pro sponso et sponsa. Haec igitur Missa et orationes ea comprehensae prohibitae sunt tempore feriato; neque etiam licet eo tempore has adhibere in alia Missa, quando aliunde propter ritum ipsum diei votiva illa pro sponso et sponsa celebrari nequit (2). Quum autem Conc. Trid. hortetur, ut conjuges ante be-

(1) Cf. Ben. XIV l. c. n. 7 sqq. Haec verba, quae passim etiam dicuntur forma conjunctionis seu copulationis, revera habere sensum benedictionis, ideoque duplicem distingui matrimonii benedictionem, ostendimus in op. *De nuptiarum benedictione*, Amstelodami, 1848.

(2) Vid. S. C. Rit. in *Montis Pessulan.* 31 aug. 1839 (Gard. n. 4868, cit. *Collectanea* n. 1041). Extra Missam illas orationes seu benedictionem adhibere nullo umquam tempore licet; a Missa enim abstrahi, etiam per consuetudinem, nequeunt. Extra Missam dari posse respondit quidem S. C. Rit. in *Eysteten.* 1 sept. 1838 ad 2 (Gard. n. 4840); sed ab hac responsione deinde recessit, et constanter tenuit contrariam; vid. *Rupellen.* 7 sept. 1850 ad 6 (ap. *Correspondance de Rome*, ed. Leod. t. 2, p. 145 sqq.), *Limburgen.* 23 junii 1853 ad 1 et 2 (Gard. n. 5190, coll. Heiss, *De matr.* Monach. 1861, p. 281), cit *Montis Albani* ad 1, in cujus dubii ultimis verbis alterutrum *non* errore amanuensis vel typographi additum fuerit, *Imolen.* 26 mart. 1859 (Gard. n. 5289, cit. *Collectanea* n. 1051), *Ambianen.* 31 aug. 1867 (Gard. n. 5382), *S. C. de Prop. Fide* 20 aug. 1870 (Ib. n. 5460), *Rupellen.* 31 aug. 1872 (Ib. n. 5514), *Clodien.* 7 aug. 1875 ad XI (Ib. n. 5622), *Mexicana* 25 sept. 1875 (Ib. n. 5640), *Syren.* 4 januar. 1877 ad 2 (Ib. n. 5678). Jamdiu idem declaraverat S. C. C. 13 jul. 1630, et Rit. Rom. benedictionem nuptialem nonnisi in Missa dari clare exprimit. Sunt tamen qui opinentur haec omnia intelligenda esse de orationibus in Missali positis; extra Missam vero dari posse aliam benedictionem, dummodo ab illis diversam, si quae statutis vel consuetudine vigeat; cf. Bangen. tit. 3, p. 60 sq.. De Herdt, *Sacrae liturgiae*

nedictionem sacerdotalem, in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent (n. 193, 275), quaeri potest an post tempus

praxis, ed. 5, Lovan. 1870, t. 3, n. 280, tr. Mechl. n. 63, *Nouv. rev. théol.*, t. 5, p. 34 sqq. Qui hanc opinionem amplectitur admittere etiam debet particularem ejusmodi benedictionis formulam non esse prohibitam in casibus, in quibus jure communi nuptias solemniter benedicere non licet, eamque in dioecesibus, ubi matrimonii quoque tempore feriato celebratio vetita est, eo ipso permitti quod matrimonium ab Ordinario permittatur, nisi contrarium is statuerit; dispensare autem hunc posse, si particularis quoque ejusmodi benedictio ibi sit prohibita. Ex una parte praefata opinio difficultatem patitur, quia proprie dicta nuptialis benedictio sic facile obsolescit, cui tamen soli Ecclesia alligavit spirituales effectus benedictionis nuptiarum; fortasse etiam difficultatem aliquam patitur ex voce *Relatum*, qua in cit. *Limburgen.* ad 2 particularis ejus modi formula fuit rejecta; fateor tamen hanc responsionem dari potuisse ob causae illius circumstantias. Ex alia parte praefata opinio facilitatem aliquam afferre videri potest, quia secus nuptiae hodie fere numquam benedicerentur; nam Missae celebrandae tempus solet deesse post impletas ceremonias civiles, in multis regionibus hodie ex lege civili praemittendas celebrationi matrimonii coram Ecclesia, et in cit. *Montis Albani* ad 2 : « Licetne Missam pro sponso et sponsa, et benedictionem ad diem proxime sequentem vel in aliam multo remotiorem differre, etsi conjuges ante benedictionem Sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo cohabitent? » respondit S. C. : « Negative in casu. » At illud semper obest praefatam particularem benedictionem non esse veram nuptiarum benedictionem, cui spirituales pro iis effectus Ecclesia conjunxit. Opinamur autem maxime ob circumstantias supra memoratas consuevisse episcopos intra limites instantis commendationis se continere, quando urgebant benedictionem in Missa impertiendam. Conc. plenarium Baltimorense II a. 1866, tit. 5, c. 9, n. 333, haec statuit : « Insuper vehementer hortamur pastores, ut praxim benedicendi Matrimonia intra Missam ubique introducant. » Et conc. prov. Ultrajectense a. 1865, tit. 4, c. 12 : « Maxime autem optandum esset, ut quantum fieri potest, matrimonii celebratio locum habeat ante vel post [*sic*] Missam pro sponso et sponsa oblatam. » At S. Sedes, non obstante difficultate ex civilibus legibus existente, urget inseparabilitatem benedictionis nuptialis a Missa, ut patet ex cit. *Rupellen.* a. 1872. Imo S. Off. 31 aug. 1881 hoc edidit decretum generale : « Benedictionem nuptialem, quam exhibet missale romanum in *Missa pro sponso et sponsa*, semper impertiendam esse in matrimoniis catholicorum, infra tamen Missae celebrationem, juxta rubricas, et extra tempus feriatum,

feriatum benedici debeat vel possit matrimonium eo durante contractum. Obligatio tunc non existit; fieri tamen potest, ut patet ex alibi dictis de casu impossibilis ad parochum vel Ordinarium, vel alterutrius delegatum, recursum (n. 305), et ex auctoribus passim, ubi tractant quaestionem ad quem, elapso tempore feriato, spectet benedictio, si conjuges, vel sponsa jam ad domum viri traducta, domicilium post celebratum matrimonium in aliam parochiam transtulerint; ad novum autem parochum spectare merito tradi solet (1). Quamquam igitur in casu, de quo nos agimus, praestat ut ante benedictionem post tempus feriatum impertiendam non cohabitent, illam tamen dare licet etiamsi cohabitaverint (2), et profecto etiam in casu recursus impossibilis conjuges

omnibus illis conjugibus, qui eam in contrahendo matrimonio, quacumque ex causa non obtinuerint; etiamsi petant postquam diu jam in matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit. — Insuper hortandos esse eosdem conjuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant. Significandum vero illis, maxime si neophyti sint, vel ante conversionem ab haeresi valide contraxerint, benedictionem ipsam ad ritum et solemnitatem, non vero ad substantiam et validitatem pertinere conjugii. Contrariis quibuscumque non obstantibus. »

(1) Cf. Fagn. ad c. *Vir autem*, 3 *De secundis nuptiis*, Honorante, *Prax. secretariae tribunalis... card. Urbis Vicarii*, c. 29 § 3, Girald. *Expos. jur. Pont.* part. 2, sect. 116, et ad Barbos. *De off. et pot. parochi*, part. 2, c. 21, n. 100.

(2) Ita etiam in synodo dioecesana Sabina, habita a. 1845 a card. Lambruschinio, haec leguntur part. 2, c. 10, n. 12 : « Cum autem ex Nostra, aut Vicarii Nostri generalis venia Matrimonium ineatur in privata domo, aut vespertinis horis sine Missae celebratione, vel per eos dies, quibus nuptiarum sollemnia prohibentur, sponsi nuptiali benedictione non sunt donandi, sed aliis peractis sunt dimittendi. Ipsi vero alio die in Ecclesiam ad benedictionem accipiendam se conferant, atque sciant Tridentinam Synodum eos hortari, ut ante benedictionem sacerdotalem in Templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent. » Extra Missam tamen illud facere non licet; cf. p. 427 sqq. et S. C. Rit. in cit. *Montis Pessulan.* rescripsit : « neque Orationes resumendae extra Missam tempore prohibito jam elapso. » Totam autem hanc de supplenda benedictione quaestio-

ante benedictionem cohabitare solent. Neque obstat S. C. Rit. in cit. *Montis Albani* ad 2 (p. 426 not. 3); ejusmodi enim prohibitio differendi benedictionem non respicit casus, in quibus fideles, puta ob legem Ecclesiae de tempore feriato vel ob impossibilem recursum, benedici prorsus non potuerunt; sed eos in quibus die contracti matrimonii vera ejusmodi impossibilitas non existebat (1); quemadmodum, generaliter proposito dubio, an benedictio sit permittenda post mulieris ad domum viri traductionem, S. C. C. a. 1594 censuit non esse permittendam (2).

555. Prohibita est *b*) traductio solemnis sponsae in aedes sponsi. Licita tamen est traductio privata seu absque solemnitatibus facta, et licita etiam est copula carnalis tempore feriato 3).

c) Nuptiale convivium solemnius, et alia quaevis solemnitas seu nuptiarum pompa et apparatus.

nem intellige de proprie dicta benedictione jure communi indicata; nulla enim est ratio supplendi particularem benedictionem, quae statutis vel consuetudine vigeat. Haec enim, juxta dicta, per se non est prohibita tempore feriato, et, si ea quoque jure particulari vetita est, eam permittere Ordinarius potest.

(1) In cit. *Montis Albani* S. C. addidit verba *in casu*. Eadem distinctio intelligatur in cit. decreti S. Off. a. 1881 verbis *quacumque ex causa*. Neque ab ea distinctione removere debet aliqua difficultas, quam videtur afferre cit. *Mexicana* ad 4 (sup. p. 427).

(2) L. VIII Decr. p. 115, ap. Girald. ll. cc. In locis Missionum concedit interdum S. Sedes ut tempore vetito detur benedictio nuptialis; vid. S. C. de Prop. Fide 31 januar. 1796 (cit. *Collectanea* n. 1034), 5 jul. 1841 ad 2 (Ib. n. 1043).

(3) Privatam quoque traductionem et carnalem copulam prohiberi cum nonnullis aliis sustinuit Fagn. ad c. *Capellanus*, 10 *De feriis*, quem secutus est Knopp, op. cit. p. 376. Erroneam tamen esse ejusmodi opinionem vid. ap. Ben XIV, l. c. n. 17 sqq., Pignatell. Consult. can. 47 (t. 6), Monacell. t. 1, tit. 8, form. 8, Giovine, t. 1, p. 685 sq., Ballerin. ad Gury. t. 2, n. 778. Imo opinamur usum matrimonii contra prohibitionem solemniter initi non esse illicitum, nisi judicis decreto fuerit prohibitus; hac de re cf. Carr. n. 922, Giovine, t. 1, p. 687 sq. 690 sq. Proclamationes matrimonii non esse jure communi vetitas tempore feriato, vidimus n. 241.

556. 3° *Sponsalia* cum alia persona contracta et non dissoluta (1). Quando matrimonio contrahendo quis se apud parochum opponit propter sponsalia secum inita, parochi est rem diligenter examinare. *a*) Repellendus est opponens si evidenter constet sponsalia non fuisse inita, vel esse dissoluta (2), vel resiliendi causam habere eum cui opponuntur, vel malitiosam esse oppositionem, qualis ordinarie esse censebitur si opponens longo tempore nihil pro jure suo egerit, cum facile potuisset, vel si post tertiam tantum proclamationem jus suum urgeat, cum prius facere commode potuisset. *b*) Si constet sponsalia fuisse inita et non dissoluta, nec evidens existat resiliendi causa, apud utramque partem operam adhibebit parochus ut omnia componantur, sive exequendo sponsalia (quod tamen raro absque gravi incommodo fieri potest), sive (quod opportunius esse et solum fieri posse solet) ita ut opponens juri suo, aut simpliciter aut debita compensatione praestita, renuntiet. Si nihil obtineat parochus, recurrendum est ad Ordinarium, sine cujus interventu dissolvere praeterea non licet sponsalia solemniter inita. Saepe etiam ob difficultates exortas ejusdem judicio terminandum est restitutionis vel compensationis negotium. *c*) In omni vero dubio de sponsalium existentia vel dissolutione vel resiliendi causa, nisi parochi opera, ut supra, amice lis componatur, ad Ordinarium deferri debet.

In prima hypothesi indicata parochus potest incipere et continuare proclamationes et matrimonio assistere, nisi ab Ordinario, ad quem opponens confugerit, inhibeatur. In secunda vero et tertia non solum non licet ante sententiam ab Ordinario contra sponsalia latam assistere matrimonio, sed nec incipere proclama-

(1) Cfr. canonistae ad tit. *De sponsalibus et matrimoniis*, Giovine, t. 1, p. 301 sqq. De dissolutione propter impedimentum superveniens obiter sermo fuit n. 390, 392, 409, sed plenius agetur, observata distinctione impedimenti dirimentis et impedientis, n. 563, 565 coll. n. 559.

(2) Impedimentum tamen publicae honestatis tunc permanere vidimus n. 386.

tiones, neque eas continuare nisi certa spes sit oppositionem ante proximam proclamationem fore sublatam.

Ex modo dictis patet etiam officium parochi in causa sponsalium, nulla licet adhuc facta oppositione (cf. n. 253, 270 sqq.).

557. Ordinarius rem ad se deductam sedulo examinare tenetur, juxta deducta pronuntiare, conari etiam ut obtineat quod parochus obtinere non potuit; si autem directe apud se oppositio fuerit facta, parocho normam agendi praescribere. Lite non sopita et actione contra matrimonium instituta, judicialiter negotium tractatur (1). Quodsi sponsalia valida fuerint plene probata,

(1) De ratione agendi ab Ordinario servanda cf. Kutschker. t. 2, § 165 sqq., Bangen. tit. 1, p. 62 sqq., Aichner. § 156, Giovine, t. 1, p. 333 sq., *Acta S. Sedis*, t. 1. p. 529 sq., t. 2. p. 147, 258, t. 3, p. 304, 461, t. 5, p. 81 sq., t. 6, p. 99 sqq. 525 sq. Praesertim vero juvat consulere Ben. XIV literas 19 jul. 1755 ad archiep. Coloniensem (inf. n. 558), et causas in S. C. C. tractatas, quarum praecipuae recentiores hae sunt : *Melevitana Sponsalium* 18 apr. 1863 (*Thes. S. C. C.* t. 122), *Beneventana Sponsalium* 18 apr. 1863, 23 januar. 1864 (Ib. t. 122, 123), *Melphicten. Sponsalium* 27 junii 1863 (Ib. t. 122), *Beneventana Impedimenti sponsalium* 27 junii 1863 (Ib. et *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 75 sqq.), *Venetiarum Sponsalium* 5 dec. 1863 (*Thes.* t. 122), *Ostunen. Impedimenti sponsalium* 5 dec. 1863 (Ib.), *Beneventana Impedimenti sponsalium* 27 febr. 27 aug. 1864 (Ib. t. 123), *Tarentina Sponsalium super impedimento* 30 jul. 1864 (Ib.), *Asculana Impedimenti sponsalium* 28 januar. 1865 (Ib. t. 124, *Acta S. Sedis*, t. 2. p. 142 sqq.). *Neritonen. Sponsalium* 1 apr. 1865 (*Thes.* t. 124), *Asculana Sponsalium* 6 maii 1865 (Ib.), *Melphicten. Sponsalium* 10 junii, 8 jul. 1865 (Ib. et *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 525 sqq.), *Venetiarum Impedimenti sponsalium* 27 januar. 1866 (*Thes.* t. 125). *Ripana Impedimenti sponsalium* 22 dec. 1866 (Ib. et *Acta* t. 3, p. 37 sqq.), *Beneventana Impedimenti sponsalium* 27 jul. 1867 (*Thes.* t. 126, *Anal. jur. Pont.* ser. 11, col. 101 sqq., *Acta S. Sedis*, t. 3, p. 302 sqq.), *Melevitana Impedimenti sponsalium* 30 mart. 14 sept. 1867, 1 febr. 1868 (*Thes.* t. 126 et 127. *Anal. jur. Pont.* ser. 11. col. 231 sqq., *Acta S. Sedis*, t. 3, p. 458 sqq.), *Sponsalium* 29 maii, 21 aug. 1869 (*Acta S. Sedis*, t. 5, p 77 sqq.), *Sponsalium* 26 junii 1869, 13 aug. 1870 (Ib. t. 6, p. 95 sqq.), *Beneventana Sponsalium* 29 apr. 1871 (Ib. p. 519 sqq.), 23 januar. 1875 (*Anal. jur. Pont.* ser. 14, col. 1130 sqq.), 24 apr. 1875 (Ib. ser. 15, col. 212 sqq.), *Sponsalium* 28 junii, 16 aug. 1874 (*Acta S. Sedis*, t. 7, p. 657 sqq.).

et de sufficienti causa resiliendi non constet, cedere autem nolit opponens, nihil aliud restat quam ut a Sede Ap. petatur dispensatio in vinculo sponsalium; eam Ordinarius dare nequit, Sedes vero Ap. pro circumstantiarum gravitate ac diversitate interdum concedit, quibusdam positis de compensatione cet. conditionibus (n. 601, 604, 613, 649).

558. Multas praesertim lites ob probationis difficultatem afferunt sponsalia clam inita, quae tamen, aeque ac solemniter seu publice contracta, pariunt gravem obligationem, et impedimentum dirimens publicae honestatis, etiam dissolutis sponsalibus permanens (n. 386, 391), atque impedimentum impediens quodvis aliud matrimonium ante illorum dissolutionem; magna etiam saepe incommoda causant, deceptionis incautarum puellarum, turbatae pacis familiarum, processuum, cet. Idcirco passim fuerunt scriptores (1) et episcopi, optantes ut Ecclesia formam aliquam publicam sponsalium validitati praestitueret. Quamquam in diversis dioecesibus usu vel statuto viget sponsalium coram parocho et testibus celebratio, extra tamen episcopi potestatem est hanc aliamve solemnitatem seu formam pro sponsalium validitate

Feretrana Dissolutionis spons. 11 dec. 1875 (*Anal. jur. Pont.* ser. 15, col. 373 sqq.), *Andrien. Remotionis impedimenti* 3 mart. 1877 (*Thes.* t. 136, *Anal. jur. Pont.* ser. 16, col. 369 sqq., *Acta S. Sedis* t. 10, p. 185 sqq.), *Ostunen. Sponsalium* 3 mart. 1877 (*Thes.* t. 136, *Acta S. Sedis* t. 10, p. 312 sqq.), coll. *Ostunen. Super disp. spons.* 25 aug. 1877 (*Anal. jur. Pont.* ser. 17, col. 262 sqq., *Acta S. Sedis* t. 10, p. 319 sqq.), *Ostunen. Spons.* 15 dec. 1877 (*Thes.* t. 136, *Anal. jur. Pont.* ser. 17, col. 687 sqq.), *Spalaten. Super dispens. spons.* 15 dec. 1877 (*Anal. jur. Pont.* ser. 17, col. 575 sqq.), 15 febr. 1879 (Ib. ser. 18, col. 764 sqq.), *Ugentina Spons.* 23 mart. 1878 (*Thes.* t. 137, *Anal. jur. Pont.* ser. 17, col. 822 sqq., *Acta S. Sedis* t. 11, p. 227 sqq.), *Melevitana Remotionis impedimenti* 20 mart. 1880 (*Thes.* t. 139, *Anal. jur. Pont.* ser. 19, col. 983 sqq., *Acta S. Sedis* t. 13, p. 440 sqq.), *Uritana Sponsalium* 17 dec. 1881 (*Anal. jur. Pont.* ser. 22, col. 473 sqq.), *Sponsalium* 20 januar. 1883 (*Acta S. Sedis* t. 15, p. 488 sqq.).

(1) Inter quos cf. Ferd. de Mendoza, *De confirmando Concilio Illiberritano*, Madriti 1594, l. 3, c. 34.

praescribere (1). In Concilio autem Trid. de ea determinanda cogitatum fuisse colligitur ex priori quadam propositione decreti de clandestinitate (2); sed in hujus ulteriori propositione (3) sponsalium mentio amplius non fuit, et revera Tridentinum, ut passim etiam S. C. C. declaravit (4), nullam sponsalibus formam praescripsit. Apud Sedem Ap. non semel de ea praescribenda actum fuit, sed semper visum fuit nihil esse innovandum (5), cujus rei ratio erat maxima difficultas inveniendi formam omnibus convenientem et libertati non nimis onerosam (6). Non pauci etiam ho-

(1) Cf. Ben. XIV, *Inst. eccl.* 46, n. 11 sqq., *De syn. dioec.* l. 12, c. 5, n. 1, ubi citantur S. C. C. declarationes, quibus adde S. C. C. in *Melphicten.* a. 1863 et *Melphicten.* a. 1865, *Ugentina* 23 mart. 1878 (n. 557, coll. *Nouv. rev. th.* t. 10, p. 492 sqq.).

(2) Ap. Pallavicinum, l. 22, c. 4, n. 4; c. 8, n. 9.

(3) Ib. l. 23, c. 8, n. 10.

(4) Cf. Ben. XIV ll. cc.

(5) Vid. resp. S. Poenit. ad cujusdam episcopi petitionem 24 nov. 1865, ap. de Angelis t. 3, part. 1, p. 9.

(6) Archiepiscopus Coloniensis (cf. Krabbe, *Statuta dioec. Monasteriensis*, Monast. 1849, p. 130 sqq.) propter sponsalia leviter saepe, absque consensu parentum vel tutorum, et ex passione vel ebrietate, contracta, rogaverat Benedictum XIV ut clandestina sponsalia invalida esse decerneret, sin pro universa Ecclesia, saltem pro illius provinciae dioecesibus. Sed Pontifex id facere noluit, et 19 jul. 1755 respondit sufficiens haberi remedium, si judex ecclesiasticus in casibus particularibus cum aliquali rigore procederet. Posse judicem absque multa haesitatione dissolvere sponsalia, quoties filiifamilias, praesertim minores, ea iniverunt in talibus circumstantiis, ut parentes vel tutores rationabiliter se illis opponant [cf. n. 537], et per sponsalium executionem nasci possint gravia scandala, familiarum inimicitiae ac disturbia, sed et una partium a contractu recedere intendit; dummodo tamen sive post promissionem, sive ante illam et sub illius fide, haud fuerit habita copula carnalis; hac enim habita, sponsalia effectui dari debere, adhibitis etiam validissimis remediis per sacros canones subministratis. Quodsi ambo contrahentes sponsalium executioni, non obstante parentum vel tutorum contradictione, insistant, non esse prohibitum contrahentes per aliquod tempus experiri poena sive carceris discreti sive alia personarum qualitati congrua. Insuper posse quandoque a judice rescindi sponsalia, si constiterit alterum sponsorum tali fuisse abreptum

die formam aliquam sub nullitatis poena pro universa Ecclesia praescribi exoptant, quorum plerique, quum efficax et universale remedium esse debeat, existimant hoc consistere non posse in praesentia parochi vel delegati ecclesiastici vel publici notarii aliave simili provisione, sed remedium praesto futurum si sponsalia iniri debeant aut per scripturam utriusque sponsi manu signatam, aut saltem coram duobus testibus. S. Sedes autem hucusque nihil duxit innovandum; ob peculiarem tamen causam S. C. C. in *Placentina Sponsalium* 31 januar. 1880 declaravit invalida esse sponsalia in Hispania contracta absque publica scriptura, et hanc suppleri non posse per instrumentum in Curia conflatum pro dispensatione super aliquo impedimento (1).

amoris alteriusve passionis vehementia, quae, concurrente seductione aliave circumstantia, suadere possit non adfuisse sufficientem in consensu deliberationem, uti etiam si consensus praestitus fuerit tempore ebrietatis, quae tamen sit talis ut tollatur per eam usus rectae rationis. Quamvis autem in his duobus casibus, passionis et ebrietatis, judex valde circumspecte procedere debeat, eo quod non ita facile una alterave sit in gradu requisito ut excludat sufficiens ad contrahendam obligationem judicium, illud tamen nonnullam attentionem mereri. Simili petitione facta ab ep. Lausanensi a. 1789, card. Gerdilius in Voto adhuc inedito censuit, licet ageretur de remedio adhibendo, non pro Ecclesia universa, sed pro aliqua tantum provincia vel dioecesi, magnam tamen esse difficultatem assignandi remedium non nimis recedens a jure communi. Rejectis autem remediis praesentiae parochi et testium, et scripturae a partibus signatae, duo alia proposuit, nempe 1° praesentiam notarii publici ab Ordinario delegandi, et duorum testium, imposita notario obligatione sponsalia in peculiari libro inscribendi, et certiorem faciendi Ordinarium; 2° clausulam resolutoriam, qua sponsalia clandestina declarentur resoluta, etiam pro foro interno, nisi sponsi intra tempus ab Ordinario assignandum sese stiterint coram delegato ecclesiastico non parocho, ad declarandam suam voluntatem transeundi ad proclamationes vel earum petendi dispensationem. Posteriorem hunc modum praeferebat Gerdilius, et juri communi magis consentaneum existimabat; fatendum tamen est utrumque magnam prae se ferre difficultatem. Causa tunc quoque eum exitum habuit ut censeretur nihil esse innovandum.

(1) *Thes.* t. 139, *Anal jur. Pont.* ser. 20, col. 99 sqq., *Acta S. Sedis* t. 13, p. 185 sqq., de Angelis l. c. p. 10.

559. 4° Licitam matrimonii celebrationem impedit *votum* simplex, sive castitatis, sive ingrediendi Religionem, sive suscipiendi Ordines, sive non nubendi (1).

Quamquam votum *castitatis* absolute loquendo et jure naturae non pugnat cum celebratione, sed cum solo usu matrimonii, practice tamen rem considerando regulariter etiam jure naturae illam impedit, et matrimonium absque dispensatione (2) contrahens peccat (3) tum propter periculum violandi voti, tum quia pars voti ignara decipitur et injuriam patitur. Qui absque dispensatione matrimonium contraxit, debet servare castitatem quantum potest; reddere igitur debitum conjugale tenetur, petere vero nequit, nisi compars sit in periculo incontinentiae vel aliter interpretative, ut aiunt, debitum exigat; prorsus abstinere tenetur si compars consentiat vel jus petendi amiserit, et post ejus mortem novum absque dispensatione matrimonium licite inire non potest umquam, quando perpetuum votum erat, vel nonnisi tempore elapso, si temporaneum. Nihilominus opinamur cum non teneri Religionem ingredi et uti bimestri pro matrimonio rato tantum concesso. Neque enim tenetur directe vi voti, quum illud non promiserit et votum non obliget ultra intentionem voventis, neque indirecte propter possibilitatem ita servandi quod Deo promisit; nam non tenetur, ut votum impleat, recurrere ad medium praeter modum difficile, et insuper valde dubia

(1) Scribunt de his canonistae ad titt. *De voto, et voti redemptione*, et *Qui clerici, vel voventes matrimonium contrahere possunt*. De casu quo votum simplex castitatis in Religione emissum ex Sedis Ap. constitutione est impedimentum matrimonii dirimens hic non agitur; de eo dictum fuit n. 515.

(2) A quo haec dari possit et qui sint ejus limites vid. n. 601, 604, 613. 639, 649.

(3) Nisi, sponsalibus initis, et voto post haec emisso, altera pars cogat ad sponsalium executionem (n. 565 init.); cf. Giovine t. 1, p. 252, n. 3. Prius tamen petatur dispensatio, quum voventi certo non liceat petere debitum.

est ejus vocatio. Culpa quidem sua moralem hanc impossibilitatem induxit, haec tamen vere existit. Huic solutioni suffragatur c. 14 *De convers. conjug.* Imo, si revera nolit de ingressu deliberare, teneri ab initio reddere debitum opinamur juxta dicta n. 517. Ex his omnibus colligitur prudentem confessarium, quum periculum peccandi soleat esse in mora, ordinarie statim curaturum dispensationis impetrationem, si detegat poenitentem emisisse votum castitatis, et sive jam contraxisse matrimonium absque dispensatione sive proxime illud contracturum (1).

560. Qui post emissum votum *ingrediendi Religionem* matrimonium absque dispensatione contrahit, graviter peccat tum propter periculum violandi voti, tum propter compartis non monitae deceptionem (n. 517). Tenetur etiam post matrimonium contractum et nondum consummatum Religionem ingredi; quare graviter peccat tam reddendo quam petendo quando primum fit consummatio. Post hanc vero potest petere et reddere; nam exequi votum nequit et nondum vovit castitatem. At si postea votum exequi valeat, ad id tenetur; per consummationem enim non extincta sed suspensa tantum fuit voti obligatio (2).

561. Qui, emisso voto *suscipiendi Ordines*, matrimonium absque dispensatione contrahit, peccat et tenetur, quando postea fieri poterit, votum exequi; existimamus tamen eum non teneri Religionem ingredi, nec peccare petendo debitum (3).

562. Qui absque voto castitatis emisit votum *non nubendi*, peccat contrahendo, sed opinamur eum posse, contracto matrimonio, non tantum reddere verum etiam petere conjugale debitum; juxta plerosque tamen, mortua comparte, aliud inire matrimonium licite nequit (4).

(1) De hoc numero dictis cf. van de Burgt, n. 297 sqq., tr. Mechl. n. 46, 65, Giovine, t. 1, p. 254, 257.

(2) De his cf. van de Burgt et tr. Mechl. ll. cc., Giovine, t. 1, p. 254 sq.

(3) Cf. van de Burgt et tr. Mechl. ll. cc., Giovine t. 1, p. 255.

(4) Cf. eosdem ll. cc.

563. Quaenam vero vis est quatuor, de quibus egimus, votorum in sponsalia contrahenda vel contracta?

Irrita sunt sponsalia contracta post emissum perpetuum ejusmodi votum; emisso autem voto temporaneo, ex. gr. castitatis vel non nubendi, valida sunt sponsalia si earum executio referatur ad finem temporis voto praestituti (n. 390).

Votum post sponsalia emissum ab utroque, vel ab uno de consensu alterius, includit renuntiationem juri sponsalitio, juxta modum voti emissi aut perpetuam aut temporaneam; sed multum decertant auctores de voto emisso absque alterius consensu, an nempe post sponsalia liceat aliquod ex praedictis votis emittere, et, posito ita esse ideoque validum esse votum, utrum sponsalia pro utroque contrahente solvantur, an vero rescindibilia tantum fiant pro non vovente (1). Imprimis quidem votum ex omni parte illicitum et invalidum dixeris, si emittatur ut altera pars illudatur, uti etiam si reparari damna aliter quam per matrimonium nequeant. His autem casibus sepositis, generatim existimamus sponsalia non omnino dissolvi per votum, sed tantum posse rescindi a non vovente, et consequenter, si is sponsalia non rescindat, pro vovente remanere eorum obligationem, ideoque hanc etiam urgere quando vovens a suo voto liberatur per

(1) Cfr. canonistae ad tit. *De sponsal. et matr.*, Passerin. *De hominum statibus et officiis*, t. 3, q. 189, art. 3, n. 46 sqq., art. 6, n. 113 sqq., S. Alph. n. 857 sq., Bus. et S. Alph. n. 869-874, Soglia § 153 sq., Bangen, tit. 1, p. 41 sq. 45 sq. 87 sq., Scavin. t. 4, n. 494-497, van de Burgt, n. 358, tr. Mechl. n. 15, Lucidi, *De visit. SS. Lim.* t. 2, n. 309, Gury et Ballerin. t. 2, n. 731, Ballerin. ib. n. 733, de Angelis t. 3, part. 1, p. 15. 178 sq., Giovine, t. 1, p. 250 sqq., qui p. 253 probat falso a pluribus allegari S. C. C. in *Bambergen. Sponsalium* 5 mart. 1701, ac si declarasset, superveniente voto simplici castitatis vel suscipiendi Ordinem sacrum, sponsalia omnino dissolvi; in hac enim causa, cujus exscribit authenticum transumptum sibi a S. C. C. secretario communicatum, actum fuisse de sponsalibus initis non ante sed post juramentum suscipiendi Ordines, et insuper mutuo consensu dissolutis antequam vir susciperet Subdiaconatum.

dispensationem, lapsum temporis voto praestituti, egressum e novitiatu cet.; praeterea voventi incumbit obligatio reparandi damna, quae altera pars ejus culpa patitur. Verum singulorum quoque votorum natura consideranda est.

564. Ingressus in Religionem, qui etiam contracto jam matrimonio rato tantum, invita licet comparte, fieri potest (n. 517 sqq.), licite vovetur et fit post sponsalia, quum his quoque subsit tacita conditio de meliori forsitan statu eligendo (1). Non vovens potest sponsalia rescindere sed, si id non faciat, pro vovente suspensa manet eorum obligatio, nec extinguitur nisi per professionem, etiam non solemnem (2). Sunt quidem qui votum profitendi Religionem ita distinguant a voto ingrediendi, ut per illud omnino dissolvi sponsalia velint. At verum id est si votum profitendi accipiatur pro ipsa professione; sed si intelligatur de professione aliquando facienda, obligatio pendet ab experimento vocationis per novitiatum, et quum solum ejusmodi votum per se non adducat praefatum statum meliorem, non potest inde deduci omnimoda sponsalium dissolutio, verum rescindibilitas tantum ex parte non voventis. Qui post sponsalia emisit votum ingrediendi Religionem, ingredi profecto tenetur, sed ut alteri parti resilire nolenti provideatur, judex ecclesiasticus voventi assignabit tempus, intra quod ingredi teneatur, et, eo elapso, dispensationem petere ac sponsalia exequi.

565. Reliqua vota existimamus non gaudere ea conditione in sponsalibus subintellecta de eligendo forsitan statu meliori (3), quum neque ex rei natura neque ex jure conditio ejusmodi probetur. Juri igitur non voventis praejudicare nequeunt, et

(1) Cf. Ben. XIV, *De syn. dioec.* l. 13, c. 12, n. 8.

(2) Scribit quidem de Angelis l. c. p. 178. coll. p. 15, certum esse per votum ingrediendae Religionis solvi sponsalia, nisi haec sint jurata; sed vid. potius Giovine l. c. p. 250 sq.

(3) De voto praesertim suscipiendi Ordines diversimode scribunt auctores; cf. de Angelis ll. cc., Scavini, t. 4, p. 496 sq., Gury ed. Ballerin. t. 2. n. 731, q. 2.

sponsalium executio tota pendet ex ejus voluntate; consequenter vota illa tantum valent quantum est in potestate voventis (1), non ultra. Opinamur itaque imprimis per votum simplex castitatis in saeculo servandae sponsalia praecedentia non dissolvi (2), sed fieri rescindibilia ex parte non voventis, si agatur de voto castitatis perpetuae vel temporis justo longioris; quodsi non vovens urgeat jus sponsalitium, voventem teneri ad executionem, voto tamen ligari in iis quae sunt in ejus potestate, nisi dispensetur (n. 559); imo judicem, cui de sponsalibus constat, posse eidem absque injustitia assignare tempus, post quod, nisi Religionem ingressus fuerit, sponsalia exequatur (3).

Vota praesertim suscipiendi Ordines sacros et non nubendi, emissa post sponsalia, varii auctores pro invalidis habent; sed intra limites supra indicatos vim habere videntur, in iis nempe solis quae sunt in potestate voventis (n. 561 sq.), non vero in praejudicium non voventis. Quamquam igitur Ordinis sacri susceptio sponsalia dissolvit, votum tamen eum suscipiendi ea tantum reddit rescindibilia ex parte sponsae; quae si jus sponsalitium urgeat, sponsus hoc exequi tenetur. De voto denique non nubendi, si includat votum castitatis, dicendum est ut de hoc ipso. Si vero istud non includat, pariter poterunt sponsalia rescindi a non vovente, nisi votum sit temporis brevissimi incommodum non afferentis. Quodsi non vovens sponsalia rescindat, vovens voto suo manet ligatus; si vero jus suum ille urgeat, exequi iste tenetur, sed post mortem conjugis juxta plerosque (n. 562) denuo obligatur voto (4).

(1) Sunt quidem qui vota illa dicant invalida, sed hoc videtur imprimis dici non posse de voto castitatis, ut satis patet ex eo quod etiam contracto matrimonio votum castitatis emittens absque consensu conjugis ligetur a parte sua seu quantum potest.

(2) Falso in contrarium allegari S. C. C. in *Bambergen.* a. 1701 vidimus p. 438 not.

(3) Cf. Ballerin. ad Gury, t. 2, n. 731.

(4) Haec omnia simul pertinent ad quaestionem. an per superveniens impedimentum mere impediens sponsalia dissolvantur, de qua diversa

CAPUT XXVI.

DE MATRIMONIIS MIXTIS.

566. Mixtum matrimonium vocatur quod contrahitur inter partes baptizatas (1), quarum una est catholica, altera vero

habent auctores citati. Rescindibilia tantum fieri censemus, non vero dissolvi, nisi propter mixtam Religionem supervenientem. Diversimode etiam scribitur de quaestione an solvantur superveniente impedimento dirimente; diversimode etiam ubi speciatim inquiritur an solvantur per matrimonium subsequens cum alio, ita ut, eo soluto, non reviviscant. De priori quaestione cfr. canonistae ad tit. *De spons. et matr.*, S. Alph. n. 857 sq., Gury et Ballerin. t. 2, n. 730, *Vindiciae Alphonsianae*, ed. Rom. p. 792 sqq., ed. Tornacen. t. 2, p. 453 sqq., Soglia § 154, Scavin. t. 4, n. 479, Bangen, tit. 1, p. 53 sq., van de Burgt, n. 349. 356, tr. Mechl. n. 11, 13, Giovine, t. 1, p. 320. Si superveniat impedimentum dirimens indispensabile, in quo scil. dispensari nequit vel non solet, certo dissolvuntur sponsalia; ei tamen, cujus culpa ortum est, incumbit obligatio reparandi damna. Inter diversas opiniones tuta etiam ea nobis est quam n. 390, 292, 409, adoptavimus, nempe quae censet sponsalia dissolvi, superveniente impedimento dirimente dispensabili, seu in quo dispensari potest et solet; eum tamen, cujus culpa ortum est, teneri alterius partis damna resarcire, ideoque dispensationem super impedimento petere, si altera pars id exigat et damna nonnisi per matrimonium reparari queant. De posteriori supra indicata quaestione cfr. canonistae l. c., S. Alph. n. 875, et q. ref. 89, Gury et Ballerin. t. 2. n. 733, *Vindiciae Alphonsianae*, ed. Rom. p. 946 sq. n. 156, Soglia § 151, Scavin. t. 4. n. 480, van de Burgt, n. 356, tr. Mechl. n. 14, Giovine l. c., *Acta S. Sedis*, t. 2, p. 257 sq., t. 3, p. 304, de Angelis t. 3, part. 1, p, 16, coll. p. 113 sq. Inter varias sententias rursus ea quoque tuta videtur quae existimat sponsalia dissolvi, ita ut, soluto matrimonio, non reviviscat eorum obligatio; quia tamen damna sunt resarcienda, ex hoc capite stricte loquendo teneri eum, qui fidem sponsalitiam violavit, hanc, soluto matrimonio, implere si altera pars id exigat et damna aliter reparari nequeant; nihilominus ob infelicem, qui solet esse, hujus rei exitum judicem ordinarie a coactione abstenturum. In praxi, altera parte juri suo non cedente, saepe providetur per dispensationem Apostolicam in sponsalibus.

(1) De dubio circa Baptismum partis acatholicae cf. n. 460 sqq.

haeretica vel schismatica. Sola spectata mixta Religione, matrimonium ejusmodi in Ecclesia universa validum est et semper fuit (1); invalidum vero si obstet impedimentum aliquod dirimens, etiamsi juris tantum ecclesiastici (n. 103, 306 sqq.). Quum autem invalidum sit quodcumque matrimonium contractum sub conditione substantiae matrimonii repugnante (2), sedulo etiam animadvertendum est ad formam, in qua matrimonium acatholicorum inter se vel mixtum initum fuit. Quamquam enim matrimonii validitati non nocet solus error matrimonii substantiae repugnans, ex. gr. quod ob adulterium aliamve ab acatholicis admissam causam vinculum dissolvatur, in pactum tamen deductus irritum efficit matrimonium (3). Pactum quoque iniquissimum prolem universam vel partem in haeresi educandi tale esse sentiunt aliqui (4), sed communissime supponitur et expresse

(1) Cf. quae scripsimus in op. *De matrimoniis mixtis*, Lovan. 1847, p. 82 sqq.

(2) Cf. n. 79, 486. In c. *Si conditiones* fin. *De conditionibus appositis in desponsatione, vel in aliis contractibus*, sic legitur : « Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta, si alter dicat alteri : contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem, aut, si pro quaestu adulterandam te tradas : matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu. Licet aliae conditiones appositae in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter ejus favorem pro non adjectis haberi. » Postrema haec verba forum externum respiciunt ; nam coram Deo irritum est matrimonium, non propter conditionis qualitatem, sed defectu consensus, si is vere fuerit conditioni, cuicumque tandem, alligatus (n. 108, 110, 397). De conditionibus appositis fuse scribunt canonistae ad tit. cit. et theologi, a quibus etiam inquiritur quomodo tria matrimonii bona, proles, fides, Sacramentum seu indissolubilitas, ad ejus substantiam pertineant, et quaenam consequenter conditiones illis contrariae invalidum reddant matrimonium.

(3) Cf. Ben. XIV, *De syn. dioec.* l. 13, c. 22, Pii VI litt. 11 jul. 1789 ad archiep. Pragensem (ap. Moser, *De imped. matr.* App. n. 14), et 11 jul. 1789 ad ep. Agriensem (Ib. n. 15), et quae scripsimus cit. op. *De matr. mixtis*, p. 169 sq.

(4) Praecipui sunt Schmier, l. 4, tr. 3, c. 5, n. 56 sqq., et Supplem

etiam docetur (1) turpe ejusmodi pactum non impedire matrimonii validitatem, quia bonum prolis, quatenus substantiale matrimonio, intelligendum est bonum physicum. Quam doctrinam, ut alibi (2), ita hic denuo indubitanter amplectimur, et in praxi matrimonium tuto haberi pro valido existimamus, pro irrito autem haberi non posse inconsulta Sede Ap. (3).

567. Graviter tamen illicitum est semperque fuit matrimonium mixtum, et mixta Religio est impedimentum impediens, imo adeo Ecclesia ejusmodi matrimonium detestatur, ut propter solum ejus periculum facilius dispenset in impedimentis etiam dirimentibus pro matrimonio ineundo inter catholicos, qui inter haereticos vel schismaticos degunt (n. 666). Jure ipso naturae seu divino prohibitum est matrimonium mixtum, quoties in individuo periculum perversionis partis catholicae vel prolis est proximum nec removeri potest. Praeterea existit universalis prohibitio Ecclesiae, perperam a nonnullis negata, cujus motiva sunt communicatio in rebus vetitis et periculum, non particulare seu hic et nunc in casu individuo existens, sed commune (4). Quo fit,

ad idem c. 5, n. 10 sqq., Schmalzgrueber, n. 150 *Qui cler. vel vov.*, Boeckhn, n. 61 sqq. *De condit. appos.*, quibus accedere videtur Franc. Mazzei, *De matrimonio personarum diversae religionis*, Rom. 1771, p. 24 sqq.

(1) Cf. Pichler. n. 131 *De spons. et matr.*, Maschat, *Institutiones canonicae* ed. Girald. n. 76 *De spons. et matr.*, Jo. Nepom. Tropper, *Tractatus duo in quibus impedimenta matrimonii... explanantur*, Monach. 1753, part. 1, p. 204, n. 126 sqq., Carr. n. 503, tr. Mechl. n. 38, Kutschker, t. 4, § 242, van de Burgt, n. 64.

(2) *De matr. mixtis*, p. 161 sqq.

(3) Semel tantum haec quaestio fuit agitata in S. C. C., nempe in *Augustana Matr.*, 24 nov. 1742 (*Thes. S. C. C.* t. 11), cujus haec sola resolutio in Thesauro legitur : « Detur resolutio a D. Secretario. » Refert quidem Perrone, *De matr. christ.*, ed. Rom. t. 2, p. 227, responsum fuisse : « Affirmative ; seu constare de nullitate ejusmodi matrimonii. » Sed quum in hac causa potissime ageretur de clandestinitate, cujus occasione responsionem illam refert Perrone, nihil ex ea potest concludi ad rem praesentem.

(4) In cit. op. *De matr. mixtis* id probavimus non tantum ex decretis

remoto periculo, cessare juris naturae et divini, non vero juris ecclesiastici prohibitionem. Neque ullibi invocari potest con-

ecclesiarum particularium Occidentis et Orientis (p. 28-64) et doctrina Patrum (p. 65 sqq.) atque auctorum (p. 70 sqq.), verum etiam ex decretis Ecclesiae universalis, Conciliorum nempe oecumenicorum et Romanorum Pontificum (p. 3-28, 57-64). Recentissima ibi memorata Sedis Ap. documenta sunt Pii VIII breve 25 mart. 1830 ad epp. Coloniensem, Trevirensem, Paderbornensem et Monasteriensem, et ad eosdem data per card. Albani Instr. 27 mart. 1830, Greg. XVI breve 27 maii 1832 ad epp. Bavariae, et iisdem transmissa per card. Bernetti Instr. 12 sept. 1834, ejusdem Pontificis breve 17 maii 1835 de articulis conventus Badensis, breve 30 apr. 1841 ad epp. Hungariae, et iisdem data per card. Lambruschini Instr. ejusdem diei, Instr. 22 maii 1841 per eumdem cardinalem data episcopis Austriacae ditionis in foederatis Germaniae partibus. His documentis adde Greg. XVI breve 25 junii 1842 ad ep. Rottemburgensem (ap. de Roskovany, *De matr. mixtis,* t. 3, Pestini 1854, p. 281 sqq.) et breve 23 maii 1846 ad archiep. Friburgensem (Ib. p. 231 sqq. et ap. Walter, *Fontes juris eccl.* Bonnae 1862, p. 597 sqq.), Pii IX per card. Antonelli Instr. 15 nov. 1858 ad omnes epp. (cf. Append. n. III sub 1); eam contra falsam interpretationem vindicavit S. C. de Prop. Fide in Instr. 25 mart. 1868 (cf. Append. n. III sub. 2), cum qua cf. S. Off. a. 1862, ap. *Collectanea... ad usum operariorum Ap.* n. 908, et in nostra Append. n. III sub. 3, SS. D. N. Leonis XIII Encycl. *Arcanum* 10 febr. 1880. De supra indicatis hujus prohibitionis motivis cf. quae scripsimus cit. op. *De matr. mixtis,* p. 57 sqq. 78 sqq. 171 sqq. De neohaereticis Germaniae, falso veterum catholicorum nomine gloriantibus, a S. Off. 17 sept. 1871 ad epp. Bavariae per card. Patrizi scriptum fuit : « Exinde laudantur praefati Antistites tum ex eo, quod hujusmodi haereticos a patrini munere in baptismo et confirmatione rejiciendos esse declaraverint, tum magis quia eosdem nuptiis catholico ritu celebrandis non esse admittendos sanxerunt, nisi praemissis monitionibus et hortationibus ad effectum eos removendi ab haeresi, et nisi edocta in singulis casibus Curia Archiepiscopali vel Episcopali ejusque instructionibus expectatis. Illud etiam adjici potest, quod si contingat, ut una pars catholica et altera in praedicta haeresi obfirmata nuptias contrahere velit, Episcopi praevio Parochorum recursu, ut supra, se gerant ad formam instructionis diei 12 Septembris 1834, adimpletis omnibus conditionibus, monitionibus et cautionibus in eadem instructione expressis. Quodsi demum duo neohaeretici nuptias coram Parocho Catholico inire praesumpserint, ac necessariae monitiones hortationesque iis faciendae in irritum cesserint, reliquum est, ut se confor-

traria consuetudo, sed corruptela haec dici debet. Non pauci auctores, praesertim in Germania, eam olim invocabant pro locis ubi haeretici vivunt mixti cum catholicis, dummodo periculum perversionis abesset, et parem inter catholicos facile invenire nupturiens non posset; imo S. Alphonsus (1) hanc opinionem dicit valde probabilem, sed post tot et tam diserta Sedis Ap. documenta hodie probabilis dici nequit. Neque invocari posse coactam tolerantiam, qua S. Sedes ad majora cavenda mala interdum uti debuit ac debet, non solum patet ex canonicis de coacta ejusmodi tolerantia principiis, verum etiam saepius ipsi Pontifices edixerunt (2). Imo sponsalia cum acatholico ante dispensationem inita sunt invalida (3), nisi eorum executio fuerit remissa ad tempus quo acatholicus fidem catholicam susceperit (n. 390); invaliditatem autem non praecaveri existimamus per conditionem obtinendae dispensationis (n. 394). Damna quidem, quae aliunde pars acatholica culpa catholicae patitur, reparari

ment instructioni Sacrae Poenitentiariae, quae rogata quomodo se gerere debeat Parochus in celebratione matrimonii illorum, qui censuris sunt notorie innodati, die 10 Decembris 1860 respondit = Curandum (ut supra n. 277)... celebratione. »

(1) De Sacr. in gen. n. 56.

(2) Vid. quae attulimus op. cit. *De matr. mixtis*, p. 177 sqq.

(3) Cf. Gutierrez, *Canonicarum quaestionum* l. 3 seu *Tract. de matr.* c. 104, n. 9, card. Petra, Comment. ad const. 12 Joannis XXII, n. 6. (*Commentaria ad Constitt. Apostolicas* t. 4), Pichler, n. 26 *De spons. et matr.*, Bangen tit. 1, p. 42 sqq., tit. 4, p. 9,26 sqq., Kenrick, tr. 21, n. 5, Scavin. t. 4, n. 458 sub 6, Knopp, p. 236, tr. Mechl. n. 9, Giovine, t. 1, p. 304. Pro sponsalium ejusmodi validitate argumentum duci nequit ex S. Rota in *Monasterien.* 5 dec. 1696, cujus mentio est ap. card. Petra l. c. n. 11, de Roskovany, op. cit. t. 1, § 35, t. 2, p. 35, Kutschker, t. 2, § 77. Actum de hac quaestione fuit a S. C. C. in una *Dubia sponsalium* 22 sept. 17 nov. 1725 (*Thes. S. C. C.* t. 3), sed ex S. C. C. resolutione : « Ad D. Secretarium *juxta mentem* » nihil potest concludi, et prorsus non perspicitur cur de Roskovany, Kutschker, alii, scribere potuerint mentem aperte fuisse pro validitate; e contra secretarius (Prosper Lambertini) manifesto favebat invaliditati.

debent, sed eorum reparatio non obligat ad matrimonium contrahendum.

568. Falso tamen aliqui contenderunt licitum numquam fieri posse matrimonium mixtum (1). Omne quidem periculum vix potest averti, sed removeri potest per cautelas mox indicandas, quae si adhibeantur, solae quidem absque dispensatione minime sufficiunt (2), sufficiunt vero una cum dispensatione Sedis Ap., cui soli competit propter prohibitionis universalitatem (n. 612 sq.). Conditiones autem, quas Sedes Ap. semper apponit, et ab episcopis, quibus dispensandi facultatem concesserit, apponi jubet, eo tendunt, ut periculum, quantum fieri potest, removeatur, scil. 1° ut pars acatholica promittat liberum futurum parti catholicae Religionis exercitium. Modus id promittendi varius observatur pro variis temporum, locorum, personarum adjunctis, ex. gr. juramentum, scriptura vel alius satis certus pollicendi modus, testiumque adhibitio. Interdum etiam pars catholica debebat jurare vel saltem firmiter promittere, scripto nonnumquam vel testibus adhibitis, se numquam apostaturam a fide catholica. 2° Ut pars catholica pro viribus procuret compartis conversionem. 3° Ut proles universa catholice instituatur. Praecipuae huic cautelae, quam fortiter semper ursit et urget Ecclesia, satisfieri solet per promissionem juratam et scripto mandatam signato a partibus vel parte acatholica et testibus, aliquando propter difficiles circumstantias per solam promissionem partis aut utriusque aut acatholicae. Numquam posse has cautiones, ac praecipue quidem primam et tertiam, praetermitti tum documenta Pontificia (n. 567) tum recta ratio manifestant (3). Imo inter quae-

(1) Contra quos vide quae notavimus cit. op. *De matr. mixtis*, p. 205 sqq.

(2) Cf. ib. p. 216 sq., *Revue cath.* t. 5, p. 200 sqq., Binterim, *Dissertatio altera*, Dusseldorpii, 1847, p. 44 sqq.

(3) Cf. etiam quae scripsimus cit. op. p. 211 sqq. coll. p. 168 sq. Huc maxime spectat sequens S. Off. responsio ad dubia ex aliqua Germaniae dioecesi proposita, quam cum levi in nonnullis verbis discrimine refert

stiones ante Conc. Vaticanum episcopis transmissas 6 junii 1867 haec erat n. 4 : « Pluribus in locis, ubi haereses impune gras-

etiam Binterim, *An matrimonio mixto* cet. Dusseldorpii 1846, p. 33 sq. « In dioecesi nostra lege civili praescriptum est : 1° Ne sponsi mixtae Religionis quidquam de Religione futurae prolis statuant, et si quid statuerint, lege illa id irritum declaratur; 2° Deinde eadem lege civili sancitum est, ut liberi in Religione patris educentur, et iisdem nonnisi XIV aetatis anno peracto optio datur, vel permanendi in Religione patris, vel transeundi ad Religionem matris; si proin pater est acatholicus, proles a ministello protestantico baptizatur, et deinceps in institutione Religionis, erroribus protestantium instituitur ; ad utrumque parentes, licet fors inviti, vi adiguntur. His positis quaeritur : 1° Utrum matrimonio mixto, si vir acatholicus sit, apud nos parochus benedictionem impertiri licite possit, si sponsi, non obstante lege civili mox allata, promittunt se prolem futuram in Religione catholica educaturos? 2° Quibusnam censuris ecclesiasticis pars catholica subjicienda sit, si ipsius culpa promissio parocho facta de liberis catholice educandis non impleatur? 3° Quidnam episcopo et parochis faciendum, si forte pars catholica ante annum XIV aetatis liberorum moriatur, et proinde promissis suis stare non possit? 4° Quid de matrimonio judicandum quod sponsi mixtae religionis, ad quod parochus catholicus propter defectum cautionis opportunae de catholica educatione prolis, illud benedicere, aut litteras dimissoriales dare recusavit, coram ministello protestantico contraxere? Numquid mulier hic ubi conc. Trid. est receptum, concubina erit habenda? Et si ita, quibus sub conditionibus Ecclesiae poterit reconciliari ejusque matrimonium revalidari? 5° Quid accurate et strictissime sumpta significat : cautio opportuna? Feria V, loco IV, 30 junii 1842. SS^mus^ D. N. D. Greg. Div. Prov. PP. XVI in solita audientia R. P. Assessori S. Off. impertita, audita solutione praefatorum dubiorum, una cum Emin. et RR. Card. generalium Inquisitorum suffragiis, rescribi mandavit : Ad 1. Negative. Ad 2. Prudentiae Episcopi id esse commissum, qui habita ratione adjunctorum omnium poterit urgere executionem meliori modo, quo expedire ei videbitur. Ad 3. Episcopis et parochis hujusmodi filios remanere commendatos, qui satagere debent pro viribus ut catholica fide imbuantur. Ad 4. Quoad primam et secundam partem recurrat in casibus particularibus. Ad 5. Talem promissionem quae, in pactum deducta, praebeat morale fundamentum de veritate executionis, ita ut prudenter ejusmodi executio expectari possit. Angelus Argenti, S. Rom. et Unlis Inq. Notarius. » De vario modo cautelas hoc nostro numero indicatas adhibendi cf. de Angelis, t. 3. part. 1, p. 69 sq., Planchard ap. *Nouv. rev. th.* t. 15, p. 576 (580) sq.

santur, mixta connubia ex Summi Pontificis dispensatione quandoque permittuntur, sub expressa tamen conditione de praemittendis necessariis opportunisque cautionibus, iis praesertim, quae naturali ac divino jure in hisce connubiis requiruntur. Minime dubitari fas est, quin locorum Ordinarii ab hujusmodi contrahendis nuptiis fideles avertant ac deterreant, et tandem, si graves adsint rationes, in exequenda Apostolica facultate dispensandi super mixtae Religionis impedimento, omni cura studioque advigilent, ut dictae conditiones, sicuti par est, in tuto ponantur. At enimvero postquam promissae fuerint, sanctene diligenterque adimpleri solent, et quibusnam mediis posset praecaveri, ne quis a datis cautionibus servandis temere se subducat? »

569. Multam solet angustiam afferre mixti matrimonii meundi propositum. Omni meliori modo, christiana tamen charitate ac suavitate, in omni patientia et doctrina, avertere suos ab iis debent Ordinarii, parochi et confessarii. Quodsi in proposito persistatur, et pateat non commune tantum sed et proximum, quod removeri nequeat, periculum in casu individuo existere, vel si sufficiens petendae dispensationis causa allegari nequeat (in dubio adeundus Ordinarius), vel absque dispensatione vel necessariis cautionibus matrimonium contrahi intendatur, vel si dispensationem petiturus et cautionibus satisfacturus poenitens nolit abstinere a frequenti conversatione tali, quae sive aliunde sit culpabilis sive inanem sit redditura spem propositi dimittendi casu quo denegetur dispensatio, absolutionis quidem beneficium est poenitenti negandum, non tamen projicienda sed potius augenda cura et sollicitudo de misero ejus statu (1).

570. Quando absque dispensatione vel omissis necessariis cautionibus earumve aliqua matrimonium contrahere volunt, nullatenus cooperari potest parochus sive proclamando sive dando literas dimissoriales sive assistendo. In tristibus tamen aliquarum

(1) Cf. op. nostr. cit. p. 226 sqq. 183 sqq., Bangen, tit. 4, p. 26 sq.

regionum circumstantiis ad majora praecavenda mala coactam tolerantiam interdum adhibuit et adhibet Sedes Ap. Ita ex. gr. ne coram magistratu civili vel ministro haeretico invalide ineatur matrimonium, tolerat in diversis Germaniae partibus parochi assistentiam passivam seu meram una cum testibus praesentiam, immo, sed rarius, proclamationes etiam, tacita tamen acatholici Religione, et literas dimissoriales prudenter et absque ullo approbationis signo conceptas, nonnumquam assistentiam passivam et dimissoriales, non vero proclamationes. Ita etiam propter difficiles regionis circumstantias, non obstante matrimonii mixti clandestini in ea valore, aliqua hujusmodi coacta tolerantia adhibetur sive circa assistentiam passivam sive circa proclamationes et dimissoriales. Verumtamen hujusmodi quaevis tolerantia nec licitum reddit matrimonium neque invocari potest in aliis regionibus, pro quibus de ea non constat ex Sedis Ap. declaratione (1).

571. Quoties matrimonium mixtum, obtenta dispensatione et praestitis cautionibus, licite initur, assistere potest parochus sive per se sive per alium, assistentia tamen passiva tantum seu mera cum testibus praesentia, extra locum sacrum, absque sacris vestibus ullove ritu sacro, absque proclamationibus, relato tamen dein matrimonio in libro parochiali (2). Has autem conditiones,

(1) Cf. n. 567, op. nostr. cit. p. 178 sqq. 187 sqq., Planchard, ap. *Nouv. rev. th.* t. 15, p. 509 (513) sqq.

(2) Plura hac de re citatis documentis diximus op. cit. p. 230 sqq., *Rev. cath.* t. 5, p. 133 sqq. 202 sqq. 616 sqq., *De nuptiarum benedictione*, Amstelod. 1848, c. 2 et 3. Vide etiam S. Off. 24 nov. 1835, 25 jul. 1838, 28 aug. 1839 (ap. *Mel. théol.* ser. 2, p. 313), cit. breve Greg. XVI ad ep. Rottenburgensem et breve ad archiep. Friburgensem. Pii IX cit. Instr. a. 1858 et S. C. de Prop. Fide Instr. a. 1868. Quod attinet ad loca, in quibus matrimonium mixtum clandestinum valet et ex lege civili praecedere debet actus coram civili magistratu praestandus, primo intuitu videri posset passiva parochi post actum civilem assistentia neque necessaria neque utilis. Non necessaria, quia supponitur ibi consensus mutuus jam praestitus coram civili magistratu. Non utilis, quum videatur menti Ecclesiae in eo etiam sic satisfieri, quod mixto matrimonio licito tantum prae-

nempe ut mixta matrimonia extra ecclesiam, et sine parochi benedictione aliove sacro ritu contrahantur, Pius IX in cit. Instr. a. 1858 diserte declaravit eo potissimum spectare, ut in catholicorum animis numquam obliteretur memoria tum canonum istiusmodi mixta matrimonia detestantium, tum constantissimi studii quo Ecclesia numquam destitit filios suos avertere ac deterrere ab iis in eorum et futurae prolis perniciem contrahendis; eas autem debere exprimi in omni episcopis concedenda facultate dispensandi in matrimonio mixto, semperque subintelligi si forte in aliquo ejusmodi indulto expressae non fuerint.

Abstinendum itaque est ab assistentia activa, id est, nullus actus religiosus adhiberi potest, non benedictio nuptialis proprie dicta seu solemnis (n. 554), non benedictio simplex seu non solemnis quae continetur verbis *Ego conjungo vos* cet. (S. Off. cit.

stetur quantum ejus validitas postulat. Imo consultius forsitan ita fieri videri potest, quia si moneantur partes, vel saltem pars catholica, ne verum consensum mutuum coram civili magistratu praestent, sed eum differant donec coram parocho se sistant, facile timendum est, ne pars acatholica post aditum civilem magistratum aut renuat catholicum sacerdotem adire, aut exigat ut haereticus quoque ministellus adeatur; in utroque autem hoc casu maxima parti catholicae difficultas oriretur, quae avertitur si sinantur coram civili magistratu mutuum emittere consensum. Verumtamen praeterquam quod fieri quandoque potest partem catholicam revera consensum matrimonialem non praestare coram magistratu, obstat matrimonium ipsum etiam in locis non subjectis decreto *Tametsi* illicite aliter contrahi quam coram sacerdote catholico (cf. cap. ult.). Attentis itaque principiis, generatim videtur dicendum, in praefatis etiam locis matrimonium mixtum licitum ita esse contrahendum, ut coram civili magistratu non praestetur ipse consensus matrimonialis, sed is post civilem ceremoniam praestetur coram parocho, atque ea de re pars saltem catholica moneatur. Si tamen constet mutuum consensum matrimonialem revera jam fuisse praestitum coram magistratu, sinendum non videtur ut iterum emittatur coram parocho (n. 202, 305). Eo igitur casu nihil amplius coram parocho faciendum remanet, nisi is pia allocutione nuptos exhortari velit, vel nisi in casibus, in quibus activa quaedam assistentia indulta fuerit juxta dicenda n. 572, aliquid ad hanc spectans, non tamen nova mutui consensus expressio, supplendum existimetur.

rescr. 24 nov. 1855), non benedictio annuli, nullae preces cet. Generalis praeterea norma est ut parochus nihil dicat, nihil agat, sed mere sit praesens una cum testibus et audiat mutuum partium consensum, ut fit in Belgio. Per se tamen prohibitum non est neque activam assistentiam constituit, ut, quemadmodum fit in Gallia et America septemtrionali, interrogentur prius de consensu atque ita iste recipiatur. Hoc itaque pendet ex tenore dispensationis et statutis usuve dioecesis; monitio etiam de vinculo cet. per se non est prohibita (1). Neque assistere licet in loco sacro, cujusmodi tamen per se non est sacristia, unde in nonnullis regionibus, ut in Gallia, excipitur consensus in sacristia, in aliis vero, ut in Belgio et Hollandia, in alio loco omnino profano sed decenti, qui quidem modus, nisi contrarium ferant statuta vel usus dioecesis, est praeferendus (2). Vestes sacrae sunt prohibitae, sed eo nomine non venit habitus talaris nec solitae vestes cardinalitiae vel episcopales. Quamquam dari possunt literae dimissoriales et testimoniales prudenter conceptae, proclamationes tamen sunt prohibitae (3).

(1) Cf. Kenrick, tr. 21, n. 163.

(2) Cf. Kenrick, l. c.

(3) In conc. prov. Burdigalensi a. 1850 haec leguntur : « Volumus autem bannorum proclamationes ante istiusmodi matrimonia fieri, » et in nota citantur conc. prov. Baltimorense VI a. 1846 et resp. S. C. de Prop. Fide 3 jul. 1847. Revera in hoc responso ita legebatur : « Inter decreta Concilii unum invenitur, quod ad proclamationes matrimonio praemittendas spectat, et recte ac laudabiliter Patres statuerunt. legis istius observantiam esse praescribendam, quam Ecclesia saepenumero commendavit et Episcoporum assidua vigilantia urgendam curavit; siquidem hoc remedium efficacissimum est, ut malis, quae orirentur ex matrimoniis nimis praecipitanter vel cum existentia alicujus impedimenti contractis succurri possit. Constat enim hanc legem ea de causa fuisse praescriptam, ut scandalis occasio praecluderetur, et consuleretur legum ab Ecclesia de matrimonio conditarum custodiae ac sanctitati. Quapropter, cum cautelae loco et veluti prudentiae remedium haec bannorum publicatio haberi debeat, nulla ratio satis firma videtur obesse, quominus proclamationes, etiam quando agitur de matrimoniis mixtis, fiant; quae

372. Quamquam ea est regula ecclesiastica pro celebrando matrimonio mixto licito, nihilominus debuit S. Sedes in nonnullis

tamen matrimonia nullo adhibito religioso ritu celebrari oportet. » Quamquam haec verba eo usque datis a Sede Ap. documentis contraria erant, ab eo tamen inde tempore tum cit. conc. prov. Burdigalense, licet Romae revisum, tum varii auctores proclamationes fieri posse dixerunt. Inter hos quidem iis, quae in cit. op. *De matr. mixtis* p. 242 sq. scripsimus, contradicendum putavit Heiss, op. cit. p. 66, coll. p. 267, sed ibi a se dicta deinde retractavit in eodem opere inter Errata p. 414. Notat enim p. 414 et inter *Addenda* post p. 424, declarasse secretarium S. C. de Prop. Fide mendum irrepsisse in praedictas ejusdem S. C. literas. Id autem his verbis nuntiatur in ed. 2 Excerpt. ex Rit. Rom. approbata ab archiep. Baltimorensi : « In incundis istiusmodi nuptiis, Ecclesia ea generatim omittenda indixit, per quae Catholicorum matrimonia decorantur, inclusis etiam proclamationibus. Quod autem, ex occasione decreti tertii Concilii Prov. Baltimorensis VI, a S. Congr. P. F. rescriptum fuisse legitur, nempe ut fiant proclamationes etiam quando agitur de matrimoniis mixtis, id in epistolam amanuensis incuria, mendose irrepsisse declaravit ejusdem S. Congr. Secretarius. » Sed postea emanarunt rescripta sequentia. In cit. litt. S. Off. a. 1862 legitur : « Improbandam minime esse Missionariorum praxim qua, ad detegendam Haereticorum fraudem qui, rejecta propria uxore, cum Catholica muliere copulari praesumerent, inter alias investigationes, banna illorum publicantur, nulla tamen facta mentione religionis illorum qui nuptias sint contracturi. » S. Off. fer. 4, 11 maii 1864 episcopo Natchetensi rescripsit : « posse fieri proclamationes in mixtis nuptiis, quae Aplica dispensatione contrahuntur, suppressa tamen mentione religionis contrahentium : » ex litt. card. Antonelli 28 febr. 1874 ad archiep. Oregonen. ap. Konings t. 2, p. 394. S. Off. 15 sept. 1865 ad card. archiep. Westmonasterien. : « Posse extendi ad dioeceses Angliae responsionem jam datam Episcopo Natchetensi sub feria IV die 11 Maii 1864 : » ex litt. S. C. de P. F. 19 sept. 1865, relatis a Planchard ap. *Nouv. rev. th.* t. 15, p. 591 (595) sq. S. C. de P. F., dum mense maio a. 1871 ad examen revocavit Acta et Decreta Conc. Prov. Smyrnensis, decrevit : « proclamationes quae in Matrimoniis praemittuntur, non fiant in mixtis connubiis, nisi quando necessariae et opportunae videantur judicio Ordinarii pro detegendis impedimentis, et omissa mentione religionis eorum, qui nuptias sint contracturi ; » ex citt. litt. card. Antonelli 28 febr. 1874. Hoc eodem tenore, mutatis tantum verbis *necessariae et opportunae* in verba *necessariae vel opportunae*, prodiit ejusdem concilii a. 1869, sect. 2, c. 5, n. 5, *Collect. Lacen.* t. 6, col. 568. Card.

regionibus, ex gr. per totam ferme Germaniam, tolerare et porro tolerat, ut assistentia activa, sine tamen benedictione solemni, praestetur matrimonio mixto licito, et proclamationes etiam fiant, sed reticita Religione partis acatholicae. Quod quidem facile intelligitur, quia pro illicitis matrimoniis passivam assistentiam ibi tolerare debuit (n. 570), et consequenter obedientia legibus Ecclesiae praestita priorem illam tolerantiam jure veluti merebatur. In aliis tamen regionibus invocari haec tolerantia nequit (1). Verum Pius IX in cit. Instr. a. 1858 omnes quidem

Franchi, Praefectus S. C. de P. F., his verbis rescripsit 28 sept. 1874 ad archiep. Oregonen. : « Post ea, quae sub die 28 febr. proxime elapsi Amplitudini Tuae S. haec Congr. scribebat de authenticitate litterarum ejusdem S. Concilii dici 3 julii 1847, in eo quod pertinet ad proclamationes in Matrimoniis mixtis iterum postulasti, quomodo id componi queat cum Nota quae prostat in Rituali Baltimorae impresso an. 1866 p. 189. Sed res facile explicabitur, si animadvertas eam Notam Rituali affixam fuisse inscia S. hac Cgne... Addam quoque in praefatis litteris haud legi simpliciter, ceu Nota refert = ut fiant proclamationes etiam quando agitur de Matrimoniis mixtis = quae verba absolutum praeceptum continerent, sed = cum cautelae loco et veluti prudentiale remedium haec bannorum publicatio haberi debeat, *nulla ratio satis firma obesse videtur*, quominus proclamationes etiam quando agitur de Matrimoniis mixtis fiant =. Ex quo patet Notam duplici ex capite esse rejiciendam. Omni igitur cunctatione deposita teneas quod pridem Tibi significatum fuit, posse nimirum fieri proclamationes in mixtis etiam connubiis, quae praevia Ecclesiae venia contrahuntur, suppressa tamen mentione religionis conjugum, at solum quando ad detegenda, si quae sint, impedimenta, eas necessarias atque opportunas esse Ordinarius in Domino censuerit; » ap. Konings l. c. Idem card. Praefectus 30 januar. 1875 scripsit ad archiep. Baltimoren. : « Certum est S. Sedem hisce postremis temporibus declarasse *posse fieri proclamationes in mixtis nuptiis, quae Apostolica dispensatione contrahuntur;* » ap. Konings ib. Hodie igitur ubique licere dicendum est, sed non absolute, verum si ad detegenda impedimenta necessarium et opportunum judicet Ordinarius. Recessit quidem S. Sedes a praxi prius a se servata, non tamen absolute, sed sub modo indicata restrictione. Consonant itaque literae card. Antonelli et card. Franchi cum citt. Instructionibus a. 1858 et 1868. Cf. de Angelis t. 3, part. 1, p. 71.

(1) Cf. quae scripsimus op. cit. p. 239 sqq., et vid. Greg. XVI cit. breve ad ep. Rottemburgensem, et breve ad archiep. Friburgensem.

episcopos adhortatur ut numquam desistant omni cura studioque advigilare ut sedulo impleantur conditiones de mixtis matrimoniis etiam licitis extra ecclesiam et absque parochi benedictione alioque ecclesiastico ritu celebrandis, sed immediate haec verba subjungit : « Quodsi in aliquibus locis sacrorum Antistites cognoverint, easdem conditiones impleri haud posse, quin graviora exinde oriantur damna ac mala, in hoc casu tantum Sanctitas Sua ad hujusmodi majora damna ac mala vitanda, prudenti eorumdem sacrorum Antistitum arbitrio committit, ut ipsi, salvis firmisque semper ac perdiligenter servatis cautionibus de perversionis periculo amovendo a conjuge catholico, de conversione acatholici conjugis ab ipso conjuge catholico pro viribus procuranda, deque universa utriusque sexus prole in sanctitate Catholicae Religionis omnino educanda, judicent quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra ecclesiam, et absque parochi benedictione impleri minime possint, et quando in promiscuis hisce conjugiis ineundis tolerari queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in dioecesano Rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper Missae celebratione, ac diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum ac personarum adjunctis, atque onerata ipsorum Antistitum conscientia super omnium circumstantiarum veritate, et gravitate. Summopere autem exoptat Sanctitas Sua ut iidem sacrorum Antistites hujusmodi indulgentiam, seu potius tolerantiam eorum arbitrio, et conscientiae omnino commissam, majori, quo fieri potest, silentio, ac secreto servent. » Ipsa haec verba indicant arctos hujusmodi indulgentiae seu potius tolerantiae limites. Attamen S. C. de Prop. Fide notitiam deinde accepit nonnullis in locis Instructionem illam tum in hac tum in aliis suis partibus non recte intelligi, sed potius ad erroneum sensum ejus literae ac spiritui contrarium detorqueri, et ad nimiam trahi indulgentiam, ac si Pius IX principiis, quae semper S. Sedes circa mixta conjugia tenuit ac docuit, aliquo modo derogasset. Quare eadem

S. C. in cit. Instr. a. 1868 (cum qua cf. cit. litt. S. Off. a. 1862), principiis illis in memoriam revocatis, necesse duxit ostendere Instructionis a. 1858 cum iis conformitatem, et de praefata in re praesenti indulgentia seu potius tolerantia haec expresse declarare : « Quodsi aliquando in memorata Instructione mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in dioecesano Rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper Missae celebratione, in mixtis conjugiis contrahendis tolerari posse perhibetur, id tamen nonnisi per modum exceptionis indulgetur, ac sub conditione, *ut omnia rerum, locorum ac personarum adjuncta diligentissime perpendantur, atque onerata Episcoporum conscientia super omnium circumstantiarum veritate ac gravitate.* Tantum abest ut inibi principiis, quae Sedes Ap. circa mixta connubia quovis tempore professa est, vel minimum detrahatur. » Ex his omnibus colligitur etiam in ipso aliquo hujusmodi exceptionis casu numquam esse locum celebrationi Missae et benedictioni solemni, sed aliis tantum assistentiae seu cooperationis activae partibus, ex. gr. formulae *Ego conjungo vos*, proclamationibus reticita secundum regulas Religione nupturientium juxta dicta p. 452 sq. in nota.

In citt. litt. S. Off. a. 1862 haec quoque de explicatione cit. Instr. a. 1858 verba habentur : « Et primo quidem quid intelligendum sit sciscitaris per verba quibus in laudata Instructione innititur et quasi ligatur facultas seu tolerantia benedicendi mixta matrimonia, scilicet ad vitanda graviora mala et damna. Procul dubio graviora inde oriuntur mala et damna : 1. Quotiescumque ob denegatam matrimoniis mixtis benedictionem, facile excitarentur Haereticorum querimoniae et odia adversus fideles legesque Ecclesiasticas. 2. Quotiescumque, denegata a Parocho catholico benedictione, sponsi, ante vel post coram illo celebratum matrimonium, Ministellum adeant, vel etiam in Heterodoxorum templum conveniant ad sacrilegam benedictionem obtinendam, Parocho Catholico omnino posthabito. 3. Quotiescumque insuper timendum

esset quod, recusata ab ipsis expetita benedictione, aut non servarentur necessariae cautiones de amovendo a conjuge Catholico perversionis periculo, et de universa prole in Catholica Religione educanda, aut, quod detestabilius foret, ne pars Catholica ad Haereticorum castra in sui et futurae prolis aeternam perniciem transiret. Evidenter haec et similia sunt gravia illa damna ac mala ad quae vitanda Summus Pontifex indulgere, seu tolerarè posse declaravit ut in matrimoniis mixtis nuptialis impertiretur benedictio. Per haec igitur facilis Vicariis ap. omnibus ac recta sese offert Instructionis interpretatio et praxis... Quae tertio loco te anxium reddebant circa silentium ac secretum in laudata Instructione quoad posse inculcatum, non ita presse intelligenda videntur ut nemini innotescat haec S. Sedis indulgentia, seu potius tolerantia, in benedicendis mixtis nuptiis. Etenim scias oportet quod Sanctitas Sua monitos esse voluit Praesules, ut non passim et absque delectu matrimoniis mixtis benedictio impertiatur; nec per publicas instructiones, veluti etiam per modum regulae, tali utantur facultate, sed prudenter admodum et caute, ut oblivioni non tradantur saluberrimae Ecclesiae conditiones, quae semper implicite talibus dispensationibus adjunctae intelliguntur... Ex dictis igitur tibi caeterisque Vicariis apostolicis certa proponitur norma ad recte interpretanda, et ad praxim reclucenda ea quae de benedictione mixtis nuptiis danda traduntur in Instructione Cardinalis Antonelli. » Alia nonnulla dubia ibidem resoluta habentur.

573. De officio parochi vel confessarii post illicite contractum matrimonium mixtum sive validum sive invalidum, vel si post licite contractum cautionibus praestitis non satisfiat, summatim haec observentur (1).

Illicite et invalide contracto matrimonio mixto, aliud remedium ordinarie non suppetit quam ut, prius tamen obtenta

(1) Plura scripsimus *De matr. mixtis*, p. 198 sqq. 246 sq.

dispensatione in impedimento mixtae religionis, validetur. Sed a validatione abstinendum est, quando aut obtineri nequeunt necessariae cautelae, aut propter circumstantias praeferenda est omnimoda dissociatio, aut praevidetur civile divortium (vid. c. 29). Partem catholicam ad Sacramenta admitti non posse, nisi aut validato matrimonio et servatis praescriptis conditionibus, aut omnimoda separatione facta, per se liquet.

Si vero illicite quidem, valide tamen, contractum matrimonium fuerit, tum quoque scandali reparatio necessaria est, quae ut plurimum, ut in priori casu, ex Sacramentorum participatione, vitae integritate et bona prolis educatione habebitur. Allaborandum itaque in hoc etiam casu ut ad saniorem mentem pars catholica redeat, poeniteat se eo modo nuptias ejusmodi inivisse, prolis catholicam institutionem curare sit parata et, nata jam prole, revera curet, ac praeterea, quantum fieri poterit, compartis conversioni opportunam operam impendere velit. Magna in his omnibus opus est erga partem catholicam sollicitudine, charitate et suavitate, ut ita disposita Sacramentorum particeps effici queat. Ut autem in matrimonio illicite sed valide contracto persistatur, praeterea oportet recurrere ad episcopum, qui cautiones necessarias praestari curet (1), estque iste recursus simul optimum poenitentis animi indicium. Interdum tamen ob circumstantias sola partis catholicae poenitentia et recta, maxime quoad prolem instituendam, dispositione res componenda erit.

Majorem saepe tam in hoc casu quam in casu licite et valide contracti matrimonii angustiam affert neglecta prolem catholice instituendi conditio. In qua implenda si pars catholica deficiat, nec faciat quod vere potest, absolutionis beneficio frui nequit, immo in casu publico publicis peccatoribus est annumeranda. Severius praesertim cum patre catholico procedendum est. Quando

(1) Vid. S. Off. fer. IV, 12 mart. 1881, ap. Konings, t. 2, p. 425 sq., *Nouv. rev. th* t. 15, p 121 (125) sq.

tamen ejusmodi sunt circumstantiae ut patria sua potestate revera cogere nequeat, faciat autem quod moraliter potest, et populo illae sint notae, in raro ejusmodi casu non erit a Sacramentorum participatione repellendus; si vero populo sint ignotae, Sacramenti Poenitentiae particeps esse poterit, eique suaderi ut alibi ad S. Communionem accedat vel privatim haec ei administrari. Attamen propter jus patriae potestatis rarior iste casus erit, quum regulariter ea pater uti possit et desidiae potius ejus agendi ratio adscribi debeat (1).

574. Ministrum haereticum adire, lege ita jubente, nupturientibus licet, si mere civilem magistratum agat; sed eum adire tamquam ministrum religiosum est illicita cum haereticis in divinis communicatio et mortale peccatum (2). Pars igitur catho-

(1) Cf. Konings, n. 1598, q. 7.

(2) De iis qui adiverunt vel adituri sunt ministrum haereticum cf. Perrone, *De matr. christ.* ed. Rom. t. 2, p. 290 sqq., van de Burgt, n. 308. Kutschker, t. 4, p. 794 sq., Kenrick, n. 198 sq., Heiss § 75, Aich ap. von Moy et Vering, *Archiv,* t. 14, p. 343 sq., Aichner § 177, Planchard ap. *Nouv. rev. th.* t. 15, p. 593 (597) sqq., conc. prov. Baltimorense VII a 1849, coll. conc. plenar. Baltimorensi I a. 1852. conc. plenar. Baltimor. II a. 1866, tit. 5, c. 9, n. 337 sq.; praesertim vero S. Off. 29 nov. 1672 (*Collect. ... ad usum operariorum Ap.*. n. 1031), S. Off. Instr. 17 febr. 1864, data episcopis regni Hannoverani, ap. von Moy et Vering, *Archiv,* t. 15, p. 332, sqq., *Acta S. Sedis* t. 16 p. 207 sq. et plenius in S. Off. resc. 27 mart. 1878, quod est ap. *Nouv. rev. th.* t. 15, p. 122 (126) sqq., Planchard p. 288 sqq., S. Off. in *Treviren.* 21 apr. 1847 (ap. Binterim, *Dissertatio altera,* cet. Dusseldorpii 1847, p. 65, coll. cit. Instr. a. 1864), et citt. litt. S. Off. a. 1862. Praefata S. Off. instr. a. 1864 aliis quoque fuit communicata per cit. S. Off. resc. 27 mart. 1878. Propositum fuerat : » Quaesit. Indulta ut plurimum sequentem clausulam expresse ferunt : = dummodo neque ante neque post matrimonium initum coram parocho catholico sponsi adeant ministrum acatholicum : = in quibusdam tamen, et insuper in rescriptis ad casum particularem concessis solum dicitur : = dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia praescriptis, ac servatis servandis in similibus. = Quaeritur an in casibus quibusdam, ex timore majoris mali imminentis, scilicet contractus coram solo ministro acatholico ineundi, possit Episcopus, vel, dispensatione jam concessa,

lica, quae id committere intendit vel jam commisit, absolutionis beneficio indigna est, nisi poeniteat; de parochi vero agendi ratione sequentia pro utroque casu sunt notanda.

Quod in causa Vicariatus Ap. Luxemburgensis 22 januar. 1851 respondisse fertur S. Off., non teneri parochum inquirere circa ejusmodi intentionem, si timeat vel praevideat eos etiam ministrum acatholicum tamquam ministrum religiosum adituros (1), hoc idem in cit. Instr. a. 1864 accuratius sic exponitur : « Verumtamen ad gravia praecavenda mala si in aliquo peculiari casu parochus non fuerit interpellatus a sponsis an liceat nec ne adire ministrum haereticum : et nulla fiat ab iisdem sponsis explicita declaratio de adeundo ministrum haereticum, praevideat tamen eos forsan adituros ad matrimonialem renovandum consensum, ac insuper ex adjunctis in casu concurrentibus praevideat monitionem certo non fore profuturam, imo nocituram, indeque peccatum materiale in formalem culpam vertendum, tum sileat, remoto tamen scandalo, et dummodo aliae ab Ecclesia requisitae conditiones atque cautiones rite positae sint, praesertim de libero religionis exercitio parti catholicae concedendo, nec non de universa prole in religione catholica educanda. »

Eadem tamen Instructio monet : « Sciant insuper parochi, si interrogentur a contrahentibus, vel si certe noverint eos adituros

parochus, non quidem permittere, sed prudenter dissimulare, si suspicetur aut sciat partes adituras esse ministrum acatholicum, nec ab eo proposito removeri posse? Supponitur aliunde cautum omnino esse conditionibus aliis quae ex instructione diei 15 Novembris 1858 dispensari nunquam possunt, et quas praesertim ratas firmasque mansuras esse singula indulta commemorant. » Respondit S. Off. : « Detur decretum fer. IV, die 17 februarii 1864, nempe » cet.

(1) Proposito dubio : « An parochus timens, vel praevidens partem catholicam etiam ministrum acatholicum esse adituram, teneatur circa hanc intentionem catholicae sponsae inquirere, et si affirmat, an obligetur assistentiam suam pro matrimonio omni modo denegare, » S. Off. respondit : « Non teneri inquirere; » ap. Knopp, ed. 3, 1864, p. 384 not. 11.

ministrum haereticum sacris addictum ad consensum matrimonialem praestandum, se silere non posse; ac monere eosdem debere sponsos de gravissimo peccato quod patrant, et de censuris, in quas incurrunt (1). » Imprimis quidem ab assistentia activa abstinere parochus debet etiam in casu vel loco, in quo matrimonio mixto licito ea adhiberi potest, nisi praecesserit catholicae partis poenitentia, eaque in casu publico publice nota, et non obstet tunc Ordinarii statutum. Passiva igitur tantum assistentia praestabitur ubi haec toleratur pro matrimoniis mixtis illicitis; ubi vero pro his non toleratur, neganda est nisi circumstantiarum gravitas eam postulet, ex. gr. periculum concubinatus ob mixti matrimonii clandestini in loco invaliditatem.

De casu, quo mixtum matrimonium etiam aliunde licitum inire volentes adiverunt ministrum haereticum antequam adirent parochum, haec habet cit. Instr. a. 1864 : « Quod si tandem consensus velit renovari, postquam praestitus jam fuerit coram ministro haeretico, idque publice notum sit, vel ab ipsis sponsis parocho notificetur; parochus huic matrimonio non intererit, nisi servatis, uti supponitur, ceteroquin servandis, pars catholica facti poenitens, praeviis salutaribus poenitentiis, absolutionem a contractis censuris rite prius obtinuerit. » Quando in praefato casu matrimonium jam est valide contractum, nihil restat coram parocho praestandum et renovando coram eo consensui locus non est (2). In casu autem vel loco, in quo assistentia activa pro matrimonio mixto licito permittitur, ea quae ad illam spectant adhibere in casu publico non licet, nisi publice constet partem catholicam poenituisse, et praeterea non obstet Ordinarii statu-

(1) Fieri potest in foro conscientiae censuram non incurri, sed in foro externo censetur incurri tamquam ab haereticorum credente; cf. etiam cit. S. Off. litt. a. 1862, ejusdem citt. Instr. a. 1864 et 1878, ibique relatum rescr. 27 apr. 1847 ad Ordinarium Treviren., Planchard ap. *Nouv. rev. th.* t. 15, p. 573 (577) sq., 595 (599) sq.. 598 (602) sqq.

(2) Cf. *Nouv. rev. th.* t. 12, p. 169 sqq.

tum. Quodsi matrimonium nondum sit valide contractum, puta ob matrimonii mixti clandestini in loco invaliditatem, passive assisti potest ubi id etiam pro matrimonio mixto illicito toleratur; alibi vero nonnisi circumstantiarum gravitate ita exigente, ex. gr. ob periculum concubinatus. De activa autem assistentia dicito ut paulo supra.

In omni hujusmodi hypothesi ad consueta rei moralis principia recurrendum est, valde prudenter procedendum, et curandum ut cautionibus requisitis satisfiat, ac praecipue ne prolis institutio catholica periclitetur.

CAPUT XXVII.

DE DIVORTIIS.

575. Divortium seu separatio conjugum potest cogitari quoad vinculum, quoad torum, quoad torum et cohabitationem. Separatio quoad vinculum interdum intelligitur de dissociatione matrimonii invalidi, sed proprie accipitur pro dissolutione vinculi matrimonialis vere existentis. Separatio, remanente vinculo, aut ita fit ut conjuges non separentur quoad habitationem sub eodem tecto, sed tantum quoad strictius dictam cohabitationem conjugalem unius tori seu thalami seu debitam conjugale; aut ita ut separentur non solum quoad torum sed etiam quoad habitationem sub eodem tecto. Dogma autem fidei catholicae est, Ecclesiam non errare, quum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad torum, seu quoad habitationem, ad certum incertumve tempus, fieri posse decernit (1).

576. Si divortium quoad vinculum accipiatur pro dissociatione eorum quorum matrimonium nullum est, fieri debet quoties non

(1) Vid. Conc. Trid. sess. 24 can. 8 de Sacr. matr. De materia hoc nostro capite tractata cfr. canonistae ad tit. *De divortiis*.

videtur potius validandum matrimonium vel bonae fidei relinquendum cet.; de diversis hisce hypothesibus observanda sunt quae dicuntur c. 28 et 29.

Quod spectat ad divortium quoad vinculum seu dissolutionem matrimonii valide contracti, fidei catholicae dogma est, propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge, dissolvi non posse matrimonii vinculum (1). Fidei quoque catholicae dogma est, Ecclesiam non errare quum docuit et docet, juxta evangelicam et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterutrius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quae, dimisso adultero, alii nupserit (2).

Dissolutio matrimonii valide contracti seu divortium quoad vinculum extra casum mortis locum habet in casibus sequentibus. 1° Matrimonium in infidelitate contractum, etiamsi consummatum, dissolvitur per novum matrimonium a parte baptizata contractum in casu Apostoli (n. 471 sqq.). 2° Matrimonium fidelium ratum tantum seu non consummatum dissolvitur per

(1) Trid. sess. 24 can. 5 de Sacr. matr. Ex verbis Innoc. III in c. *Quanto* 7 h. t. perperam nonnulli deduxerunt juxta hunc Pontificem aliquem ejus praedecessorem, sive Coelestinum III sive Urbanum III sive alium quemvis, sensisse per unius conjugis lapsum in haeresim vel infidelitatem dissolvi matrimonii vinculum. Quibus multi auctores ad salvandam infallibilitatem pontificiam opponunt fuisse privatam alicujus praedecessoris opinionem vel decisionem, non vero dogmaticam definitionem. At neque Innocentius III quidquam hujusmodi alicui suo praedecessori ullo modo attribuit, neque aliquis ejus praedecessor quidquam hujusmodi ullo modo sensit; cf. Bartholi, *Instt. canonicae* c. 16, Augustin. Matthaeucci, *Opus dogmaticum*, Venet. 1755, controv. 7, c. 2, n. 15 sqq. Neque etiam ex modo loquendi Innoc. III colligi potest eum ipsum dubitasse an in casu, de quo agitur, matrimonium maneat firmum; cf. Matthaeucci n. 19.

(2) Vid. Trid. l. c. can. 7 et cf. sup. n. 449.

professionem Religiosam solemnem (n. 516 sqq.); idemque dicendum est de matrimonio numquam consummato in infidelitate contracto. 3° Matrimonium fidelium ratum tantum seu non consummatum dissolvitur per dispensationem Rom. Pontificis (c. 30 § 1 init.). Idem dicendum de matrimonio numquam consummato in infidelitate contracto, sive utraque sive alterutra pars Baptismum susceperit.

De duobus aliis casibus disputatur. Sunt enim qui censeant matrimonii in infidelitate contracti et, saltem ante utriusque partis Baptismum, consummati vinculum dissolvi per professionem Religiosam solemnem; sunt etiam qui per Rom. Pontificis dispensationem illud solvi posse opinentur. Neutrum vero dissolutionis casum admittendum ducimus (1).

577. Divortium quod torum tantum nonnumquam fieri potest, nonnumquam debet. Fieri potest mutuo consensu si non sit periculum incontinentiae; fieri etiam potest voluntate illius cujus compars amisit jus petendi debitum, vel causam dedit certam separationis quoad torum et cohabitationem, ex. gr. per adulterium quod in foro externo probari non potest (2). Fieri vero debet quando matrimonium est irritum et nondum validatum, et quoties ab utroque conjuge amissum est nec recuperatum jus tam reddendi quam petendi debiti, ex. gr. propter votum continentiae mutuo consensu emissum, vel propter impotentiam certam supervenientem (3).

Quum haec separatio forum externum per se non attingat, propria auctoritate fieri potest; oportet tamen confessarii vel alterius viri prudentis consilio uti. Difficultas interdum oritura ex compartis de copulae prohibitione ignorantia, omni meliori modo ac prudentia juxta circumstantias est enodanda. Per acci-

(1) De priori cf. n. 500 vs. *At si*, 501, 516; de posteriori cf. c. 30 § 1, n. 602.

(2) Cf. Gury et Ballerin, t. 2, n. 764 resp. 1.

(3) De hac tamen cf. Ballerin. ad Gury, t. 2, n. 855 sub III.

dens autem auctoritatis ecclesiasticae interventu opus est, si altera pars tori separationi contradicens jura sua ad forum externum deducat.

578. Tori et cohabitationis separatio, cui canonica divortii appellatio praeprimis propria est, mutuo quidem consensu fieri potest, sive in perpetuum, servatis servandis, per susceptionem Ordinis sacri (n. 509 sqq. vel ingressum in Religionem (n. 522 sqq., sive ad tempus, ex. gr. itineris vel valetudinis vel negotiorum causa, absente tamen scandalo. Sed extra casum ingressus in Religionem qui fiat post matrimonium ratum tantum (n. 517 sqq.), divortium quoad torum et cohabitationem, invita comparte, fierit nequit nisi existente aliqua ex sequentibus gravibus causis a sacris canonibus aguitis.

579. Fieri potest 1° ob compartis adulterium (1) certum, consummatum, formale (Caus. 34, c. 1, 5, 6), non condonatum nec per alterius adulterium compensatum (2) (c. 4 et 5 h. t., c. 6 et 7 *De adulteriis et stupro*), et cui laesus ipse causam directam non dedit (c. 6 *De eo qui cognovit*).

Innocens tamen non tenetur reum dimittere et jure suo uti, nisi omnino id postulet sive rei emendatio sive scandali vitandi necessitas; sed haec obligatio vix umquam potest existere pro uxore innocente, et rarissime etiam pro marito.

Quando adulterium est notorium sive facto, sive jure seu per sententiam judicis ecclesiastici vel rei in judicio confessionem, stricte loquendo potest innocens propria auctoritate divertere. Extra casum notorietatis requiritur judicis ecclesiastici sententia; nihilominus nonnumquam licet ex justa causa et absente scandalo

(1) Cfr. canonistae ad tit. cit., Bus. et S. Alph. n. 960 sqq., Gury et Ballerin. t. 2, n. 761 sqq., *Vindiciae Alphonsianae*, ed. Rom. p. 806, ed. Tornacen. t. 2, p. 470, Carr. n. 335 sqq., Kenrick. n. 113 sqq., Scavin. t. 4, n. 659, 724, Soglia § 197, van de Burgt. n. 472 sq. 477 sqq., Ferrari, t. 2, n. 434, tr. Mechl. n. 56, *Acta S. Sedis* t. 2 p. 406 sq.

(2) De hoc loquendi modo cf. *Acta S. Sedis* l. c.

divertere donec sententia superveniat (n. 540, 581 sq.). Ceterum praestat ut numquam nisi hac interveniente separatio fiat.

Quum adulterium sit causa, eaque per se unica, divortii perpetui, separatione legitime facta, innocens numquam ex justitia tenetur reum quamvis emendatum denuo recipere, nisi et ipse adulteretur; in isto autem casu dicendus est teneri licet separatio fuerit judicialiter facta (c. 5 h. t.). Ex charitate et convenientia in aliis quoque casibus saepe suadendum est ut reum recipiat. Reum autem revocare innocens semper potest, etiamsi judicialis fuerit separatio; haec enim est in solius innocentis favorem; attamen ob serium timorem saevitiarum potest interdum pars rea excusari et non cogi ad redeundum. Supra patuit an et quomodo possit sive innocens sive reus suscipere Ordines (n. 509) vel ingredi in Religionem (n. 527 sqq).

580. 2° Apostasia vel defectio a fide, etiam notoria, per se non est causa divortii perpetui sed temporanei. Si itaque ob eam causam propria auctoritate divertat innocens, tenetur resipiscentem reum recipere; non vero tenetur, si judex ecclesiasticus sententiam tulerit; sed attendendum est utrum haec temporaneum an vero perpetuum divortium pronuntiaverit et quid praescripserit. Ex charitate tamen non raro innocens, quamdiu statum non mutavit, tenebitur etiam post separationem judicialem recipere reum. Quandonam autem liceat ob conjugis haeresim vel apostasiam statum mutare, vidimus n. 509, 530. « Haeresis nec cum haeresi, nec cum adulterio compensatur, nam per haeresim non infertur injuria mutua conjugibus, sed Deo : per adulterium vero fit injuria conjugibus; ergo licet adulteria mutuo compensari possint, non tamen haereses (1). »

581. 3° Metus omnino gravis et fundatus discriminis vitae vel salutis sive animae sive corporis, vel gravis etiam incommodi,

(1) Maschat, n. 17 h. t. De secunda hac causa divortii quoad torum et cohabitationem vid. c. 6 et 7 h. t. et cfr. canonistae ad h. t.

ex. gr. saevitiarum cet (1). Ob ejusmodi causam temporaneum tantum divortium fieri potest, et hoc ipsum requirit auctoritatis ecclesiasticae interventum; si tamen periculum est in mora, fieri momentanea separatio potest propria auctoritate.

582. Ex dictis liquet fere semper, ubi fieri potest, debere pro divortio quoad torum et cohabitationem intervenire auctoritatem judicis ecclesiastici. Merito tamen scribit Giraldus (2) : « Hujusmodi divortium sine judicis sententia fieri quidem non potest, quoties agitur de divortio perpetuo; fieri tamen privata auctoritate posse crederem ad tempus, ob grave aliquod periculum animae, vel corporis imminens, quod aliter declinari nequiret : vel etiam ad inspiciendum, an pars adultera det signa emendationis : dummodo tamen separatio fiat absque scandalo, et praevio consilio confessarii, aut alterius viri prudentis. » Etiam lata sententia possunt conjuges, si aliunde peccatum absit et expressa judicis ecclesiastici prohibitio, propria auctoritate cohabitationem redintegrare (3).

Tum propter incommoda spiritualia, tum propter temporalia juxta leges civiles ex conjugum non tantum civili divortio, sed et separatione oritura, omnem operam adhibere debent parochi et confessarii ne separentur, nisi id videatur necessarium, sed eorum lites meliori quo fieri possit modo componantur. Si vero jam vivant separati, animorum reconciliatio est tentanda; imo si propria vel sola magistratus civilis auctoritate illicite ab invicem discesserint, pro circumstantiis erit judicandum de Sacramentorum participatione, ad quam admitti non possunt qui ita scandali causam praebent, vel causam separationis, quam tollere

(1) Cfr. canonistae h. t., Bus. et S. Alph. n. 970 sqq., Scavin. t. 4, n. 659, 723, Kenrick n. 120 sqq., Soglia et tr. Mechl. ll. cc., van de Burgt, n. 482 sqq., Bangen, tit. 3, p. 106 sq.

(2) *Expos. jur. Pont.* part. 1, sect. 734; cf. sup. n. 540, 579, 581.

(3) Cfr. canonistae h. t., S. Alph. n. 967, Carr. n. 357.

possunt et debent, tollere recusant, vel separationem auctoritate Ordinarii in casu quo haec requiritur licitam reddere nolunt (1).

Ex jure canonico proles, salva judicis juxta circumstantias ordinatione, educanda est expensis illius, qui culpa sua divortio causam dedit, penes partem innocentem, si haec est catholica et proli non periculosa. Sed quae ad illas expensas aliasque obligationes temporales pertinent, ea juxta circumstantiarum legumque civilium diversitatem diversimode ordinantur.

585. Leges nostrae civiles praeter separationem (Cod. civ. art. 306 sqq.) admittunt etiam divortium quoad vinculum (art. 227, 229 sqq.). Hoc quidem etiam in conscientia uti licet iis quorum matrimonium canonice irritum est (cf. n. 547), dummodo in casu, quo juxta dicenda cap. sq. necessaria est, non praetermittant praeviam auctoritatis ecclesiasticae interventionem (2). Quando vero canonice validum matrimonium est, nullatenus licet ad civile divortium recurrere, etiamsi id non fiat novi matrimonii ineundi causa (3). Praeberetur enim comparti novarum nuptiarum, invalidarum, uti patet, occasio, eaque probabilior, quando compartis culpa separationis postulandae causam affert. Quae quidem cooperatio theologice excusari nequit, nisi aut regionis leges civiles solum divortium admittant, aut in casu omnino peculiari et propter incommoda alia, quam quae pro omnibus incolis ex civilibus circa separationem legibus derivantur, catholicus revera alio sibi providendi medio foret destitutus (4). Sunt et alia vetiti ad civile divortium recursus motiva, nempe civilis vitam conjugalem instaurandi impossibilitas (Cod. civ. art. 295).

(1) Cf. Gousset, *Théol. mor.* t. 2, n. 900, van de Burgt, n. 501 sq.

(2) Cf. *Nouv. rev. th.* t. 16, p. 68.

(3) Licet tamen iis quorum matrimonium ratum tantum dissolvitur per professionem Religiosam solemnem vel dispensationem Rom. Pontificis; item iis quorum matrimonium dissolvitur in casu Apostoli Imo illud non esse in ejusmodi casibus negligendum jam monuimus n. 498.

(4) Cf. Kenrick, n. 111.

et detrimenta inde tum pro conjugibus tum pro liberis post civile divortium ab iis procreandis oritura.

Causidicis etiam, quum libertate sua fruantur, non licet causam divortii suscipere defendendam extra casus, in quibus diximus licere catholicis divortium petere. Juvat autem hic describere dubia quaedam ab ep. Sangallen. proposita S. Poenitentiariae (1) :

« III. De judicibus catholicis, qui in laico tribunali causas matrimoniales tractare debent.

Lex confoederationis Helveticae de statu et matrimonio civili lata sancivit : causas matrimoniales omnes et singulas, suppressa ex nunc et deinceps ecclesiastica jurisdictione, in tribunalibus laicorum ad normam tractandas esse, quae in causis civilibus statuitur, sententiasque in iis proferendas esse secundum praescriptiones juris communis et novissime latae legis, qua matrimonia etiam catholicorum sub certis rationibus valde levibus perpetuo dirimi atque quoad vinculum dissolvi possunt, ita ut ejusmodi conjuges litigantes post latam judicum saecularium sententiam divortii ad alia matrimonia contrahenda, si voluerint, possint transire. Quaeritur igitur :

Dubium quintum : utrum judices catholici et advocati in ejusmodi tribunalibus laicis causas matrimoniales tuta conscientia suscipere ac defendere sive cognoscere et judicare possint?

Dubium sextum : utrum iidem judices catholici et advocati secundum recentem Helvetiae legem matrimonii vinculum ut *dissolvendum proponere* seu *ut dissolutum declarare tuta conscientia possint* necnon declarare ejusmodi conjuges ad aliud matrimonium contrahendum posse transire sicut lex civilis hoc in casu judicare et declarare judices expresse jubet et urget?

In disserenda hacce quaestione obliviscendum non est quod tribunalia saecularia, quorum est judicare de causis civilibus

(1) Ap. Vering, *Archiv fuer kath. Kirchenrecht,* t. 41, p. 181 sq.

eadem sunt, quibus nova lege incumbit causas matrimoniales cognoscere et judicare. Quodsi ergo judicibus catholicis vetitum fuerit ejusmodi tribunalibus interesse, in magnum damnum civium ea tribunalia iis judicibus privari experiemur, qui timore Dei repleti pie et juste judicant. »

Die 3 apr. 1877 S. Officium decrevit (1) : « *Ad quintum et sextum.* Quoad judices recurrat in casibus particularibus. Quoad advocatos dentur responsa jam data Episcopo Suthwariensi nempe feria III loco IV die 22 Maii 1860 ad dubium, utrum advocatus catholicus possit defendere causas partis conventae contra actorem vinculi solutionem exquirentem? Responsum fuit : = Dummodo Episcopo constet de probitate advocati, et dummodo advocatus nihil agat, quod a principiis juris naturalis, et ecclesiastici deflectat posse tolerari. = Et ad aliud dubium, utrum liceat advocati, et actoris partes agere, quando finis litis est simplex separatio absque ulla sententia matrimonii nullitatem secum ipsa trahente? Responsum fuit : = Provisum in praecedentibus, et feria IV 19 Decembris ejusdem anni, dummodo pars catholica nullum aliud tribunal adire possit, a quo (2) sententia hujus tribunalis nullum alium habet effectum, quam separationem praedictam posse tolerari, ut catholici in eo foro actoris et advocati partes agant, et dummodo adsint justae separationis causae judicio Episcopi, et si quid habeat praeterea dubii recurrat exponens omnes circumstantias et legis dispositiones. »

Non diffitemur in casu separationis parti innocenti, maxime marito, et proli tristem esse conditionem, et marito saepe vix esse remedium sibi prolique providendi contra uxoris separatae infidelitatem. Haec tamen, quamquam gravia, incommoda sunt minora illis quae e divortio oriuntur; sunt ista non minus proba-

(1) Ap. cit. *Archiv* p. 183.

(2) Pauca quaedam hic manifesto exciderunt. De judicibus, officiario status civilis, causidicis cet. cf. etiam *Nouv. rev. th.* t. 14, p. 602 sq. 605-607, t. 16, p. 66 sqq.

bilia et sunt perpetua tam a parte conjugum, utpote qui magis periculo sunt expositi et jam nequeunt civiliter legitimam vitam conjugalem instaurare, quam a parte prolis postea forsitan ab iis procreandae. Praeterea nimis directa novis forte ineundis nuptiis cooperatio non excusatur per solas difficultates, quae ex Cod. civ. artt. 312 sq. oriuntur.

Verum denique est post tres annos separationis posse ex lege civili, uno tantum casu excepto, partem illam, contra quam fuit pronuntiata, exigere ut aut separatio cesset aut divortium pronuntietur (art. 310). Sed haec divortii petitio perversitati ejusmodi conjugis tribuenda erit, nec sufficit mirus ille reo impensus a lege civili favor, ut alter ab initio divortium potius quam separationem postulet. Incredibiliter autem injusta est legumque ipsarum civilium menti contraria unius alteriusve civilis juris periti doctrina, qua conjugi tribus illis elapsis annis in separationis cessationem consentire renuenti applicantur artt. 299 sq. Per istum dissensum ex innocente reum illum constitui, contra canonicas sanctiones, immo contra ipsam mentem legislatoris civilis, per separationis medium catholicorum conscientiae consulere volentis, asserunt, dictamen hoc conscientiae inhoneste perversitati et injustitiae immolantes.

CAPUT XXVIII.

DE MATRIMONIO ACCUSANDO ET DECLARANDO IRRITO.

584. Matrimonium contrahendum accusare et locum dare actioni contra illud instituendae possunt omnes denuntiando impedimenta (n. 269); sed distinctione opus est ubi agitur de accusando matrimonio jam contracto (1).

(1) Hac de re et de declaratione nullitatis scribunt canonistae ad titt. *Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari* et *De divortiis.*

Accusare matrimonium ad obtinendum divortium quoad torum et cohabitationem solus conjux potest cujus interest, ex. gr. innocens, quum ejus solius intersit, et possit, si velit, injuriam remittere et actione non uti, unde solius conjugis accusantis in jure mentio est (1).

Matrimonium accusare ad postulandam declarationem nullitatis solis conjugibus competit, si ejusmodi est impedimentum ut ab iis solis sciri queat, vel nullitatis declarationi renuntiare valeant, sive vivendo ut frater et soror et absque periculo impudicitiae in casu impotentiae (n. 541, 547), sive validando matrimonium per novum consensum in casu matrimonii irriti propter errorem aliumve consensus substantialis defectum vel propter metum vel conditionem servilem ignoratam (n. 85, 118, 122 sq. 143, c. 35 § 1 et 2 init.). Imo in ejusmodi casu solus ille, cujus consensus defuit vel qui metum passus est cet., ad accusandum admittitur, et ne is quidem si constet eum, cum scientiam haberet nullitatis, libere habuisse copulam vel continuasse cohabitationem (n. 110, 123 sub 2°, 143, c. 35 § 1 et 2 init.). At quando impedimentum est ejusmodi ut boni publici intersit et actioni a conjugibus renuntiari nequeat, tum ipsi tum alii non suspecti universim, ii praesertim quorum legitime interest, ad accusandum admittuntur (n. 85). Sunt tamen quaedam impedimenta, propter quae actio contra matrimonium instituenda potius est sive a conjugibus sive a consanguineis, affinibus, vicinis, quorum probabilior scientia est, ex. gr. consanguinitas, affinitas, publica honestas (2). Interdum etiam ex officio tenetur Ordinarius inquirere et actionem instituere (n. 85). Ab accusando tamen repelluntur qui sunt suspectae fidei, ex. gr. accusantes ex turpi quaestu (3), vel post denuntiationes factas non manifestarunt impedimentum, nisi eos

(1) C. 5 *De procuratoribus*, c. 25 § *Illud*, *De jurejurando*, c. 4 *De adulteriis et stupro*, et passim alibi.

(2) Cap. 1 sqq. Caus. 35, q. 6, c. 3 *Qui matrim. accusare possunt.*

(3) C. 5 *Qui matrim. accusare possunt.*

absentia aliave causa probabilis excuset (1), vel qui accusant per literas, nisi alia eis adminicula suffragentur (2). Conjugem etiam, qui scienter et libere continuavit cohabitationem vel copulam habuit, repelli ab accusando propter errorem, metum cet. paulo supra notavimus; est enim haec exceptio stricte peremptoria.

Accusari autem matrimonium potest quocumque tempore; nulla enim praescriptione tolluntur impedimenta aut convalescit matrimonium propter ea irritum, numquam transit in rem judicatam sententia in causa matrimonii lata (3). Mortuis tamen conjugibus, actio contra prolis legitimitatem aliave hujusmodi 30 vel 40 annis praescribitur; imo non admittitur quando matrimonium publice contractum in dubium vocatum non fuit dum parentes vivebant (4).

585. Testes in causa matrimoniali admittuntur prae ceteris qui meliorem impedimenti notitiam habere possunt, ex. gr. consanguinei, affines, vicini, quando agitur de consanguinitate, affinitate, publica honestate (n. 584 vs. *Sunt tamen*), ii ipsi etiam qui impedimentum denuntiarunt. Repelluntur tamen qui sunt suspectae fidei, ex gr. ii qui nimio temporalis commodi desiderio aliove pravo vel suspecto motivo sive validitatem, sive nullitatem matrimonii urgent (5), et ii universim quos suspectos esse accusatores num. praec. diximus. Propter possessionem autem matrimonio faventem difficilius admittuntur testes contra matrimonium jam initum quam contra incundum. Praeterea ad impediendum matrimonium contrahendum sufficit unus denuntians fide non indignus seu semiplena probatio, donec quid faciendum sit constiterit (n. 189, 269 sq.); sed contra matrimonium jam contractum

(1) C. 6 eod.
(2) C. 2 eod.
(3) Cf. n. 546, 588, c. 7 *De sent. et re judicata.*
(4) C. 11 *Qui filii sint legitimi.*
(5) Cf. c. 5, 22, 47 *De test. et attest.*

plena probatio requiritur. Hujus igitur matrimonii nullitas probanda est per duos saltem testes omni exceptione majores (1), quia res est gravissima, averti debet Sacramenti irreverentia, et matrimonium possidet.

586. Quum omnes proprie dictae causae matrimoniales ad solos ecclesiasticos judices spectent (2), apud hos solos accusari matrimonium potest. Quamquam autem ex matrimonio invalido nullum oritur vinculum juris sed sola facti ratio, nihilominus non licet umquam propria auctoritate pro nullo habere et solvere ejusmodi matrimonium, quod fuit coram Ecclesia contractum vel saltem publice censetur existere vel veri matrimonii figuram saltem seu speciem seu dubitationem habet. Judicis ecclesiastici auctoritas necessaria est, et qui propria auctoritate recedit, compelli debet ad redeundum, nisi notoria sit nullitas vel probationes offerantur in continenti paratae (3), quo ipso casu declaratio judicis interveniat necesse est.

Iudex ecclesiasticus competens est tum Sedes Ap., cui etiam reservata est, utpote causa major, accusatio matrimonii magnorum principum (4), tum Metropolitanus in casu verae appellationis, qui tamen dicendus est non posse concedere dispensationes vel licentias ab Ordinario, etiam irrationabiliter, negatas (cf. c. 30 § 3 init.), tum Ordinarius loci, nempe episcopus (5), capitu-

(1) C. 5 *De eo qui cognovit*, c. 22 *De test. et attest.*

(2) Cf. n. 11 sqq., 34, 45, 54. Ejusmodi sunt « matrimonii et sponsalium natura, qualitas, valor, obligatio, benedictio nuptiarum, sponsorum et conjugum jura et reciprocae obligationes, impedimenta, legitimitas et legitimatio prolium per matrimonium, dissolutio et redintegratio sponsalium et matrimonii, dispensatio in impedimentis, et quaecumque alia causa involvens quaestionem juris super matrimonii et sponsalium contractu (Maschat, n. 4 *Qui matrimonium accusare*). »

(3) C. 3 *De divort.*, c. 13 *De restit. spoliatorum.*

(4) Cf. Ferrari, t. 2, n. 436. Officio suo defuerunt officialitas et Metropolitanus Parisiensis ac card. Caprara in causa matrimonii Hieronymi Napoleonis; cf. p. 196, not. 3, coll. n. 44.

(5) De episcopi pro subditorum suorum causis competentia vid. S. C. C.

tum sede vacante ante vicarii capitularis intra octo dies inde ab habita vacationis notitia computandos electionem, vicarius capitularis, praelatus *vere Nullius* (1). Episcopi vicarius generalis etiam sine speciali ejus mandato cognoscit de causis matrimonialibus ordinariae episcopi potestati subjectis, ut communior et probabilior sententia docet. Potest etiam Ordinarius delegatum a se judicem constituere in causis ordinariae suae jurisdictioni subjectis. Neque enim hujusmodi delegatos judices neque vicarium generalem aliosve supra indicatos excludit Conc. Trid. sess. 24 c. 20 de ref. (2). Causas vero a Sede Ap. specialiter episcopo delegatas ulli subdelegare nequit, nisi hanc quoque potestatem acceperit, quamquam potest aliis uti ad examinandos testes, capiendas informationes, aliaque hujusmodi.

587. Quamdiu plene probata nullitas non fuit, in foro externo validum censetur matrimonium, et judex pro valore pronuntiat. In foro tamen interno conjux certus de nullitate nec tenetur nec potest sententiae judicis parere exigendo vel reddendo debitum, vel cohabitando si periculum incontinentiae existat quod removeri nequeat; etiamsi per censuram compellatur, haec potius est sustinenda quam Deus offendendus (3). Quare in ejusmodi casu pars impedimenti conscia tenetur, gravi causa, ex. gr. bono prolis, id postulante, curare ut impedimentum dispensabile auferatur.

in *Neapolitana seu Lycien.* 6 maii 1837 (ap. Lingen et Reuss, *Causae selectae... per summaria precum,* n. 521), *Neapolitana seu Romana Matr. super competentia seu avocatione* 30 januar. 5 junii 1858 (*Thes. S. C. C.* t. 117), et *Venetiarum Separ. tori quoad competentiam* 28 januar. 1865 (Ib. t. 124).

(1) Praelatum *vere Nullius* posse cognoscere causas matrimoniales immerito negat Reiff. n. 23 *De off. jud. ord.;* cf. potius Fagn. n. 20 sqq. ad c. *Accedentibus,* 12 *De excess. praelatorum.*

(2) Vid. Ben. XIV § 4 mox citandae const. *Dei miseratione,* et S. C. C., praeter plures alias declarationes, in mox citanda Instr. 22 aug. 1840.

(3) C. 13. *De restit. spoliatorum,* c. 44 *De sent. excommun.*

Plena vera facta nullitatis probatione, eaque per exceptiones non infirmata, judex pronuntiat nullitatem, et, separatis conjugibus, de jure communi ante Ben. XIV vigente, nisi aliud obstaret, transitum ad alias nuptias liberum declarabat. At Ben. XIV disciplinam, qua eousque Ordinarius, observatis omnibus ad judicialem processum necessariis, causam absolvere poterat, mutavit per const. *Dei miseratione* 3 nov. 1741 (1). Ex judicum in aliquibus regionibus nimia praecipitantia aliisque causis gravia erant exorta mala, quibus Ben. XIV varia remedia jam opposuerat. Propter gravissimos in Polonia existentes abusus nimiamque ibi curiarum dioecesanarum ad nuptias solvendas facilitatem, episcoporum zelum jam excitaverat, et declaraverat se meditari salutares leges modumque tantae licentiae refrenandae idoneum (2). Eadem sollicitudine pro aliis quoque dioecesibus egerat (3). Apud omnes etiam episcopos graviter institerat, ut sedulo exequerentur Tridentinum sess. 25 c. 10 de ref. de eligendis judicibus synodalibus eorumque nominibus Romam mittendis (4). Paulo autem post pro universa Ecclesia consilium refrenandi matrimoniorum dissolvendorum licentiam executioni mandavit per cit. const. *Dei miserattone*, in qua, postquam § 4 constituit ut in futurum causarum matrimonialium cognitio non committatur nisi episcopis, praesertim vicinioribus, vel si nullus sit episcopus, cui commode possit committi, nonnisi uni ex iis qui, secundum ordinem et modum in cit. const. *Quamvis paternae* praestitutum, in judicem idoneum ab episcopo cum consilio sui capituli nominatus fuerit, sequentem ordinem judiciorum in causis matrimonialibus servandum jubet.

(1) *Bull. Ben. XIV*, t. 1, const. 34, ed. Mechl. vol. 1, p. 166 sqq.

(2) Const. *Matrimonii* 11 apr. 1741 (*Bull. Ben. XIV*, t. 1, const. 16; ed. Mechl. vol. 1, p. 89 sqq.).

(3) Cf. cit. const. *Dei miseratione* § 2 in fine.

(4) Const. *Quamvis paternae* 26 aug. 1741 (*Bull. Ben. XIV*, t. 1, const. 28; ed. cit. vol. 1, p. 135 sqq.).

588. Praecipit Pontifex, ut ab omnibus et singulis Ordinariis in sua dioecesi eligatur persona idonea et, si fieri possit, ex ecclesiastico coetu, juris scientia pariter et vitae probitate praedita, quae Matrimoniorum Defensor nominabitur, cum facultate tamen eam ex justa causa suspendendi vel removendi, aliamque substituendi aeque idoneam et iisdem qualitatibus ornatam; quod etiam fieri poterit quotiescumque persona ad matrimoniorum defensionem destinata, cum se occasio agendi obtulerit, erit legitime impedita (§ 5). Defensorem hortatur Pontifex, ut pro amore Dei, proximi utilitate, Ecclesiae reverentia, gratis munus suum obeat; quod si noluerit, salarium ei est constituendum ab ipsius causae judice, solvendum a parte agente pro valore, si ipsi sit facultas; sin minus, a judice primae vel secundae vel tertiae resp. instantiae subministrabitur, qui pecunias ex muletis suorum tribunalium redactas vel redigendas et in opera pia erogandas in hujusmodi sumptus adhibere possunt. Quando vero judices causae sunt judices commissarii, qui neque forum habent neque consequenter pecuniam ex muletis collectam, Defensori satisfaciendum est ex pecunia muletarum illius episcopi, in cujus dioecesi judex commissarius juxta Sedis Ap. mandata judicium exercet (§ 12). Defensor, quando nominatur, debet jurare se fideliter officium suum obiturum, et idem jurare tenetur quotiescumque in judicio adesse debet pro matrimonii alicujus valore tuendo (§ 7).

Ad officium Defensoris spectat in judicium venire, quotiescumque contingit matrimonii valorem vel nullitatem coram legitimo judice disceptari, eumque oportet in quolibet actu judiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis matrimonii validitatem tueri eaque omnia deducere, quae ad matrimonium sustinendum necessaria censet (§ 6). Persona autem Defensoris est pars necessaria ad judicii validitatem et integritatem, semperque debet adesse in judicio, sive unus conjugum pro nullitate matrimonii agens, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter

pro valore agat, in judicium veniant. Quaecumque, non legitime citato aut intimato Defensore, in judicio acta irrita sunt (§ 7). Citandus igitur est in omnibus actibus.

Controversia aliqua, in qua de matrimonii validitate dubitatur, existentibus in judicio vel uno conjugum pro nullitate agente, vel ambobus, quorum alter pro valore, alter pro nullitate agat, proposita coram Ordinario, Defensor matrimonii partes omnes officii sui diligenter debet adimplere. Itaque si judex pro valore judicaverit, et nullus sit qui appellet, Defensor nequit appellare, idque etiam casu, quo judex secundae instantiae pro valore pronuntiaverit, postquam judex primae instantiae pronuntiaverit pro nullitate. Si vero pro nullitate feratur sententia, Defensor intra tempus legitimum debet appellare, adhaerens parti pro valore agenti; quae si nulla adsit vel non appellet, ipse id facere debet ex officio (§ 8).

Si alteruter vel uterque conjux, pendente vel non interposita appellatione a prima sententia, novas nuptias inire ausus fuerit, imprimis servanda sunt statuta contra eos qui matrimonium contra interdictum Ecclesiae contrahunt, praesertim ut a cohabitatione separentur, quousque altera sententia super nullitate emanaverit, a qua intra decem dies non sit appellatum vel appellatio interposita deserta deinde fuerit. Insuper ita contrahentes omnibus poenis polygamorum subjici debent (§ 9).

Appellatione a prima sententia interposita, supradicta omnia peragenda coram primo judice, pariter debent eodem modo peragi coram secundo. Quod si judex secundus sit Metropolitanus aut Nuntius Apostolicus aut Episcopus vicinior, matrimonii Defensor erit ille qui ab ipsis fuerit deputatus. Si judex secundus sit judex commissarius, cui a Sede Apostolica causae cognitio sit demandata, quique non habeat tribunal et jurisdictionem ordinariam et propterea careat Defensore matrimonii, uti debet eo Defensore, qui constitutus fuerit ab Ordinario, in cujus dioecesi causam cognoscet, etiam si idem Ordinarius sit, qui primam sententiam in eadem causa pronuntiavit (§ 10).

Instructo sic judicio, si secunda sententia sit conformis primae, ideoque pro nullitate, et pars vel Defensor in conscientia non crediderit appellandum vel appellationem interpositam prosequendam, possunt conjuges novum inire matrimonium, si aliud non obstet. Salvum tamen remanet jus seu privilegium causarum matrimonialium, quo ob lapsum temporis numquam transeunt in rem judicatam; si igitur nova res, non deducta, vel ignorata, detegatur, resumi possunt et rursus in judicium trahi. Quod si vel altera pars a secunda sententia appellaverit, vel sententia ejusmodi sit ut in conscientia Defensor acquiescendum non putet, aut quia sibi videtur manifesto injusta, vel invalida, aut quia fuit lata in tertia instantia et est revocatoria alterius praecedentis super validitate in secunda instantia emanatae, tunc non licet transire ad aliud matrimonium, contra faciens subest poenis indicatis sup. vs. *Si alteruter*, et causa debet in tertia vel quarta instantia cognosci, servatis omnibus pro prima et secunda instantia praescriptis, nempe in quolibet actu judiciali citato et audito Defensore matrimonii, qui a judice tertiae instantiae deputatus fuerit (§ 11).

Hactenus egit Pontifex de causis matrimonialibus quae extra curiam Romanam tractantur. Quoad eas vero quae Romae sunt agendae, cum earum cognitio in prima instantia pertineat ad card. Vicarium, jubet Pontifex ut eadem omnia ab ipso serventur, nempe judicium peragatur citato et audito Defensore, ab eodem card. Vicario deputato. Causas demum alias, quae in prima instantia ex consensu partium, vel in secunda, per appellationem ad Sedem Apostolicam, omisso medio, interpositam, vel in tertia, Romam deferuntur, eae judicari debent vel in S. C. C., vel in Auditorio causarum palatii Apostolici, vel, si id R. Pontifex maluerit, in particulari aliqua Congregatione. Si causa agitetur in S. C. C., Defensorem deputabit illius Praefectus; si in memorato Auditorio, Auditor Decanus; si in Congregatione particulari, persona illius dignior. Unica emanata reso-

lutio pro nullitate non sufficit ad celebrandum novum matrimonium. Sed si fuerit sententia illa S. C. C., in ea ad Defensoris instantiam debet reproponi causa. Si fuerit sententia illa Congregationis particularis, ad petitionem Defensoris altera particularis Congregatio deputabitur. Si fuerit sententia illa Auditorii Apostolici, ad appellationem Defensoris ab aliis Auditoribus juxta ordinem in gyrum seu turnum est definienda causa; si vero causa universo tribunali fuerit commissa, definienda est rursus ab omnibus Auditoribus. Nullo enim in casu vult Pontifex ut matrimonium solutum censeatur, nisi duo judicata vel resolutiones aut sententiae penitus similes et conformes, a quibus neque pars neque Defensor crediderit appellandum, emanaverint; inito autem nihilominus matrimonio, locum esse poenis sup. vs. *Si alteruter* memoratis (§ 13).

« Et quoniam saepe apud Sedem Apostolicam preces porrigi solent pro dispensatione matrimonii rati, et non consummati; quae ut plurimum pro voto consultivo ad Congregationem S. R. E. Cardinalium Concilii Interpretum, vel nonnumquam ad aliquam Congregationem particularem deputatam, a Romanis Pontificibus pro tempore remitti solent; ut hujusmodi instantiae ordine, ac rite procedant, volumus, ac mandamus, ut supplex libellus Nobis, vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena, et accurata totius facti species contineatur, causaeque omnes in eo exprimantur, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur, ut Romanus Pontifex, eo lecto, et mature considerato, secum deliberare possit, an petitionem rejiciat, vel ejus examen alicui ex dictis Congregationibus committat; a qua posteaquam suum votum consultivum editum fuerit, a Secretario ejusdem Congregationis totius negotii series exacte Romano Pontifici pro tempore referatur, qui pro sua prudentia judicabit, an Congregationis Resolutio sit approbanda, vel potius totius causae examen alteri Congregationi, vel Tribunali, prout eidem Pontifici videbitur, rursus committendum (§ 15). »

Denique clausulis gravissimis munit Benedictus hanc constitutionem, motu proprio et ex certa scientia a se latam.

589. Postea debuit rursus reprehendere magnos abusus et dissolvendi licentiam in curiis ecclesiasticis Poloniae vigentes. Etenim in const. *Nimiam licentiam* 18 maii 1745 (1), relatis iis quae jam contra mala ejusmodi egerat, queritur in Polonia novas fraudes novaque effugia fuisse quaesita ad eludendas Apostolicas ordinationes, ita ut inter conjuges pacta inirentur de non appellando, et de certa pecuniae summa alteri solvenda ab eo qui appellaret; judex autem ecclesiasticus, apud quem appellatio instituta fuerat, appellantem ad solvendum damnabat. Causas inordinationis confusionisque indicat, hisque opportune medetur, damnando et irrita declarando pacta aut de dissolutione matrimonii quandocumque facienda aut quibus directe vel indirecte appellatio impediretur, idque sive inita sive incunda, quomodolibet, etiamsi jurata, tam pro foro interno quam externo. Pactorum hujusmodi observantiam interdicit sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae et reservatae Pontifici. Eidem poenae subjicit judicem quemcumque, qui pacta haec exequenda et servanda curare et pronuntiare ausus fuerit. Injungit denuo observantiam const. *Dei miseratione;* inculcat alias etiam canonicas de matrimonio praescriptiones et regulas « aliarum bene constitutarum dioecesum, in quibus fere numquam, aut raro lites super contractis matrimoniis agitantur, et sententiae super eorumdem matrimoniorum nullitate pronuntiantur. » Profitetur demum, ni pareatur, acriora se adhibiturum remedia.

In const. *Si datum* 4 mart. 1748 (2) adhibiturus similem ordinationem pro causis super nullitate professionis Regularis, initio memorat praescripta const. *Dei miseratione*. Asserit autem se non voluisse prohibere quominus, si quod forte matrimonium cum

(1) *Bull. Ben. XIV*, t. 1, const. 85; ed. cit. vol. 2, p. 123 sqq.
(2) *Bull. Ben. XIV*, t. 2, const. 47; ed. cit. vol. 6, p. 26 sqq.

impedimento dirimente initum fuisset, de illius nullitate judicium postularetur, sed consulere voluisse pleniori veritatis elucidationi in gravissimo judicii genere, in quo de sacro connubiorum foedere agitur, ut judices non sine certissima cognitione omnium ad rem maxime conducentium vinculum ex tot rationibus insolubile sententiis suis, tamquam irritum ab initio, dissolverent. Addit autem : « Cujus quidem Constitutionis utilitas, Deo favente, ad hunc diem aperte comprobatur : quum ex eo tempore, neque tot causae super praetensa matrimoniorum nullitate in tribunalibus pendeant; nec tam frequenter, ut antea, Nobis exhibeantur preces pro obtinendis dispensationibus super matrimonio rato, et non consummato : dum scilicet ante omnium oculos propositae sunt difficultates paulo quidem majores, sed omnino justae, quae ex novo ordine a Nobis statuto, cuilibet superandae se offerent, antequam optatum finem assequatur. » Applicationem const. *Dei miseratione* habes in ipsius Benedicti decreto 27 sept. 1755, confirmato per breve *Etsi matrimonialis* 30 sept. ejusdem anni (1).

590. Observanda igitur est praefata Ben. XIV constitutio quoties agitur de matrimonii validitate vel nullitate (2), eaque non observata, acta omnia sunt irrita, nisi a Rom. Pontifice sanentur, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemoriali (3). Formiter quoque sunt interrogandi testes, positis vel concordatis interrogatoriis cum Defensore (4); quae autem spectant ad interrogatoria tradenda a Defensore totamque processus servandi normam delineat S. C. C. Instr. 22 aug. 1840 (5), in qua etiam gene-

(1) Ib. t. 4, const. 50; ed. cit. vol. 11, p. 251 sqq.

(2) De Ordinarii officio in causa separationis cf. cap. praec. et Ferrari, t. 2, n. 437.

(3) Vid. S. C. C. in *Maurianen. Dubia super matrimonio* 15 dec. 1877 (*Anal. jur. Pont.* ser. 17, col. 577 sqq.. *Acta S. Sedis* t. 10, p. 504 sqq.).

(4) Vid. S. C. C. in *S. Jacobi de Chile Matrimonii* 24 sept. 1864 (*Thes.* t. 123), de qua cf. etiam *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 411 sqq.

(5) Reperitur apud auctores citatos sup. p. 416. not. 2, et ap. *Nouv. rev. th.* t. 13, p. 561 sqq.

raliter dicitur : « Ipsi, qui pro Sacramenti validitate stat, semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda, semper et quandocumque ejus scripta erunt recipienda, ac novi termini eo flagitante erunt prorogandi, ut ea perficiat et exhibeat. » Debet Defensor adesse etiam in quaestione incidenti et praejudiciali cum nullitatis quaestione connexa, ex. gr. de judicis competentia (1). Imo jurium in decursu litis productorum, ex. gr. extractorum baptismalium cet. ex libris parochialibus, a judice ordinata recognitio seu authenticatio an sint talis parochi et omnino conformia libris unde extrahuntur, est actus judicialis ; et hanc recognitionem in causis matrimonialibus expedit ut judex ordinet, si ex ejus arbitrio et prudentia adsit justa dubitandi ratio. Si autem recognitionem judex ordinet, ad recognitionis actum citandus est Defensor (2).

591. Anno 1848 ep. Sonorensis in America sept. Sedi Ap. exposuit in casu dubio difficultatem non parere formam Benedictinam, parere tamen quando matrimonii nullitas est evidens et notoria; tunc enim grave inferri detrimentum utilitati publicae et saluti fidelium, praecipue ob primae, secundae, imo et tertiae instantiae dilationes, quas inique ferunt partes, adeo ut post declaratam nullitatem non quidem contrahant novum matrimonium, sed vivant in incontinentia, nec spem esse tantum avertendi malum. Rogabat ideirco episcopus, ut S. C. C. declararet constitutionem Benedicti non habere locum in casibus nullitatis certae et notoriae, vel, si existeret aliqua declaratio, hujus transcriptum ad se mitteretur.

Secretarius S. C. C. in suo discursu in hac *Sonoren. Nullitatis matrimonii* 26 aug. 1848 (3) primo exponit rationes faventes. Sta-

(1) Vid. S. C. C. in *Neapolitana seu Romana Matrimonii super interventu Defensoris, et super subministratione* 26 sept. 1857 (*Thes.* t. 116).

(2) Vid. S. C. C. in *Strigonien. Dubium matr.* 28 aug. 1858 (*Thes.* t. 117, et ap. Lucidi, *De visit. SS. Lim.* t. 2, p. 621 sq.).

(3) *Thes.* t. 108. Circa formam judicialem, ac speciatum circa cit. Instr

tutum Benedicti, de quo episcopus declarationem expostulat, est illud, quo in § 8 et 14 appellationis et duarum saltem sententiarum necessitas praescribitur. Locum ei non esse nisi quando dubia est nullitas, insinuat verbum *dubitabitur* in § 8. Revera jus canonicum prohibet appellationes in rebus notoriis, quia tunc non possunt esse nisi frivolae nec merentur in jure attendi. Idem videtur deduci ex praxi S. Congr.; in omnibus enim causis matrimonialibus in ea agitatis deprehenditur dubium vel grave vel leve de valore matrimonii, initio saltem oppositum. Merito itaque infertur judicia, in quibus patens est matrimonii nullitas, absolvi posse forma expeditiore ea, quam Bulla praescribit. Quod si sustineatur hanc omnes casus, evidentis etiam nullitatis, complecti, hoc erit verum in judicio pleno et ordinario, non in summario et extraordinario quod non comportat appellationem. Clementina autem *Dispendiosam* permittit causas matrimoniales summarie tractari : « In causis super matrimoniis procedi valeat simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura judicii. » Praesumendum igitur est Benedictum noluisse Bullam suam applicari judiciis summariis; praescripsisset enim rem directe oppositam naturae horum judiciorum, quae nolunt appellationem aut dilationem; Clem. *Saepe contingit*, De verb. sign.

Contrarias rationes deinde secretarius exponit. Non sunt spernendae rationes expositae, verius tamen est contrarium. Benedictus adhibet verba omnino generalia, nec ullam distinctionem facit inter nullitatem dubiam et evidentem : « Nolentes... emanaverint (§ 14). » Adhibet autem in § 8 verbum *dubitabitur*, non ad excludendos casus nullitatis evidentis, sed quia in omnibus

22 aug. 1840 et Ben. XIV const. *Dei miseratione*, plura habes in aliis causis S. C. C.; vid. *Burgi S. Donnini* 21 apr. 25 aug. 1877 (*Thes.* t. 1?6, *Acta S. Sedis* t. 10, p. 435 sqq.), cit. *Mauricnen.* a. 1877 (n. 590), *Montis Regalis Matr.* 20 sept. 1879, 22 apr. 1882 (*Thes.* t. 138. *Anal. jur. Pont.* ser. 19 col. 340 sqq.. *Acta S. Sedis* t. 15. p. 132 sqq.), *Matrimonii* 14 maii 1881 (*Acta S. Sedis* t. 14, p. 320 sqq.).

causis adest, initio saltem, aliquod dubium de valore aut nullitate, et Pontifex loquitur de communiter contingentibus. Canones vero qui prohibent appellationem in notoriis concernunt causas criminales, nequaquam causas matrimoniales; licet autem has quoque respicerent, dicendum tamen foret fuisse per const. Benedicti reformatos. Notorietas non efficit has appellationes esse frivolas; caute enim est procedendum in materia tam gravi ut est dissolutio matrimonii. Praetensa haec notorietas potest esse apparens et illusoria. Praxis ipsa S. Congr. non sinit aliter sentire. Illius enim Resolutionum Thesaurus continet causas plures, quae probant formam Bullae *Dei miseratione* constanter fuisse observatam in casibus evidentis nullitatis; ex. gr. *Theatina Matrim.* 18 jul. et 19 sept. 1761, *Tridentina Nullitatis Matrim.* 22 junii 1822, in quibus nullitas tam erat evidens quam in memoratis ab episcopo Sonorensi casibus. Ceterum forma Benedictina non potest negligi sub praetextu judicii summarii, quod videtur non posse adhiberi, quum Benedictus velit omnes, nulla excepta, super matrimonii nullitate causas tractari cum illo processu, qui componi nequit cum judiciis summariis. Posito etiam posse causas matrimoniales etiamnunc tractari summarie, non ideo recedendum esset a Bullae dispositionibus. Quum judicia summaria facilius exponantur errori, procedendum esset omni illa maturitate, quam quaestiones tam graves requirunt.

Quae quum ita sint, ait secretarius, examinandum superest utrum expediat facultatem concedere episcopo Sonorensi, saltem ad tempus, ut deroget nomine Sedis Apostolicae secundae sententiae conformi, quoties de matrimonii nullitate evidenter et notorie constet. Videtur viam sternere hujusmodi concessioni praxis S. Congr., quae solet, quando nullitas matrimonii evidens est, validare processus non ita instructos ut plene sint conformes const. Benedictinae, uti factum fuit in supracit. causa *Theatina*. Accedit opinio Doctorum, episcopum posse dispensare in constitutionibus Apostolicis et decretis Conc. generalis, quando orta

est ratio magnae necessitatis vel utilitatis evidentis, et periculum est in mora nec recurri commode potest ad R. Pontificem Reiff. l. 1 Decret. tit. 2, § 18, n. 470); quam opinionem Benedictus, *De syn.* l. 9, c. 2, videtur nec reprobare nec admittere, ubi praecise loquitur de potestate dispensandi ab impedimento dirimente occulto, vi facultatis illius extraordinariae ex praesumpta summi Pontificis voluntate. In casu non potest facile recurri ad Papam, quum dioecesis Sonorensis existat in remotissimis Amer. sept. regionibus. Ratio necessitatis vel saltem evidentis utilitatis non videtur deesse, spectatis incommodis et malis quae episcopus testatur oriri ex stricta const. Benedictinae in illis regionibus observantia. Videndum denique an observandum aliquid sit super abusu, qui in dioecesim Sonorensem videtur irrepsisse, nimis facile permittendi celebrationem matrimonii, antequam maxima cura de stata personarum libero constiterit.

Dubium ponit secretarius : « An et quomodo sit annuendum precibus Episcopi Sonoren. in casu, etc. » Resolvit S. Congr. 26 aug. 1848 : « Negative et ad mentem. » Mens ea fertur fuisse ut peteretur a Sanctissimo indultum, quo concederetur episcopo Sonorensi facultas secundam sententiam conformem committendi episcopo alicui vicino, spectata distantia Metropolitani, vel sibi reservandi secundam hanc sententiam ferendam cum assistentia aliquorum sacerdotum, qui non habuerint partem in prima sententia (1).

592. Peculiare dein dubium apud Sedem Ap. motum fuit de matrimoniis ob clandestinitatem irritis. Exponebat officialis Trevirensis se pro viribus navare operam, ut in his quoque matrimoniis ad amussim observaretur const. *Dei miseratione*, sed maximam esse difficultatem quando in judicio agitur de nuptiis,

(1) Cf. *Corresp. de Rome*, ed. Leod. t. 1, p. 33. Aliud sed in casu omnino particulari concessum indultum vid. ap. *Anal. jur. Pont.* ser. 6 col. 2071 sq.

quae non solum ab Ecclesiae benedictione sed a nuda etiam forma essentiali omnino et notorie alienae sunt, et simul grave in mora periculum et scandalum exhibent. Durius enim interdum imo inconsultius apparere, si ex. gr. nuptiis solo actu civili contractis, et ex eo capite nullitatis sententia lata a judice primae instantiae, altera conformis sit expectanda, priusquam partes ad alia vota transire valeant. Quapropter officialis ille dubium hoc S. C. C. proponebat : « Utrum nimirum sa. me. Bened. XIV Const. *Dei miseratione* de 3 Nov. 1741 etiam quoad illas nuptias sit servanda, quae per se pro ecclesiasticis matrimoniis nullo pacto haberi queunt, ex eo quod neque in facie Ecclesiae, neque in alia in foro Ecclesiae quomodocumque valida forma contractae fuere (1). »

In secretarii decursu sequentia notantur. Si in genere quaestio instituatur, supponendum necessario erit ejusmodi matrimonia ita esse comparata, ut ipsis quaedam *sacramentalis* matrimonii species seu possibilitas inesse queat, vel ob facti vel ob juris ambiguitatem, saltem putativam ; secus enim judicis auctoritatem formamque contentiosam intervenire posse vix intelligitur. Hoc autem supposito, attendere imprimis oportet ad ipsius Benedictinae indolem. Haec vero in eo maxime versatur, ut ordine judicii ad unguem praescripto, matrimonii *sacramentalis* valori perpetuaeque firmitati consulatur juxta divina Ecclesiae catholicae principia. At haec principia vix periclitari prima fronte videntur per casus propositos, in quibus agitur de actu quodam mere civili vel alias ab omni forma rituque Ecclesiae prorsus alieno, quem pro juris formalitate magis quam substantia in judicio disceptari quandoque contingit. Ratio igitur in lege Benedictina

(1) Causa haec *Treviren. Dubium matrimonii* primum fuit proposita per summaria precum 18 dec. 1852 et responsum fuit : « Dilata et ponatur in folio (Cf. Lingen et Reuss, op. cit. n. 523, Lucidi, op. cit. t. 3, p. 516 sq.) ; » tractata dein fuit in folio 29 januar. 1853 (*Thes. S. C. C.* t. 112), et ex hac causae discussione hausta sunt ea quae in textu tradimus.

expressa, attenta praeterea correctione juris communis, videri potest casus propositos excludere a necessitate observandi Benedictinam constitutionem, adeo ut, manente in casibus, ab hac non exceptis, jure communi Clementinae *Dispendiosam* De judic., summarie et absque figura judicii posset in ejusmodi casibus procedi, idque eo vel magis quod Benedictina constitutio, utpote censuras et nullitates inducens, odiosa videatur et partibus gravosa. Verumtamen haec omnia ratiocinia illico cadunt si attendas, inter fideles non posse separatum existere contractum a Sacramento, adeo ut lege Tridentina obstricti, eam non servantes, actum sub omni ratione irritum ponant; ea vero non obstricti, hoc ipso quod consensum matrimonialem et contractum ponant, Sacramentum conficiant. Consequenter in omnibus quaestionibus quae sunt de matrimonii validitate vel nullitate, quaestio est de Sacramento, ideoque currit aperte Benedictinae legis ratio. Cumque eadem lex, tamquam corrigens, locum obtineat legis correctae, in dubio pro illa fieri debet lata interpretatio, praesertim quia alias facile periculum oboriretur ne, spreto forsan temere ordine judicii Benedictini, matrimonii Sacramento dedecus et animabus pernicies pararetur.

Opponi quidem potest, in Benedictina constitutione et indicato per eam Defensoris officio agi de matrimonialibus causis super *validate* vel *nullitate*, quae vox consequenter indicat *invaliditatem*, quia contraponitur *validitati;* in themate autem non agi de casibus, in quibus, contracto saltem in foro Ecclesiae matrimonio, postea de ejus validitate dubitetur ob quemdam in forma defectum vel latens impedimentum; sed de casibus in quibus constat nuptias nullatenus fuisse in forma quomodocumque valida initas, et in quibus judicialis quidem declaratio pro juris formalitate requiritur, sed non relate ad *invaliditatem*, verum ad non existentiam matrimonii. Hinc judicis hoc tantum esse, ut id quod tam in jure quam in facto notorium omnino habetur, notorium revera esse judicialiter declaret. Ex. gr. Catholici in

locis Tridentino subjectis nihil omnino efficiunt contrahendo coram ministello acatholico. Si itaque supponas in facto revera constare ut notorium, praetensas quasdam nuptias eo ritu celebratas fuisse, judex simpliciter id, quod notorie non existebat, judicialiter declarat non existere, quum nequaquam agatur de invalido pronuntiando per definitivam sententiam matrimonio, quod ob formam legitime adhibitam in publico Ecclesiae foro validum praesumebatur.

Fatendum tamen est hanc quoque difficultatem facile dissipari. Quaestiones enim de non existentia nuptiarum, in praxi saltem, sejungi non possunt a dubio super non confectione Sacramenti, ita ut, quotiescumque judex male pronuntiaverit contra nuptiarum existentiam, quae tamen revera existant, ipsum periclitaretur Sacramentum, et supra memorata divina Ecclesiae principia afficerentur. Currit ergo etiam in themate ratio constitutionis Benedictinae, et quamquam in hujus prooemio et corpore ordo judicialis per eam praescriptus videri posset ad solas nullitates praedicto sensu acceptas restrictus, ratio tamen adeo generalis est ut omnia ejusdem rationis comprehendat; idque eo vel magis quod vox *nullum* seu *nullitas* saepe non solum invalidum, sed id quoque quod revera non est significet. Quod vero attinet ad notorietatem facti, de qua supra, pleramque evenit ut quod alias facto notorium est, tale non sit judici, et judex ante omnia debet curare ut sibi de notorio constet, ex. gr. per testes. In ejusmodi igitur etiam notoriis actus judiciales interveniunt, id quod in themate minime negatur. Si itaque in his rebus nuptialibus adest tota Benedictinae constitutionis ratio, si in iisdem actus quomodolibet judiciales interponuntur, valeat etiam necesse est totus ordo a Ben. XIV praescriptus quoad Defensorem matrimonii cet. in primo pariter ac in ceteris gradibus. Minime quidem judex impedietur, quominus juxta cujusque casus indolem et evidentiam magis summarie ac celerius et cum substantialibus procedat, quod etiam in S. C. C. interdum sufli-

ciens habetur. Ita autem partium ob moram et scandalum gravamini non difficile providetur, et si quod paterentur, melius hoc est quam ut Sacramento dedecus et animabus ac proli periculum paretur.

Totum tamen negotium distinctione forsan opus habet. In Trevirensi dioecesi catholici indubitanter obligantur lege Tridentina; unde quoad eorum saltem sive coram civili magistratu, sive coram acatholico ministello, nuptias apparenter contractas tela judiciaria opus non esse videtur. Quamquam enim ex lege civili possunt etiam catholici ita contrahere, et, si deinde alteruter post ita contractum matrimonium ad vota legitima cum alio transire cupiat, facile fit, protegente gubernio, inhibitio, et hinc ad curiam episcopalem negotium defertur, nihilominus res erit de mera exteriori formalitate seu nuda episcopi declaratione, quum nec facti nec juris dubium adsit. At aliter videri potest se res habere, quando in Germania controvertitur de nuptiis vel protestantium inter se, vel cum altera parte catholica. Ad annum usque 1830 erant qui illarum regionum haereticos a Tridentina lege exemptos judicarent, ex quo sequebatur mixta etiam matrimonia ita contracta haberi valida, siquidem ex Ben. XIV, *De syn. dioec.* l. 6, c. 6, n. 12, exemptio unius partis propter individuitatem contractus alteri parti communicata remanet. In Germania autem controversiae forenses sunt, non tantum circa ejusmodi matrimonia ante a. 1830 inita, sed etiam circa celebrata inde a die 25 mart. 1830, quae ex Pii VIII auctoritate valida jam sunt in provincia Coloniensi, cui Trevirensis dioecesis subest. Sunt qui sustinere pergant etiam ante illum diem contracta valida fuisse et esse: decantant enim declarationes potius fuisse datas quam dispensationem, et, si Pii VIII constitutio sit dicenda dispensatio, eam tamen nec imploratam nec receptam in Germania umquam fuisse. Ex eorum itaque opinione idem nunc, qui in foederatis Belgii provinciis adest, status in Germania quoad matrimonia mixta perdurat; quae tamen opinio a melioris notae

viris quibuscumque habetur pro reprobatissima et aperto juri contraria. Sed, misso hic de hujusmodi opinionibus judicio, exempli tamen gratia juvant supra dicta, ut pateat, non obstante Tridentini publicatione, nuptias etiam mere civiles in judicium quandoque venire.

Supponit quidem officialis Trevirensis, in propositis ab eo casibus vigere juris notorietatem; sed facto constat passim evenire, ut matrimonium a primo judice ob non adhibitam Tridentini formam juxta recensita principia rejectum, in ulteriori instantia validum declaretur. Praeterea propter earumdem regionum conditionem, vel ob incolarum mutationem, fieri potest ut matrimonii etiam civilis valor praetendatur ex eo, quod Tridentina lex in respectiva parochia aut numquam fuerit publicata, aut publicatio desierit. Etiamsi autem immerito hoc praetendatur, et judex ecclesiasticus omnino notorie falsum illud esse minime dubitet, actus tamen vere judiciales in ejusmodi re interponantur necesse apparet. Videant igitur Emi PP. an distinctio forsan adhibenda sit inter casus qui suapte natura solummodo declarationem absque judicii forma requirant, et eos qui, ob facti vel juris quomodocumque controversiam, ad actus vere judiciales judicisque sententiam deveniant. Proponitur itaque dubium : « An et quomodo observanda sit sa. me. Benedicti XIV Constitutio *Dei miseratione* in casu etc. »

Haec hactenus ex secretarii discursu ; resolvit autem S. C. 29 januar. 1853 : « In casu prout proponitur negative. » Ex qua resolutione, expresse remittente ad casum ab officiali Trevirensi propositum (n. 592 init.), concludimus necessarium non esse processum Benedictinum, quando agitur de matrimonio prorsus notorie et absque ulla dubii specie irrito ob clandestinitatem, sive civiliter fuerit contractum sive non (1). Processus tamen ille

(1) Ex. gr. pro catholicorum matrimoniis clandestinis in dioecesi Trevirensi aliave ubi ea notorie et absque ulla dubii specie sunt invalida.

requiritur pro matrimoniis, de quorum ob clandestinitatem invaliditate non adeo firma habetur notorietas, sed aliqua saltem adhuc dubii possibilitas non deest (1).

593. Causae matrimoniales mature quidem sed propter peccati periculum celeriter sunt tractandae, et ex Clem. 2 *De judic.* summario processu possunt absolvi. Quamquam autem sunt qui dubitent (2) an haec concessio post cit. Ben. XIV constitutionem *Dei miseratione* perstiterit, affirmandum existimamus, ita tamen ut serventur quae constitutio illa praescribit. Cum his enim forma judicii summarii non omnino pugnat, licet majorem aliquam per ea solemnitatem accipiat nec reliquis judiciis summariis aequiparari possit.

Vicarius Ap. Cocincinae haec dubia proposuerat : « 1. An matrimonia possint in foro externo declarari nulla atque invalida,

(1) Ex. gr. In dioecesibus, pro quibus datum fuit Pii VIII breve 25 mart. 1830, non solum necessarius est processus Benedictinus pro matrimoniis mixtis inde ab illo die incl. contractis, quum ex praefata Pii VIII dispositione non sint invalida ob clandestinitatem (n. 327), sed et idem existimamus dicendum de matrimoniis ibidem inde ab eodem die incl. clandestine contractis inter haereticos (cf. ib.). Quoties igitur de tali aliquo matrimonio agitur, in circumstantias publicationis decreti *Tametsi* aliasque p. 208 in nota indicatas inquirendum est. Etiamsi autem, hoc examine facto, nullum esse matrimonium videatur, nihilominus existimamus processum Benedictinum debere observari pro matrimoniis haereticorum inter se, vel mixtis, initis in regionibus, ubi ex sententia et praxi Sedis Ap. hujusmodi etiam matrimonia decreto *Tametsi* subesse generaliter censentur. Cujus rei rationem in eo reponimus, quod aliqualis adhuc, sive ob mutatas forsan temporum et locorum circumstantias, sive aliunde, dubii possibilitas non desit, et firmissima, quae pro catholicis, notorietas non habetur, quia mutari circumstantiae potuerunt ; cf. n. 308, 313 sq. 328—330. De necessitate etiam ut prioris matrimonii ab haeretica parte contracti nullitas ecclesiastico judicio ad canonum normam exacto declarata fuerit, antequam novum matrimonium permittatur, vid. Greg. XVI breve 27 maii 1832 ad epp. Bavariae in fine.

(2) Cf. Bouix, *De judic.* t. 2, p. 445 sqq. De hujusmodi dubio cf. etiam secretarius S. C. C. in citt. *Sonoren.* (n. 591) et *Treviren.* 29 januar. 1853 (n. 592).

quando eorum nullitas in foro conscientiae cognoscitur, sed non potest in foro externo probari? 2. An praefati conjuges ad aliud possint admitti matrimonium, quandiu impedimentum sui prioris matrimonii manet occultum, atque nullitas praedicti sui matrimonii non est probata in foro externo? 3. Quomodo agendum sit cum iis, qui ad alias nuptias transiere, quamvis impedimentum prioris sui matrimonii occultum maneat, neque probari possit in foro externo? 4. An liceat hujusmodi conjugibus, si nullum adsit neque timeatur scandalum, in posteriori suo matrimonio remanere, quamvis nullitas prioris in foro externo probata non fuerit? » S. C. de P. F. 11 febr. 1804 respondit : « Ad 1. Negative. Ad 2. Negative. Ad 3. In foro externo secundum matrimonium nullum esse habendum. Ad 4. In foro externo non licere; monendi tamen conjuges ut impedimentum notum faciant, et Vic. ap. utatur facultate dispensandi (1). »

594. Matrimonium, quod declaratur nullum, habet, dummodo alteruter saltem conjux bonae fidei fuerit, validi matrimonii effectus, excepto vinculo, favore conjugis bonae fidei et prolis; ad quod tamen omnino requiritur ut servatis Ecclesiae praescriptionibus fuerit celebratum (2).

Si lata sive nullitatis sive validitatis matrimonii sententia postea reperiatur errori innixa, vel propter detectam novam rem non deductam vel ignoratam judicium instauretur (3), rursus observanda est const. *Dei miseratione.*

(1) Ap. *Collectanea... ad usum operariorum Ap.* n. 850.

(2) Cf. n. 79, 189, 264, c. 34 § 2, ubi peculiariter notabitur an et quaenam proles antea concepta vel nata legitimetur per subsequens matrimonium putativum; vide etiam c. 2 *Qui filii sint legitimi* et canonistas ad eum tit., von Boenninghausen, *Tract. de irregularitatibus,* fasc. 3, Monast. 1866, p. 14 sqq., S. C. C. in *Parisien. Matr.* 11 dec. 1880, 9 apr. 1881 (*Thes.* t. 139, *Anal. jur. Pont.* ser. 20, col. 1045 sqq., *Acta S. Sedis* t. 14, p. 69 sqq.), *Matrimonii* 17 maii 1879, 3 febr. 1880 (Congr. part.; supra p. 86, not. 2).

(3) Cfr. Reiff. n. 118 sqq. 135 sqq. *De sent. et re judic.,* n. 23 *De*

CAPUT XXIX.

DE IMPEDIMENTO DIRIMENTE POST CONTRACTUM MATRIMONIUM DETECTO.

595. Quando post contractum matrimonium detegitur impedimentum dirimens ei obfuisse, magna circumspectione procedat necesse est tam parochus quam confessarius in suo quisque officio implendo. Diversa enim media se offerunt, declaratio nullitatis et omnimoda dissociatio, cohabitatio ut frater et soror, revalidatio, bona fides. Verumtamen ex circumstantiis pendet, utrum hoc an vero aliud rei componendae medium adhiberi queat. Fit interdum unum alterumve praestare alteri, interdum hoc illudve adhiberi prorsus non posse nec licere, interdum etiam unum tantum alterumve praesto esse. Hae autem circumstantiae valde sunt diversae; videndum ex. gr. an impedimentum sit notum vel ignotum partibus earumve alterutri, utrum ratione notitiae aliorum sit publicum an vero occultum (n. 86 sqq.), an matrimonium sit civiliter contractum, an civile divortium obtineri queat vel sit timendum vel jam fuerit pronuntiatum, an christiane et concordi animo vivant, an proles existat, an peccati vel scandali periculum sit, an impedimentum sit dispensabile, si autem canonice, an etiam civiliter, an monitio ignorantis sit profutura nec gravia allatura incommoda. Ex diversitate circumstantiarum pendet medium adhibendum. Illis autem spectatis, raro locus est omnimodae dissociationi vel nullitatis declarationi, fere numquam cohabitationi tamquam frater et soror, ordinarie recurrendum est ad revalidationem, in raro tamen aliquo casu sunt in bona fide relinquendi (1). Haec autem pro casuum diversitate aliquantum

appell., alii canonistae ad eosdem titt., card. archiep. Viennensis litt 21 febr. 1857 ad ep. Transilvaniensem, ap. von Moy, *Archiv* t. 1, p. 488 sqq.

(1) Vid. S. C. de P. F. 13 sept. 1760, ap. cit. *Collectanea* n. 885.

evolvamus, et in casu difficili consilium petatur ab Ordinario vel saltem a viro prudente.

596. Pone 1° impedimentum ratione notitiae aliorum publicum, quod consequenter utrique etiam parti notum est (1).

Necessaria est non tori tantum sed et cohabitationis separatio, quae in hujusmodi casu, quum non agatur de divortio proprie dicto, sed de necessaria et provisoria propter matrimonii nullitatem ordinatione (n. 540), non requirit judicis auctoritatem. Necessaria autem est etiamsi ad revalidationis medium recurratur, adeo quidem ut stricte loquendo ad hoc ipsum procedi, nisi separatione facta, non possit. Attamen non raro, nostris maxime temporibus, partibus revalidationi quidem consentientibus, separationem tamen respuentibus, nihilominus potius pro obtinenda dispensatione recurrendum est, quam ut infelicissimus partium, et forsitan etiam prolis, status persistat. Difficultatem autem postea orituram ex praeviae separationis clausula in dispensatione occurrente, obviam habebimus n. 741, 745.

Alterutri tantum remedio locus est, aut revalidationi aut nullitatis declarationi et omnimodae dissociationi. Posterius solum restat quando impedimentum est indispensabile, in quo nempe dispensatio aut dari non potest aut non datur. Sed etiamsi dispensabile sit, nihilominus illud remedium, praesertim non existente prole, praeferendum est revalidationi, quando partes non vivunt christiane nec sine magna animorum discordia, et tristis nuptiarum exitus praevidetur, ut regulariter etiam, propter rationem mox indicandam, quando civiliter contracti matrimonii dissolutio civilis futura perspicitur (2). Quando autem, non obstante

(1) Non loquimur hic de impedimento natura sua publico (n. 97), sed ratione notitiae aliorum occulto, pro quo observa ea quae numeris sequentibus dicentur de impedimento aliis occulto, sed sive noto partibus earumve alterutri sive utrique ignoto.

(2) Cf. Pii VIII per card. Albani Instr. 27 mart. 1830 ad archiep. Coloniensem et epp. Trevirensem, Paderbornensem et Monasteriensem.

existentia prolis, ad dissolutionem proceditur, cura prolis non est negligenda.

Contra vero regulariter abstinendum est ab omnimoda dissociatione et revalidatio praeferenda, quando huic non obstant rationes gravissimae, et civilis matrimonii dissolutio seu civile divortium non poterit obtineri, et consequenter aut partes sunt exponendae periculo incontinentiae, non contrahendo alias nuptias canonice validas, aut proles ex his postea procreanda gravissimum propter civilium effectuum absentiam detrimentum est subitura. Regulariter enim partes, nisi novo contracto matrimonio, incontinentiae periculo sunt expositae. Regulariter etiam propter futurae prolis detrimentum non est permittendum novum matrimonium canonice validum, superstite alterius canonice invalidi civili vinculo, ut nec matrimonium quodvis cui civiles effectus decerunt. In rarissimo tamen aliquo casu, ita exigente animarum salute, licitum illud esse potest (n. 71 sq.). Quando autem propter circumstantias sive prolis existentis sive alias petenda est revalidatio, ad hanc exhortandae sunt partes et regulariter tenentur.

597. Pone 2° impedimentum ratione notitiae aliorum occultum sed utrique parti notum.

Omnino sunt separandae quoad torum, sed quum pro conjugibus habeantur, et ex cohabitationis separatione sequerentur scandalum et infamia, ea ordinarie non est facienda nec necessaria, nisi ex partium dispositione et experientia proximum peccandi periculum existere noscatur quod removeri nequeat. Tunc autem praetextu aliquo, ex gr. itineris, separatio coloretur, ut et peccatum et scandalum et infamia praeveniantur. Quod si fieri nequeat vel cohabitationis separatio obtineri non possit, meliori quo fieri poterit modo peccandi periculum praevertatur. In memoriam etiam hic redeat quod notatum fuit n. 596 vs. *Attamen* sq. Cavendum autem est ne aliis innotescat impedimentum (1).

(1) Cf. Ben. XIV, *Inst. eccl.* 87, n. 24, Carr. n. 1382.

Si impedimentum est indispensabile seu in quo dispensatio aut dari nequit aut non datur, in rarissimo aliquo casu locus esse potest cohabitationi tamquam frater et soror, sed fere semper istud medium propter incontinentiae periculum erit rejiciendum p. 415, not. 2, coll. n. 547, quare ordinarie in sola nullitatis declaratione remedium habetur. Si vero validari matrimonium queat, numquam est cogitandum de cohabitatione ut frater et soror, sed aut de nullitate declaranda aut de validando matrimonio. Utra autem via sit eligenda, id pendet ex circumstantiis n. 596 vs. *Alterutri* sq. indicatis, quibus consideratis, fere semper erit curanda, et non raro vera obligatione id exigente, revalidatio.

598. Pone 5° impedimentum ratione notitiae aliorum occultum et utrique parti ignotum.

Si sperari possit monitionem esse profuturam, quia partes praevidentur obtemperaturae et remedium adhibiturae illud quod in casu circumstantiae omnino postulant nec gravibus incommodis locum daturae, prudenter sunt monendae. Simul igitur injungenda est separatio tori, et de cohabitatione dicendum est ut n. 597 : cavendum etiam ne aliis impedimentum innotescat.

Sed quale porro remedium adhibebitur? Si impedimentum est indispensabile, cogitari potest de cohabitatione ut frater et soror et de nullitate declaranda. Priori in rarissimo aliquo casu locus esse potest, vix unquam tamen est (n. 597 vs. *Si impedimentum*, unde, si circumstantiae sint ejusmodi ut propter gravissima motiva a nullitatis declaratione abstineri debeat, ordinarie potius debuisset omitti monitio quam locus dari necessitati cohabitandi ut frater et soror, quae numquam est inducenda nec permittenda nisi quando eam moraliter certo servatum iri noscitur. Si vero nullitatis declarationi gravissima incommoda non obstent, ad eam procedendum. Impedimento autem existente dispensabili, applica dicta n. 596 vs. *Sed etiamsi* sq. et n. 597 vs. *Si vero* sq.

Quodsi sperari nequeat monitionem esse profuturam, quia par-

tes praevidentur non obtemperaturae, sed aut eam neglecturae aut remedium adhibiturae in casu omnino vitandum et gravia incommoda provocaturum, in bona fide (1) relinquantur necesse est, ut et gravia incommoda secus oritura et peccata formalia praevertantur. Ejusmodi praxim servatam olim voluit etiam card. Caprara in sua Instructione 25 apr. 1803 (2). Quum autem bona fides possit etiam nonnumquam circa juris naturae impedimentum existere, ex. gr. circa impotentiam, vel si ex errore facti bona fides proveniat, etiam ejusmodi impedimento juris naturae praedicta praxis interdum applicanda est, nec sentiendum cum iis qui volunt pro tali impedimento semper esse monitionem faciendam.

Fit etiam interdum nunc quidem monitionem non profuturam, profuturam tamen postea si parata habeatur dispensatio curis parochi vel confessarii jam obtenta. Tunc itaque expedit ut is prius eam, insciis partibus, obtineat, et deinde una cum monitione

(1) Bonam fidem hic intelligimus eam ignorantiam quae efficit dubium de valore nuptiarum non haberi, et consequenter bonam fidem non impedit ignorantia alias culpabilis vel peccatum etiam ita contrahendo commissum: tunc solum ignorantia mortaliter culpabilis bonam fidem in nostro casu impedit, quando talis est ut dubium de valore menti ignorantis injiciat. Quando autem in bona fide relinquuntur partes, difficultas quidem oriri potest circa rationem agendi a confessario servandam, si poenitens ex odio aliove improbando motivo debiti redditionem neget. Quum tamen in hisce circumstantiis poenitens in conscientia teneatur reddere debitum, non perspicitur quare non posset eum confessarius cogere ad hanc obligationem implendam; cf. S. Alph. De poenit. n. 611, et *Homo Apost.* tr. 16. n. 113, Carr. n. 1386, tr. Mechl. n. 93 in fine. At si in casu quo praestat in bona fide partes relinqui, poenitens dubium circa matrimonii valorem exprimat, confessarius prudenter exquirat dubitandi motivum, quod si videat non esse causam nullitatis, ita respondebit, quamquam ipse aliunde sciens matrimonii invaliditatem. Si vero poenitentis dubium causam nullitatis contineat, tenebitur confessarius respondere juxta rei veritatem, et procedendum est ut sub quarta hypothesi dicetur; cf. S. Alph. De poenit. n. 616.

(2) Part. 1, n. 3; ap. (Moser), *De impedim. matr.* App. n. 16.

communicet. Vitatur ita periculum proximum peccatorum, quae profecto ratio sufficiens est differendae monitioni, licet non existat ratio sufficiens omittendae.

Denique contingere potest unam quidem partem posse absque gravi incommodo moneri, non vero alteram, sive quia prioris crimen impedimento dedit causam sive propter aliam rationem. Si autem altera pars numquam monenda praevideatur, regulariter neutra monenda est in casu impedimenti indispensabilis, in casu vero impedimenti per sanationem in radice dispensabilis haec ordinarie prius petatur, eaque obtenta moneatur illa quae moneri potest, ut haec, sanatione in radice applicata, novum consensum praestet. Sanationis in radice ordinarie prius obtinendae ratio est difficultas secus circa usum matrimonii oritura. Quamquam enim debet monitio unius prius fieri, si haec interim vitare possit quaecumque non conjugatis illicita, ordinarie tamen fieri non potest, et saltem non est illa imprudenter in tantam difficultatem projicienda.

Si nunc quidem altera pars moneri absque periculo gravis incommodi nequeat, postea vero et ipsa praevideatur, parata prius dispensatione, posse moneri, prius obtineatur, non sanatio in radice, sed simplex dispensatio, ut, hac obtenta, per compartem moneatur altera, dispensatio applicetur et consensum utraque renovent. Interim autem ordinarie nec compartem esse monendam efficit ratio paulo supra allata circa usum matrimonii. Porro ex his patet sanationem in radice, non vero simplicem dispensationem, esse petendam, quoties de futura alterius partis monitione possibili dubium merito habetur. Quoties autem neutra pars umquam potest moneri, sed in bona fide relinquuntur (sup. vs. *Quodsi*), hoc solum esse faciendum, et non esse, insciis et numquam monendis partibus, sanationem in radice petendam existimamus (n. 770 vs. *Tertiam* sqq., coll. n. 627 in fine).

599. Pone 4° impedimentum aliis occultum sed uni parti notum.

Prorsus huic illicitum est sive petere sive reddere debitum, sed an impedimentum vel saltem matrimonii nullitas debeat ab ea communicari comparti, id pendet ex circumstantiis. Quando impedimentum est indispensabile seu in quo dispensari nequit vel non dispensatur, communicatio illa necessaria est, et, hac facta, non restat nisi aut in rarissimo casu cohabitatio ut frater et soror aut ordinarie nullitatis declaratio. Sed quando dispensabile est impedimentum, circumstantiae sunt inspiciendae.

Si non timeantur gravia incommoda nec ex partis notitiam habentis crimine impedimentum proveniat, regulariter illa debet impedimentum vel saltem matrimonii nullitatem comparti manifestare. Quo facto, numquam est cogitandum de cohabitatione ut frater et soror (n. 597 vs. *Si vero* sq.), vix umquam etiam de nullitatis declaratione, ordinarie vero de sola revalidatione per simplicem dispensationem. Quod si, ut saepe continget, timeantur incommoda vel ex proprio crimine impedimentum proveniat, monitio facienda non est sed petenda dispensatio et revalidandum matrimonium. Media quidem varia indicant auctores, quibus se a debito reddendo apud compartem pars illa excusare valeat, sed non semper idem arripi poterit, semper magna est hac in re difficultas, et idcirco etiam celeriter est procuranda dispensatio. Quum autem in simplici dispensatione semper ponatur clausula ut, certiorata comparte, consensus renovetur, simplex quidem dispensatio peti poterit, si praevideatur posse, illa obtenta, saltem postea absque gravi incommodo moneri compartem; si vero nec hoc praevideatur, non simplex dispensatio sed sanatio in radice erit petenda, idque ordinarie contingit. Si vero moneri postea posse praevideatur, manifestatio differetur usque ad obtentam simplicem dispensationem, et interim, ut patet, illicita est debiti etiam redditio, quae itaque meliori quo fieri potest modo est neganda. Colligitur ex dictis in quarta etiam nostra hypothesi ordinarie unicum remedium esse revalidationem.

CAPUT XXX.

DE POTESTATE DISPENSANDI IN IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

600. Hanc potestatem ecclesiasticae auctoritati, nullatenus vero civilibus principibus, competere, initio hujus libri constitit (1). Quibusnam autem in Ecclesia haec potestas est, et intra quos limites?

§ 1. *Romanus Pontifex.*

601. Proprie dictam dispensationem dare Pontifex nequit in consensu naturali, aliisque ad matrimonii substantiam requisitis; in reliquis quoque quae sunt juris naturae vel divini eam largiri nequit, nisi hanc ei potestatem jus divinum fecerit; declarationem tamen de iis edere potest, quae et ipsa nonnumquam latiori et minus proprio sensu dispensatio appellatur (2). Olim quidem multum disputabatur de Rom. Pontificis potestate dispensandi in matrimonio rato, non consummato, sed hodie fas non est eam in dubium vocare; eam enim probat traditio, observantia seu continuata plurium saeculorum praxis Sedis Ap., unde interpretatio juris divini optime colligitur (3). Hujus au-

(1) Speciatim n. 6 sqq. coll. n. 2; cf. etiam Giovine, t. 1 init. et p. 15 sqq. 19 sqq.

(2) Cf. Giovine, t. 1, p. 71 sq. 101 sq. Huc pertinere censemus dispensationem circa casum Apostoli; cf. n. 471, 486 vs. *At quando,* 487 vs. *Verum*, 488 sq. 491, 493-496, 602. Ejusdem etiam, saltem ex parte, indolis est dispensatio in impedimentis impedientibus voti castitatis vel religionis, et sponsalium; cf. Giovine, t. 1, p. 101 sqq. De potestate Pontificia dispensandi in sponsalibus cf. n. 557, 604. 649. de Angelis, t. 3, part. 1, p. 18 sq.

(3) Cf. secr. S. C. C. (postea Ben. XIV) in *Florentina* reproposita 29 mart. 1727 (*Thes.* t. 4); cf. eumdem *De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione,* l. 1, c. 42, n. 13, Perrone, *De matr. christ.* ed. Rom. t. 3, p. 504 sqq., van de Burgt, n. 450 sqq., Giovine, t. 1, p. 451

tem potestatis exercitae multa sunt exempla tum antiqua tum recentia (1).

Ut haec dispensatio obtineatur, requiritur 1° plena probatio matrimonium non fuisse consummatum ; quamquam autem ratum tantum hoc manet, si solummodo ante matrimonium copula perfecta intercessit (n. 520), patet tamen in isto casu nonnisi in extraordinariis omnino circumstantiis posse probationem haberi eam non fuisse secutam post initum matrimonium (2). 2° Requiritur causa gravis ex circumstantiis ponderanda, eaque sive publica propter regni vel provinciae bonum, sive privata, ex. gr. extraordinariae et implacabiles inter conjuges inimicitiae, superveniens infirmitas usum matrimonii impediens, voluntaria et nimis protracta alterius dilatio ad consummandum, vel quando alteruter, derelicto conjuge, consummavit matrimonium cum alio attentatum, plerumque vero quando valde quidem verisimilis est unius impotentia, non tamen sufficienter probata, saltem quoad

sqq., Gury et Ballerin. t. 2, n. 759 sub 1°, *Vindiciae Alphonsianae*, ed. Rom. p. 800 sqq., ed. Tornacen. t. 2, p. 461 sqq., de Angelis l. c. p. 261 sqq. Merito igitur Carr. *Compend.* n. 94 dicit practice certam hanc potestatem. quam in dubio olim reliquerat in op. *De matr.* n. 326 sqq. Merito etiam eam Pontificis potestatem, quam olim negaverat, agnovit Walter in op. *Lehrbuch des Kirchenrechts*, ed. 11, Bonn. 1854, et deinceps.

(1) Antiquiora inter alios referunt Fagn. n. 11 ad c. *Perniciosam*, 1 *De off. ord.*, Conrad. l. 7, c. 5, n. 53, l. 8, c. 7, n. 26, 33 sqq., Pignat. t. 1, consult. 148, Clericat. decis. 15 de Sacr. matr. n. 20 sqq., de Angelis l. c.; vid. etiam *Januen.* 22 nov. 1622, ap. Bizzarri, *Collectanea in usum Secretariae S. C. Ep. et Reg.* p. 290. In Append. n. IV collegimus multas causas recentiores, in quibus S. C. C. consuluit SS^mo^ pro dispensatione, quam generatim fuisse concessam dubium non est, licet non de omnibus id reperiatur notatum.

(2) De necessitate non consummationis, et quandonam matrimonium dicatur consummatum, et quomodo sit probanda non consummatio, cf. n. 520, 544 sqq., Giovine, t. 1, p. 457 sq. 477 sqq., *Acta S. Sedis* t. 10, p. 399 sq., S. Off. 10 maii 1801 (*Collectanea. . ad usum operariorum Ap.* n. 963), 9 apr. 1851 ad 2 (Ib. n. 964), Pius IX 24 aug. 1851 (Ib. n. 965), S. Off. 5 jul. 1854 (Ib. n. 966), 28 junii 1876 (Ib. n. 967).

ejus antecedentiam et perpetuitatem, ut locus sit dissolutioni ex justitia, vel quando est tantum superveniens (1). Alterius autem partis consensu opus non est (2). Quomodo instantia pro hac dispensatione obtinenda debeat fieri et terminari, indicat Ben. XIV § 15 const. *Dei miseratione* (3). Eadem etiam circa matrimonium verum, non consummatum, in infidelitate contractum, potestas Pontifici est, dummodo saltem alteruter Baptismum susceperit; utroque enim manente infideli, non solum ea numquam utetur Pontifex, verum etiam negari haec potestas solet, quia infideles ei non subjacent. An autem, alterutro saltem baptizato, ad dispensationem necessario requiratur matrimonium numquam fuisse consummatum, mox examinabitur.

602. Certum est non posse Pontificem dispensare in vinculo matrimonii consummati duorum fidelium; quare potestas haec neganda etiam est pro matrimonio in infidelitate contracto sed post utriusque Baptismum consummato. Disputatur vero possitne Pontifex dispensare in matrimonio contracto in infidelitate, et sive tunc sive post unius tantum Baptismum consummato (4). Sunt graves auctores qui hanc potestatem admittunt (5), his prae-

(1) De variis causis cf. Corrad. ll. cc., de Justis, l. 2, c. 10, n. 21 sqq., Clericat. l. c. n. 43 sqq., *Acta S. Sedis* t. 9, p. 313, praesertim vero Giovine, t. 1, p. 458 sqq., qui probationes et procedendi modum pro causarum diversitate exponit, observato maxime discrimine quod in casu impotentiae intercedit inter processum pro nullitate ex justitia et processum pro dispensatione seu ex gratia. Cf. etiam quae diximus n. 545.

(2) Cf. Corrad. l. 7, c. 5, n. 53, Giovine, t. 1, p. 456 sq.

(3) Vid. p. 479; cf. etiam Giovine l. c., praesertim vero p. 466 sqq., 503 sqq.

(4) Cf. n. 84, 367, 380, 408. 440, 486, 489, 491, 494-496, 501, 576 in fine. Aliunde excludi casum duorum adhuc infidelium vid. n. 601 in fine.

(5) Inter quos Verricelli, *De Apostolicis missionibus*, q. 98 dub. 16, n. 180, q. 176 n. 1, q. 177 n. 7, 11, 14, 18 sq., S. Alph. n. 897 prob. 1, n. 902 q. 2, et praesertim n. 956, Scavin. t. 4, n. 656, Ballerin. ad Gury, t. 2, n. 759 sub 1° et 3° in fine, 789 resp. 2, Palmieri et Biederlack ll. cc. sup. p. 365 not. 3.

cipue argumentis innixi. 1° Vinculum matrimonii rati fidelium fortius est vinculo matrimonii consummati infidelium (n. 500); in illo tamen dispensare Pontifex potest. 2° Hanc potestatem agnoverunt ipsi Pontifices eaque usi sunt concedentes ut conversus maneret cum comparte conversa, relicta priori manente infideli. Imprimis quidem verbis suis hanc potestatem agnoverunt, ex. gr. Greg. XIII : « Nos attendentes hujusmodi connubia inter infideles contracta vera quidem, non tamen adeo rata censeri ut necessitate suadente dissolvi non possint (n. 474) », et Urb. VIII : « Nos attendentes hujusmodi infidelium matrimonia non ita censeri, quin necessitate suadente dissolvi possint (Ib. et n. 486). » Actu quoque hanc potestatem in praefato casu exercuerunt, ex. gr. S. Pius V (n. 473), Greg. XIII, praecise innixus supra allato motivo (n. 474), Urb. VIII (Ib. et n. 486). Hujusmodi enim actus pontificii dicendi sunt praefatam involvere dispensationem, et absurde a nonnullis dicuntur Pontifices illi nihil aliud egisse quam, peculiaribus suadentibus circumstantiis, rigorem judicialis interpellationis auferre, seu canonicarum legum rigorem temperare, loco formalis ac rigorosae interpellationis judicialis admittendo in favorem fidei extrajudicialem notitiam, quod vel omnino ignoretur ubinam degat infidelis, vel saltem judicialiter interpellari nequeat. Absurde etiam nonnulli conantur actus illos pontificios ita explicare, ac si niterentur in discedendi voluntate a parte infidelis, scil. ex circumstantiis, argumentis, extrajudicialibus notitiis, colligeretur infidelem non velle converti nec cohabitare. Ipse Ben. XIV hanc potestatem Pontificis propugnat, eamque a S. Pio V et Greg. XIII in praxim fuisse deductam affirmat (1).

(1) Scribit S. Alph. n. 897 prob. 1 et n. 956, Benedictum id de S. Pio V et Greg. XIII asseruisse *De syn.* l. 13, c. 21, n. 3, et in quadam dissertatione quam innuit ib. l. 6, c. 4, n. 5, imo ipsum in hac dissertatione fuse defendisse hanc potestatem. Similiter etiam, S. Alphonsum secutus, de Benedicto loquitur Scavin. l. c. Sed cf. inf. p. 505 sq.

Cum aliis vero (1) hanc potestatem negamus, his nixi motivis : 1° Matrimonii indissolubilitas existit a principio mundi jure divino, ut patet ex Gen. II et Matth. XIX, quae testimonia saltem respicere matrimonium consummatum liquet ex c. 7 *De convers. conj.* et. c. un. *De voto et voti redempt.* in VI. Hujus autem vinculi dissolutio fieri nequit nisi in casu expresso ab ipso indissolubilitatis auctore; is vero unicum tantum expressit, qui est pro casu Apostoli I Cor. VII. Restaret igitur pontificiae potestatis probatio seu juris divini interpretatio facienda ex traditione seu praxi, quemadmodum fit pro dispensatione in matrimonio rato tantum; hanc vero probationem deficere constabit ex tertio motivo. 2° Vinculum matrimonii rati fidelium non est fortius vinculo matrimonii consummati infidelium; cf. n. 500; cadit igitur primum adversariorum argumentum (2). 3° Nullum prorsus habetur

(1) Inter quos recentius Perron. *De matr. christ.* ed. Rom. t. 2, p. 318, ed. Leod. t. 2, p. 301, *Prael. theol.* de matr. n. 78, 105, de Angelis l. c. p. 320 sq. 327 sqq., Laemmer ap. Vering. *Archiv* t. 11. p. 248. Braun ib. t. 46. p. 388, 392 sqq., t. 51, p. 209 sqq., Giovine, t. 1, p. 451, 508 sq. 513, 519. 522. Nec Benedictum XIV huic potestati favere mox patebit.

(2) Sunt qui addant sequentem argumentationem, qua uti nolumus. Matrimonium ratum significat unionem Christi cum anima justa, et matrimonium consummatum unionem inter Christum et Ecclesiam per carnem assumptam, idque etiam in matrimonio infidelium obtinet, quamquam non est proprie Sacramentum. Id confirmatur ex eo quod irregularitas bigamiae, descendens ex defectu significationis unionis Christi cum Ecclesia per carnem assumptam, locum etiam habeat in eo qui duxit unam uxorem ante et aliam post Baptismum. Abstinemus etiam a quaestione quandonam matrimonium, in infidelitate initum, post Baptismum fiat matrimonium fidelium et Sacramentum; de ea cf. Perron. *De matr. christ.* ed. Rom. t. 2, p. 293 sqq., ed. Leod. t. 2, p. 278 sqq. Qua quidem in re sunt qui scribant, si ejusmodi matrimonium fuerit in utriusque infidelitate consummatum, potestatem pontificiam, una etiam tantum parte conversa, excludi, quia est matrimonium fidelium et consummatum; consummationis enim in infidelitate factae rationem haberi etiam post conversionem. Iidem hac ipsa de causa potestatem pontificiam multo magis excludunt post utriusque Baptismum. De hujusmodi rationibus cf. Perron. op. cit. ed. Rom. t. 3, p. 511 sq., ed. Leod. t. 3, p. 473 sq.

exemplum hujus potestatis exercitae. Dispensationem ejusmodi, non obstante consilio Navarri (1), negavit Sixtus V a. 1588, et immerito afferuntur exempla S. Pii V, Greg. XIII, Urb. VIII cet., quorum actus aliam omnino explicationem congruam habent n. 489, 493 sqq.) (2), diversam ab illa quae in secundo adversariorum argumento videtur jure merito repelli, et quam nos ipsi n. 489 repellendam duximus. Verba quoque Pauli III, n. 472 allata, non posse de dispensatione pontificia intelligi, sed alium habere sensum vidimus n. 486. Demum verba Greg. XIII et Urb. VIII non innuunt necessario dispensationem pontificiam, sed optime congruunt dissolutioni in casu Apostoli ex declaratione juris divini. Benedicto autem XIV erronee adscribitur quod is expresse rejicit (3). Ipsa demum S. Sedes plus semel declaravit

(1) Consil. 3, l. 3, *De convers. infid.*

(2) Quod autem dicit Ballerini eos, qui horum Pontificum acta explicant per dispensationem ab interpellatione, ridiculam inducere scenam Pontificis, Ap. auctoritate dispensantis ab interpellando eo conjuge, qui interpellari non potest, id non tenet; nam 1° dispensatio haec sensum habet declarationis juris divini, posse novum matrimonium contrahi; 2° ipsa S. Sedes in suis instructionibus et indultis utitur verbis exprimentibus dispensationem ab interpellatione; cf. Braun ap Vering, *Archiv* t. 46, p. 396, t. 51, p. 217.

(3) Cf. n. 489. Ut secretarius S. C. C. in *Florentina* 27 jul. 1726 (*Thes.* t. 3) nullum, quod sciret, exemplum esse affirmabat, atque idcirco in hac quoque causa, quidquid esset de potestate, hujus usum absque dubio periculosum existimabat. Dicta autem die S. C. quoad dubia nostram quaestionem concernentia resolvit « Dilata, et scribant theologi et canonistae, et perquirantur exempla, et ad mentem. » Mens haec reperitur indicata in causae repropositione, ut nempe archiepiscopus, ad evadendam hanc difficilem quaestionem, aliud a S. C. indicatum remedium conaretur obtinere. Quod quum obtineri non potuisset, causa fuit reproposita 29 mart. 1727 (*Thes.* t. 4), et pro ea Benedictus confecit eam, de qua S. Alph. loquitur, dissertationem seu discursum. In hoc autem Benedictus utriusque opinionis argumenta refert, ipse vero ab omnibus scholae subtilitatibus praescindens, diversos enumerat casus in quibus cessat matrimonii indissolubilitas; et postquam memoravit dispensationem in matrimonio rato, addit unumquemque facili negotio colligere posse, a dissolutione matrimonii rati inter fideles non valere argumentum pro dissolutione ma-

dispensationem, de qua agitur, non concedi (1), quae declaratio

trimonii consummati infidelium, cum in hoc non habeantur, ut pro matrimonio rato, traditio, observantia, praxis, ex quibus interpretatio juris divini colligi possit. Hanc enim praxim dicit non argui ex brevibus et actibus S. Pii V, Greg. XIII cet.; et indubitanter rejicit ejusmodi illorum Pontificum actus explicandi rationem; ipse vero eos explicat per dispensationem in interpellatione, eo scil. modo quem non satisfacere diximus paulo supra et n. 489. Porro die illa 29 mart. 1727 S. C. resolvit : « Scribatur juxta Instructionem. » Quid autem resolverit S. C. innotescit ex verbis Benedicti, *De syn.* l. 6, c. 4, n. 5 : « S. C. satius duxit a sententia ferenda abstinere; quoniam, etiam data Pontificia potestate rescindendi prius vinculum conjugii in infidelitate contracti, nihilominus, quod nos S. Congregationi insinuare non praetermisimus, merito dubitabatur, num eae adessent gravissimae causae, quae necessariae sunt, ut per Ap. dispensationem dirimatur. » Eadem, quae supra, Benedicti mens patet ex op. *De syn.* l. 6, c. 4, n. 5 et l. 13, c. 21, n. 4 sqq. In priori loco in memoriam revocat ea quae allegaverat in cit. *Florentina* reproposita 29 mart. 1727; idipsum facit in posteriori loco. sed ibi praeterea scribit : « Itaque ad ea, quae ibi diximus, hic nihil addemus : sententiam vero nostram de praemissis Constitutionibus declarantes, dicimus, duos illos summos Pontifices, expositis sibi difficultatibus consulturos, nihil aliud egisse, quam canonicarum legum rigorem temperare, in eo quod pertinet ad judicialem interpellationem [vide hanc nostram notam paulo supra]... Id satis aperte colligitur ex ipso Brevi S. Pii Papae V... Idemque clare etiam infertur ex aliis Greg. XIII litteris... In quo profecto nullus extraordinariae illius potestatis usus apparet, qua vinculum matrimonii in infidelitatis statu consummati dissolvere in animo habuerint : sicuti egregie animadvertit Pontius... Verricellus... diversae videtur esse sententiae, et in eam propendere, ut praedictae Apostolicae Constitutiones solutionem vinculi matrimonii in infidelitate consummati revera importent; etenim animadvertit, Greg. XIII in suis litteris usum esse sequentibus verbis : *Nos attendentes*... praeterea eumdem concessisse Episcopis, Parochis, et Missionariis facultatem dispensandi cum neophytis, ut cum fideli possint matrimonio conjungi, *etiam superstite conjuge infideli, et ejus consensu minime requisito, responso non expectato*... Verum ex his inferri recte non potest, voluisse Pontificem matrimonia in infidelitate contracta, et consummata, Ap. auctoritatis plenitudine dirimere. » Fuse deinde Benedictus prosequitur refutationem Verricelli aliorumque, qui actus S. Pii V et Greg. XIII explicant per dispensationem in vinculo matrimonii tempore infidelitatis consummati.

(1) Vid. S. C. de P. F. 8 oct. 1631 (*Collectanea... ad usum operariorum Ap.* n. 921), S. Off. 11 mart. 1868 ad 1 (Ib. n. 917).

valde mira foret si acta S. Pii V aliorumque Pontificum eum haberent sensum quem iis adversarii attribuunt.

603. In omnibus impedimentis juris ecclesiastici Romanus Pontifex dispensandi potestatem habet vi sui primatus; nemini vero alteri, cujuscumque etiam dignitatis, episcopo ea potestas est nisi Pontifex concesserit, quum agatur de lege superioris; consuetudine etiam acquiri non potest nisi de Pontificis approbatione constet (1). Ipse etiam Pontifex, ut postea patebit, in nonnullis impedimentis, quamquam potest, non dispensat, unde talia quoque impedimenta dicuntur indispensabilia. Solet autem Pontifex potestatem dispensandi exercere per Romanas Congregationes vel Tribunalia seu Officia. Pro foro externo seu in publicis utitur Dataria, sed dispensationes pro supremis principibus expediuntur per Secretariam Brevium, item literae Revalidatoriae seu *Perinde valere* super Brevibus ab eadem Secretaria emanatis (2). S. Officium dispensat in impedimentis ortis ex publico delicto ad illud spectante, ex. gr. impedimento mixtae religionis, vel quando polygamia aut crimen publicum intervenit. Nonnumquam Pontifex determinatae Congregationi vel Tribunali dispensationem committit, et in graviori negotio interdum utitur S. C. negotiis ecclesiasticis extraordinariis praeposita. Pro foro conscientiae

(1) De dirimentibus praesertim impedimentis vid. Clem. XIII litt. 4 sept. 1759 ad ep. Santonensem, Pii VI litt. 2 febr. 1782 ad archiep. Treviren. ap. (Moser) *De imped. matr.* App. n. 10, ejusdem Pontificis litt. 20 januar. 1787 ad archiep. Colonien. et ep. Monasterien., ap. Pacca, *Memorie storiche... sul di lui soggiorno in Germania,* Rom. 1832, App. docum. 4, item *Responsio ad Metropolitanos... super nunciaturis Apostolicis,* a. 1789, c. 1, n. 6 sqq. ac passim alibi, Pii VII litt. 17 febr. 1809 ad epp. et vicarios capitulares Galliarum, ap. Moser, App. n. 17. Cf. etiam Rigant. in reg. 49 Canc., Ben. XIV, *De syn.* l. 9, c. 1, n. 5 sqq., c. 2, n. 1 sqq., Perrone, *De matr. christ.* ed. Rom. t. 2, p. 83-132, Giovine, t. 1, p. 69-104.

(2) Cf. Ben. XIV § 5 const. *Gravissimum* 26 nov. 1745 (*Bullar. Ben. XIV,* t. 1, const. 145, ed. Mechl. vol. 3, p 300), Giovine, t. 2, p. 77, ubi diversa alia notantur quoad supplicationem dirigendam.

seu in occultis Pontifex utitur S. Poenitentiaria, per quam interdum etiam et per modum exceptionis, juxta mox dicenda, dispensatur pro foro externo seu in publicis. In dioecesibus S. C. de Prop. Fide subjectis dispensationes regulariter hac mediante petuntur. Solent etiam quaedam facultates concedi Nuntiis Apostolicis (1), Episcopis, vicariis Apostolicis, aliis. Duo igitur praecipua et ordinaria sunt dispensationum Apostolicarum organa, Dataria pro foro externo seu in publicis, S. Poenitentiaria pro foro conscientiae seu in occultis; de hujus autem facultatibus fusior hic mentio necessaria est, prae oculis praesertim habita Ben. XIV const. *Pastor bonus* 13 apr. 1744 (2).

604. Ex hujus const. § 39 in matrimoniis contrahendis potest Major Poenitentiarius, in foro conscientiae tantum, dispensare vel dispensari mandare super impedimentis impedientibus occultis; item super omissione denuntiationum, etiam ad effectum contrahendi secreto, servatis tamen, quando de matrimoniis *conscientiae* agitur, praescriptionibus const. *Satis Vobis* 17 nov. 1741 (n. 343 sqq.).

In hac igitur facultate continetur dispensatio occulti voti simplicis castitatis, ingrediendi Religionem, suscipiendi Ordines, non nubendi, dispensatio etiam in sponsalibus occultis (3) et in denuntiationibus, non vero dispensatio in interdicto seu vetito Ecclesiae (4), neque in mixta Religione (5), neque in probatione status liberi, neque in tempore feriato (6).

605. Juxta cit. const. § 39 pro matrimoniis contrahendis super

(1) Cf. Giov. t. 1, p. 103 sq. Quum eorum facultates ex literis Apostolicis, quas singuli accipiunt, sint cognoscendae, de legatis Apostolicis mentionem amplius non faciemus.

(2) § 39 sqq.; *Bull. Ben. XIV*, t. 1, const. 95; ed. Mechl. vol. 2, p. 223 sqq.; vid. etiam *Inst. eccl.* 87.

(3) Cf. Ben. XIV, *Inst. eccl.* 87 n. 3 sq., Giovine, t. 2, p. 79, n. 3.

(4) Cf. Ben. XIV et Giovine ll. cc.

(5) Cf. Giovine l. c. et t. 1, p. 292.

(6) Cf. Giovine, t. 2, p. 79, n. 3.

quocumque impedimento proveniente ex quovis gradu, sive consanguinitatis, sive affinitatis ex copula licita, sive ex cognatione spirituali, dispensare nequit etiam in foro conscientiae tantum, tametsi impedimentum sit occultum, et periculum scandalorum immineat. Horum impedimentorum relaxatio ideo videtur Majori Poenitentiario prohibita, quia, etiamsi in aliquo casu sint aliis occulta, natura tamen sua sunt publica et facile deteguntur (1).

Attamen potest Major Poenitentiarius dispensare in publica honestate orta ex sponsalibus occultis (2 ; quae quidem facultas non probat publicam honestatem in eo casu non esse impedimentum natura sua publicum, sed ideo forsitan data fuit, quod difficilius in aliorum notitiam veniat (3).

606. « In contractis vero matrimoniis, a dispensatione, seu matrimonii revalidatione in gradibus primo et secundo, seu secundo tantum, consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita, etiam in occultis, pariter abstineat; praeterquam si in secundo tantum gradu praedicto impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, et Oratores simul publice contraxerint, et uti conjuges legitimi reputati fuerint (4). In tertio autem, et quarto gradibus occultis, in contractis possit dispensare (5); atque etiam

(1) Cf. n. 97, Ferrari, t. 2, n. 419, Giovine, t. 2, p. 80, n. 4, Bangen, tit. 2, p. 167, 169.

(2) Cf. n. 391, 606 in fine, Ben. XIV, *Inst. eccl.* 87, n. 7.

(3) Imo Bangen, tit. 2, p. 171, scribit sibi videri impedimentum publicae honestatis suapte natura semper versari in foro externo, quamvis per accidens lateat, atque idcirco se opinari esse anomaliam, quod in praefato casu dispensatio possit impetrari a S. Poenitentiaria; addit tamen hanc anomaliam esse pro praxi hujus sacri tribunalis tacite approbatam a summo Pontifice.

(4) Hujus concessionis ratio videtur esse, quod in isto casu impedimentum, quamquam natura sua publicum, difficilius in aliorum notitiam veniat, ut patet ex lapsu decennii, quo durante non fuit ea notitia habita, licet de secundo ideoque non remoto gradu ageretur.

(5) Ratio rursus ea esse videtur quod impedimentum in his gradibus difficilius innotescat aliis, ut patet ex ipsa circumstantia jam contracti

in iisdem tertio, et quarto gradibus publicis, possit revalidare matrimonia, ex causa subreptionis, et obreptionis occultae Literarum Apostolicarum nulliter contracta; praeterquam si falsitas consistat in narratione praecedentis copulae, quae antea revera non intercesserat (cit. const. § 40) (1). »

Pro jam contracto matrimonio potest Major Poenitentiarius dispensare etiam in occulta cognatione spirituali, de qua in cit. § 40 nulla mentio est (2). Potestas quoad publicam honestatem indicata n. 605 vs. *Attamen*, contracta quoque matrimonia comprehendit.

607. « Quod si aliqui Oratores obtinuerint a Nostra Dataria dispensationem super gradu prohibito in primo et secundo, vel in secundo tantum, ac etiam in tertio, vel quarto, cum reticentia copulae inter eos sequutae, quam sine honoris detrimento detegere non valeant; et ratione hujusmodi reticentiae petant dispensationem pro matrimonio contrahendo, seu revalidationem matrimonii contracti; possit idem Major Poenitentiarius, si copula sit adhuc secreta, hujusmodi dispensationem, seu respective revalidationem in foro conscientiae tantum concedere; facta, quando agitur de primo et secundo, vel secundo tantum gradu, compositione quinquaginta ducatorum auri de Camera ad Datariam transmittendorum, ad effectum (ut inconcussi moris est) erogandi in eleemosynas; nisi prior gratia expedita fuisset in forma pauperum; quo casu etiam haec gratia similiter absque alia compositione expediatur (cit. const. § 41). » Et § 42 : « Si qui vero Oratores, obtenta dispensatione a Dataria super impedimento primi, et secundi, sive secundi dumtaxat gradus consanguinitatis, seu affinitatis, cum expressione quidem carnalis

matrimonii et ab aliis tamen ignorati impedimenti: mirum autem non est non requiri lapsum decennii, quum de magis remotis gradibus agatur.

(1) Cf. Ben. XIV, *Inst. eccl.* 87, n. 8-11, Giovine, t. 2, p. 81, Bangen, tit. 2, p. 169 sq.

(2) Cf. Ben. XIV, *Inst. eccl.* 87, n. 11.

copulae, sed tacita occulta, et malitiosa intentione in ipsa copula habita ad facilius obtinendam dispensationem, pro revalidatione hujusmodi dispensationis ad dictam Poenitentiariam recurrant, possit idem Major Poenitentiarius desuper absolute dispensare cum miserabilibus personis explicite affirmantibus se, uti tales, et sub illa expressa qualitate, et forma miserabilium, dispensationem a Dataria obtinuisse : Cum iis vero, qui non tamquam pauperes, sed uti ex honestis familiis, sive uti nobiles, sive uti illustres, ab eadem Dataria similiter dispensati fuerint, non dispenset, nisi soluta prius in Dataria, ad effectum pariter erogandi in eleemosynas, taxa definienda arbitrio ejusdem Majoris Poenitentiarii, pensatis circumstantiis cujuscumque casus, et respectu habito ad praejudicium Componendae, et ad vires supplicantium. Si tamen isti pauperes essent, ita ut vere et realiter integram summam taxatam, vel aliquam ejus partem solvere non possent, praefatus Major Poenitentiarius opportune in hoc casu provideat, facto verbo, si peculiaris difficultas id postulet, cum Sanctissimo (1). »

608. « Super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, seu ex actu fornicario proveniente, quotiescumque adsit rationabilis causa, licet periculum revelationis, seu scandalorum non immineret, vel non adesset, in matrimoniis tam contractis, quam contrahendis, in foro conscientiae dispensare, et dispensari mandare possit, et valeat (cit. const. § 43) (2). »

Et § 44 : « Super occulto impedimento criminis adulterii, si fuerit cum fide data dumtaxat, neutro machinante, commissum, possit tam in contrahendis, quam in contractis matrimoniis dispensare. Si vero crimen hujusmodi fuisset, utroque, vel altero machinante, patratum, possit in occultis pariter dispensationem

(1) De his duabus paragraphis vid. Ben. XIV, *Inst. eccl.* 87, n. 14-19, Giovine, t. 2, p. 81, 82 sq., coll. nostr. n. 689, 694, 708, 711.

(2) Cf. Ben. XIV, *Inst. eccl.* 87, n. 20.

concedere; raro tamen, et quando necessitas postulaverit, ratione alicujus gravis imminentis periculi, quod prudentia Majoris Poenitentiarii, re praesertim discussa in Congregatione, vel Signatura, arbitrandum erit (1). »

609. « Declaramus praeterea, quod facultates praefatae a Nobis Majori Poenitentiario, et ejusdem Poenitentiariae Officio concessae circa dispensationes matrimoniales, locum habeant, etiamsi gradus, et impedimenta hujusmodi multiplicia sint, quacumque, et quantacumque multiplicitate; Volentes, in Literis hujusmodi dispensationum matrimonialium, posse prolem, ubi opus erit, sive suscipiendam, sive susceptam, non tamen in adulterio conceptam, in foro conscientiae tantum, legitimam decernere; necnon apponi clausulam : *Nullis etc.*, prout in hujusmodi materiis hactenus ipsa Poenitentiaria servare consuevit (§ 45) (2). »

Et § 46 : « Ulterius super casibus quibusvis occulti impedimenti ad petendum licite debitum dispensare, seu dispensari mandare possit, et valeat (3). »

610. Atque illae quidem sunt ordinariae Majoris Poenitentiarii facultates, cui tamen juxta cit. const. § 5 praeterea salva manet facultas Rom. Pontificem consulendi in quibusvis particularibus casibus, etiam per cit. const. non concessis, imo prohibitis seu reservatis et exceptis; et ipsi Majori Poenitentiario de Rom. Pontificis speciali mandato, vivae vocis oraculo desuper sibi facto, procedere asserenti, indubia fides debet adhiberi (4).

Constat ex dictis S. Poenitentiariae in re matrimoniali facultates per se restringi ad forum conscientiae seu ad occulta, et

(1) Cf. Ben. XIV, *Inst. eccl.* 87, n. 21, Giovine, t. 2, p. 83, n. 4.

(2) Cf. Giovine, t. 2, p. 84, n. 5.

(3) Cf. Giovine, ib. p. 82, n. 5.

(4) Cf. Giovine, ib. p. 80, n. 5. Sic posse interdum etiam obtineri per S. Poenitentiariam dispensationem in occulto matrimonio rato, non consummato, testantur varii auctores post Corrad. l. 8, c. 7, n. 35 sq.; magnam hac in re difficultatem videt Giovine, t. 1, p. 505 sq.

horum etiam nonnulla esse excepta. Nullas igitur per se habet ejusmodi facultates pro foro externo seu in publicis. Inde tamen a fine saeculi praecedentis pars aliqua ei pro his quoque facta fuit, et hodie singulis Majoribus Poenitentariis initio eorum muneris datur a Pontifice peculiaris facultas dispensandi in foro externo in omnibus casibus, in quibus concurrat vera oratorum paupertas per authenticam Ordinariorum attestationem comprobanda (1). Non solum pro consanguinitate, affinitate, publica honestate (2), sed generalis videtur esse haec S. Poenitentiariae facultas; cum quibusnam autem pauperibus ea utatur quando agitur de consanguinitate et affinitate, notabitur c. 32 § 2; observandum tamen est dispensationes S. Poenitentiariae in foro externo cum pauperibus non esse idcirco confundendas cum iis dispensationibus, quae dicuntur *in forma pauperum;* tales enim illae proprie non sunt, nec earum in omnibus tenorem aut regulas sequuntur (3). Licet praefata facultas pauperes tantum respiciat, « possunt tamen dari casus extraordinarii et urgentes in quibus Ordinarius opportunum existimet supplicari S. Poenitentiariae, etiam pro Oratoribus non pauperibus; hoc autem in casu idem Ordinarius peculiaria motiva accurate exponere debet, quibus consideratis, justisque repertis, si S. Poenitentiaria precibus expositis providere non possit suis ordinariis facultatibus, eisdem tamen prospicit facultatibus extraordinariis, quas a Summo Pontifice implorat in consueta audientia quam singulis hebdomadis habet Cardinalis Poenitentiarius major. In hujusmodi autem adjunctis necesse est, ut Ordinarius peculiarem Supplicantium con-

(1) Cf. secr. S. C. C. in una *Dubia circa facultates dispensandi ab impedimentis matrimonialibus* 26 apr. et 28 junii 1873 (ap. *Acta S. Sedis*, t. 7, p. 290 sqq. 423 sqq.), Caillaud, *Manuel des dispenses*, ed. 4. Bituric. 1873, n. 66. 244, Giovine, t. 2, p. 84, 98 sq., Ballerin. ad Gury, t. 2, n. 876, tr. Mechl. ed. 1872, n. 98.

(2) Cf. *Acta S. Sedis*, t. 2, p. 257 sqq. 382.

(3) Cf. *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 447, et secr. S. C. C. in cit. causa a. 1873, ib. p. 424.

ditionem enarret, et opportunum est etiam ut patefaciat quantum taxae nomine impendere Oratores possint, ut sarta tectaque maneant jura Datariae Apostolicae, in cujus capsam omne id remittitur, quod in Officio S. Poenitentiariae solvitur (1). »

611. In cit. const. *Pastor bonus* alia quaedam notantur ad S. Poenitentiariae dispensationes spectantia. § 49 : « Commissiones vero Majoris Poenitentiarii non expirent, etiamsi committens, illis nondum praesentatis, et re integra, desinat quomodocumque Poenitentiarius existere. Idemque intelligi volumus de illis commissionibus, quas Majori Poenitentiario absente, vel ex aliqua justa causa impedito, alterius Pro-Poenitentiarii ad tempus subrogati nomine expeditas, elapso hujusmodi subrogationis termino, praesentari contigerit. »

Et § 51 : « Sede Ap. vacante, quoniam animarum saluti, quae omni tempore periclitatur, numquam non est subveniendum, unde merito Praedecessores Nostri Officium Poenitentiariae etiam post obitum Pontificis continuare jusserunt; Volumus, et decernimus, ut Major Poenitentiarius (cujus facultas dicto tempore non expirat, sed tantummodo non habet exercitium extra Conclave), seu ejus Officiales, facere et expedire valeant quaecumque ad forum conscientiae pertinent. Ideo, » cet. Item § 52 : « Praeterea concedimus, ut, si quando aliquod gravius animae periculum immineat, cui celeriter occurrendum videatur, re in Signatura diligenter examinata, et Majori quoque Poenitentiario, si in Conclavi degat, pro materiae gravitate consulto, et approbante, dispensare, aut dispensari mandare pro eodem foro conscientiae, valeant; super illis etiam, super quibus alias vivente Pontifice inhibita sit Majori Poenitentiario, et Poenitentiariae dispensandi facultas; ita tamen, ut Oratores... ad novum Pontificem post ejus electionem debeant recurrere; aliisque appositis clausulis pro

(1) *Acta S. Sedis*, t. 2, p. 62 sq.; cf. etiam Bangen, tit. 2, p. 171, Ferrari, t. 2, n. 419, Giovine, t. 2, p. 99, et nostr. n. 688.

casus natura necessariis, et opportunis. » Verumtamen hac § 51 sq. dispositiones non comprehendunt facultates dispensandi super impedimento publico seu pro foro externo; hujusmodi enim facultates, aeque ac Dataria, Sede vacante penitus conquiescunt juxta ipsius cit. const. § 53. Sede igitur vacante, obtineri nequeunt dispensationes cum pauperibus in utroque foro, neque etiam universim dispensationes necessariae in casu, quo una cum impedimento publico concurrit occultum vel circumstantia occulta (1).

§ 2. *Episcopus.*

612. Quidquid asseratur de jure, quo antiquitus episcopi in pluribus impedimentis dispensaverint, certum est eos nullo hujusmodi jure proprio potiri, quum impedimenta partem constituant disciplinae universalis; expresso itaque vel tacito Rom. Pontificis consensu indigent (n. 603). An autem is et quatenus existat, ideoque quamnam habeant episcopi hac in re potestatem, inspiciendum nunc est.

613. Consuetudine diuturna, a Romanis Pontificibus approbata, amplior est episcoporum potestas dispensandi in impedimentis impedientibus, eaque ex praefata consuetudine approbata ita est episcopali officio conjuncta, ut proprie non delegata, sed ordinaria vel quasi ordinaria dicatur. Non omnia tamen impedimenta impedientia, nonnulla etiam intra determinatos tantum limites comprehendit.

Dispensare nequit episcopus in interdictione lata a Superiore, ex. gr. a Sede Ap. (2), vel, in casu appellationis, a Metropolitano, neque in solemnitatibus nuptialibus tempore feriato jure communi vetitis. Non pauci quidem auctores, negantibus aliis,

(1) Cf. Giovine, t. 2, p. 85. Plura de obitu Pontificis ejusque sequelis quoad dispensationes vid. n. 734.

(2) Cf. n. 549 sqq. coll. n. 369 sub 3°, 381, 545, 548, Giovine, t. 1, p. 330, 359 sq.

attribuunt episcopo potestatem dispensandi in prohibitione benedictionis solemnis; sed ex Sedis Ap. decretis (1) hodie constat hanc potestatem esse negandam.

Quamquam potest episcopus circa obligationem sponsalium edere declarationem ex principiis generalibus hauriendam, illudque interponere officium, de quo dictum fuit n. 557 sq., dispensare tamen in vinculo sponsalium nequit (n. 557).

In mixta Religione dispensare non potest (2), imo hanc facultatem, teste Pio VII in brevi 17 Febr. 1809 ad epp. et vicarios capitulares Galliarum n. 603, Sedes Ap. episcopis, licet instantissime postulantibus, in Europa praesertim, eo usque numquam concesserat. Hodie vero, quamquam aegre, eam interdum concedit in regionibus mixtis, praesertim remotissimis, per indultum

(1) In *Montis Albani* 14 aug. 1858 ad 4 (Gard. n. 5275), quae in iisdem terminis citatur ut *Baltimoren.* 6 febr. 1858 in App. n. 13 conc. plenarii II Baltimorensis, proposito dubio : « An facta per episcopum licentia contrahendi matrimonium temporibus a S. Conc. Trid. vetitis, censeatur permissa benedictio conjugum per preces et orationes in Missa pro sponsis contentas? Et quatenus negative, an possit Episcopus in casu eam facultatem concedere? » respondit S. C. Rit. : « Negative in omnibus. » Vid. etiam S. C. de P. F. 5 jul. 1841 ad 2 (*Collectanea... ad usum operariorum* Ap. n. 1043), S. C. Rit. in *Limburgen.* 23 junii 1853 ad 3 (Gard. n. 5190), et concessiones S. Sedis relatas p. 430, not. 2. Immerito igitur eam potestatem episcopo recentius attribuerunt Giovine, t. 1, p. 686 sq. causam valde gravem et urgentem requirens, et van de Burgt, *De matr.* n. 293. *De disp.* n. 133. Argumento autem infirmo is utitur dum scribit dubitare quidem Ben. XIV, *Inst. eccl.* 80, n. 15, sed videri eam potestatem admittere *De syn.* l. 9, c. 2, n. 1, ubi de impedimentis impedientibus dicit : « Nullus dubitat posse ab Ep. relaxari, si excipias impedimentum ortum ex sponsalibus... et illud, quod provenit ex voto aut ingrediendae Religionis, aut perpetuae castitatis... necnon alterum proveniens ex haeresi. » At Benedictus inter excepta non memorat etiam interdictum Sedis Ap., et praeterea in re nostra non verificarentur illa verba *nullus dubitat.*

(2) Cf. quae diximus n. 567 sq., *De matr. mixtis*, p. 216-221, et *Rev. cath.* t. 5, p. 200 sqq., Giovine, t. 1, p. 103, 290 sqq.; vid. etiam Pii IX per card. Antonelli Instr. a. 1858 et S. C. de Prop. Fide Instr. a. 1868, quas citavimus n. 567.

omnino peculiare et debitis requisitis cautionibus (1) (n. 568, 571 sq.), ac variis appositis conditionibus et restrictionibus (2). Ab ejus tamen usu excepti semper manent Itali, quos non constat Italicum domicilium omnino deseruisse (3); et n. 627 videbimus speciale etiam Indultum requiri, ut episcopus facultate illa praeditus simul utatur quinquennalibus aliisve facultatibus in aliis impedimentis dispensandi. Porro ne in urgentissima quidem necessitate episcopum ex praesumpta Rom. Pontificis voluntate posse in mixta Religione dispensare existimamus (4).

In votis (5) non reservatis episcopus dispensare potest, non vero in reservatis, nempe in voto ingrediendi Religionem proprie dictam seu cum votis solemnibus a Sede Ap. approbatam, et in voto castitatis perpetuae, quando stipata sunt circumstantiis ad reservationem requisitis. In solo casu extraordinario necessitatis urgentis, in quo ex matrimonii dilatione oriatur periculum scandali vel alterius gravis mali, ad Sedem vero Ap. recurri non pos-

(1) Spes unice in bona voluntate contrahentium fundata verarum cautionum locum tenere non valet; vid. S. Off. 21 jul. 1880, ap. Vering, *Archiv* t. 47, p. 447 sqq.

(2) Exempla habes ap. Kenrick, tr. 21, n. 217, Konings, p. LXXIV, n. 4 sq., de Roskovany, *De matr. mixtis*, t. 3, Pestini 1854, p. 156 not. 1, 191, t. 5, Pestini 1871, p. 171 sq., Bangen, tit. 2, p. 159 sq., Kutschker, t. 4, p. 753, Carr. n. 761, Caillaud ed. cit. n. 413, Planchard op. cit. Append. n. 7, et ap. *Nouv. rev. th.* t. 15, p. 527 (531) sqq., cit. *Collectanea*, n. 32 sub 7, 33 sub 8, 903, 906, *Acta S. Sedis* t. 7, p. 304 sub 6. Dantur hae facultates aut pro certo numero casuum, aut ad certum numerum annorum, sive per S. Officium sive per S. C. Negotiis ecclesiasticis extraordinariis praepositam, sive per S. C. de Prop. Fide, interdum per S. Poenitentiariam.

(3) Vid. decretum latum de consilio S. Officii in S. C. de Prop. Fide litt. 30 aug. 1865, ap. *Acta S. Sedis*, t. 2, p. 672, conc. plenar. II Baltimoren. a. 1866, App. n. 20, cit. *Collectanea* n. 909.

(4) Cum Giovine, t. 1, p. 291 sq. Contrarium sentit Planchard ap. *Nouv. rev. th.* t. 15, p. 519 (523) sq., coll. p. 399 (403) sq.

(5) Cf. Giovine, t. 1, p. 258 sqq., Caillaud, ed. cit. n. 385.

sit (1), juxta doctrinam communem per accidens potest episcopus pro foro conscientiae ad matrimonium contrahendum quasi ordinaria potestate dispensare, seu potius commutare vel dispensare commutando, votum reservatum occultum (2), privatim et non in in aliqua Congregatione emissum. Haec facultas ex praesumpta Rom. Pontificis voluntate repeti et quasi ordinaria dici solet. Manet tamen obligatio voti tum extra licitum usum matrimonii tum post solutum, quod hic et nunc contrahetur, matrimonium. Remotissimarum regionum episcopis delegatam facultatem Sedes Ap. interdum concedit (3), quo casu locum amplius non esse credimus quasi ordinariae potestati in eodem foro pro quo delegata fuit concessa (vid. hoc numero mox infra et in fine, n. 634 in fine, 635 in fine, 638 sub 4°).

Contracto jam matrimonio, potest episcopus juxta doctrinam communem facultate quasi ordinaria dispensare, seu potius commutare vel dispensare commutando, praefatum votum reservatum ante matrimonium emissum, manente voti obligatione tum extra licitum usum matrimonii tum post solutum, quod nunc est, matrimonium. Solet tamen episcopus ex n. 8 facultatum quinquennalium, quas pro foro conscientiae consuevit S. Poenitentiaria concedere, habere delegatam facultatem « dispensandi ad petendum debitum conjugale cum transgressore voti castitatis, qui matrimonium cum dicto voto contraxerit; hujusmodi poenitentem monendo ipsum ad idem votum servandum teneri, tam extra licitum matrimonii usum, quam si marito, seu uxori respective supervixerit. » Tunc autem in eodem foro credimus (cf. paulo supra) locum non esse quasi ordinariae potestati. Eadem est episcopo potestas ordinaria vel quasi ordinaria quoad votum perpe-

(1) De ejusmodi casu etiam pro impedimentis dirimentibus occultis sermo redibit n. 633 sqq.

(2) Cf. S. Poenit. rescr. 11 jul. 1855 ap. Caillaud, ed. cit. n. 389 et cf. Giovine, t. 1, p. 260 sqq.

(3) Cf. Kenrick, tr. 21, n. 217.

tuae castitatis emissum post contractum matrimonium, et haec quoque dispensatio, seu potius dispensatio cum commutatione, solum, quod nunc est, matrimonium solumque licitum matrimonii usum comprehendit. Sunt quidem qui ab hac episcopi potestate excipiant votum post matrimonium ab utroque ex mutuo consensu emissum vel ab uno de consensu alterius, sed haec exceptio communiter non additur, dummodo, quod esse solet, urgens necessitas adsit.

Similiter potest juxta communem doctrinam (1) pro petendo debito quasi ordinaria potestate dispensare episcopus in impedimentis supervenientibus affinitatis (n. 374, 382 sq.) et cognationis spiritualis (n. 409, 426 sqq.). Sed huic quasi ordinariae potestati quoad affinitatem locum non esse credimus in eo foro pro quo delegatam facultatem habet (cf. paulo supra), ut habere solet ex n. 9 facultatum quinquennalium S. Poenitentiariae pro foro conscientiae : « Dispensandi cum incestuoso, sive incestuosa, ad petendum debitum conjugale, cujus jus amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum consanguinea, vel consanguineo, sive in primo, sive in primo et secundo, sive in secundo gradu suae uxoris, seu respective mariti : remota occasione peccandi : et injuncta gravi poenitentia salutari, et Confessione Sacramentali quolibet mense, per tempus arbitrio dispensantis statuendum. »

Esse episcopo potestatem dispensandi in denuntiationibus antenuptialibus constitit n. 265 sqq. De dispensatione in consensu parentum sermo esse nequit, ne pro ipsa quidem Sede Ap. (2); nihil enim aliud fieri potest quam parentum dissensum declarare irrationabilem et ita permittere matrimonium; hoc autem episcopo etiam competit.

(1) Quoad superveniens impedimentum affinitatis negat quidem Corradus l. 8, c. 1, n. 55 sqq., spectato rigore principiorum, consuetudinis tamen titulum non rejicit. Episcopi potestatem affirmat Ben. XIV, *Inst. eccl.* 87, n. 23.

(2) Cf. Giovine, t. 1, p. 242 sq.

Quotiescumque episcopus expresse delegatam facultatem habet, quasi ordinaria, quae ex praesumpto vel tacito consensu pontificio repeti solet, cessare omnino videtur in eo foro, pro quo delegata fuit concessa; unde conditiones quoque in hac appositae tunc omnino sunt observandae. Quomodo enim praesumptae vel tacitae Pontificum voluntati locus esse potest, ubi de expressa ejusque conditionibus ac limitibus constat? Majorem autem interdum potestatem haberi ex facultate delegata, liquet ex voce *dispensandi*, quae adhibetur in supra indicata facultate delegata circa votum. Nonnulla alia de quasi ordinaria potestate habentur versus hujus paragraphi finem.

614. Gravioris momenti sunt quaestiones pertinentes ad episcopi in dirimentibus impedimentis dispensandi potestatem ex consensu sive expresso sive tacito Pontificum Romanorum.

I. In non paucis casibus est episcopo haec potestas expresse delegata (1). Huc spectant imprimis episcoporum et vicariorum Apostolicorum facultates quinquennales pro foro externo seu in publicis, quae juxta unam ex decem formulis olim a S. Off. conceptis expediuntur per S. C. de Prop. Fide. Harum formularum numero priores continent ampliores facultates, et remotioribus regionibus applicari solent.

In ordinario facultatum quinquennalium tenore n. 3 legitur: « Dispensandi in tertio et quarto simplici, et mixto tantum cum pauperibus in contrahendis; in contractis vero cum haereticis conversis etiam in secundo simplci, et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum, et in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam. » Apud nonnullos auctores et in qui-

(1) Delegatae potestatis exempla in numeris sequentibus daturi simul expendemus ejus in singulis exemplis limites, sed ad eos determinandos praeterea consuli debent ea, quae tum post omnia allata exempla tum in fine hujus paragraphi notabimus de delegata ejusmodi potestate universim, et de diversis clausulis seu verbis, quae in indultis Apostolicis adhibentur.

busdam indultis expresse addita legitur mentio consanguinitatis et affinitatis (1). Praeterea hodie pro Belgicis aliisque multis dioecesibus loco verborum « tantum cum pauperibus » ponuntur haec alia : « nedum cum pauperibus, sed etiam cum nobilibus, et divitibus. » Quinam sunt hujus facultatis limites?

1° Comprehendit consanguinitatem et affinitatem ; publicam etiam honestatem manifesto comprehendit quoties continetur sub affinitate (n. 395) ; sed estne idem dicendum si publica honestas sola existat, quia matrimonium, ex quo orta est, non fuit consummatum? Multi affirmant, sed videtur negandum (2), et consanguinitas tantum ac affinitas subintelligendae etiam sunt in indultis eas non expresse memorantibus. Huic autem quaestioni in praxi vix locus est, quum consummatio semper praesumatur (n. 395).

2° Duas partes numerus ille complectitur, priorem minus amplam pro matrimoniis duorum catholicorum, sive semper catholici fuerint, sive ab haeresi vel infidelitate ad catholicam Religionem sint conversi ; posteriorem eamque ampliorem pro matrimoniis ab haereticis utroque nunc conversis contractis dum erant in haeresi.

3° Pars prior comprehendit duorum catholicorum matrimonia contrahenda tantum ; ea igitur uti episcopus nequit pro matrimoniis jam contractis (3). Cum duobus autem catholicis pro ma-

(1) Cf. Planchard ap. *Nouv. rev. th.* t. 15, p. 58 (62) sqq., 663 (667).

(2) Cf. Giovine, t. 1, p. 173, Planchard ap. *Nouv. rev. th.* ll. citt.

(3) Quidam Ordinarius proposuit dubium, an comprehenderetur etiam « facultas dispensandi in tertio et quarto gradu in contractis catholicorum, qui non sunt haeretici conversi, » ut hucusque multi etiam alii Ordinarii crediderant, et « quatenus negative, » idem petiit sanationem dispensationum ita concessarum ac facultatis extensionem pro futuro. Respondit S. C. de Prop. Fide 4 sept. 1858 : « Beatissimus Pater... permisit, ut dispensandi facultates in tertio et quarto gradu, quae in § 3 continentur, ad matrimonia jam contracta etiam catholicorum extendas, sanatis in radice omnibus in Tua Dioecesi ad haec usque tempora datis hujusmodi dispensationibus ; » ap. von Moy, *Archiv*, t. 5, p. 470 sq. Haec concessio erat episcopo illi particularis.

trimonio contrahendo potest episcopus dispensare in tertio et quarto simplici et mixto (1), sed tantum in tertio aequali, vel quarto aequali, vel quarto tangente tertium. Dispensare vero nequit in tertio vel quarto mixto sive cum secundo sive cum primo, uti saepius Sedes Ap. declaravit (2) et ratione etiam intelligitur. Quamquam enim regula est gradum remotiorem trahere ad se propinquiorem, nihilominus, quamdiu manetur intra gradus prohibitos, gradus propinquior exprimi debet, et invalida quidem est dispensatio Datariae si propinquior gradus reticitus erat primus, valida vero si erat alius, in quo tamen casu matrimonium

(1) De sensu hujusmodi verborum generaliter sermo redibit n. 626.

(2) Cf. Rigant. in reg. 14 Canc. n. 57 sqq., Carr. n. 1100, Kutschker, t. 5, p. 42 sqq., Giovine, t. 1, p. 173 sqq. Episcopis Austriae Pius IX in brevi 17 mart. 1856 dedit facultatem sanandi in radice, praeter alia quaedam matrimonia usque ad diem receptionis harum literarum Apostolicarum nulliter contracta, ea etiam quae irrita erant ex « impedimento consanguinitatis seu affinitatis in gradu tertio et quarto etiam tangente secundum (etsi matrimonia obnoxia ultimo commemorato impedimento fuerint inita cum dispensatione non debito vero modo obtenta); » cf. von Moy, *Archiv*, t. 2, p. 259, Ginzel, *Handbuch des neuesten in Oesterreich geltenden Kirchenrechtes*, t. 1, Vindob. 1857, Cod. n. 16, p. 82. In literis autem Pro-Nuntii 16 junii 1856 illud breve comitantibus haec leguntur : « Idem etiam SS^mus Pater facultatem Ordinariis impertitur ad ea sananda matrimonia, quae fuerint inita cum dispensatione, non vero debito modo obtenta. — Huc referuntur ea matrimonia, in quibus ab Ordinariis concessa fuisset (ex falsa interpretatione facultatum, quae ita dicuntur quinquennales) dispensatio a tertio sive consanguinitatis vel affinitatis gradu tangente secundum, cum Congregatio Sacrae Inquisitionis jam a die 25 junii 1670 declaraverit facultates quae concedantur per formulam S. Congnis Propagandae Fidei, dispensandi in tertio et quarto simplici et mixto tantum — debere tantum intelligi de tertio et quarto simplici, videlicet ab uno stipite futuris sponsis communi, ac insuper de tertio et quarto mixto ex altero stipite cum quarto, nullatenus autem cum secundo; » cf. Ginzel, l. c. not. Vid. etiam S. C. Negot. eccl. extraord. 20 junii 1856 (ap. de Roskovany, *De matr. mixtis* t. 5, Pestini 1871, p. 221 sqq.; eam citamus n. 627), S. Off. 15 junii 1875 (ap. Vering, *Archiv* t. 36, p. 185, Konings, t. 2, p. 397, Planchard ap. *Nouv. rev. th.* t. 15, p. 57 (61) et nostrum n. 630 sub *d*.

contrahere non licet, nisi prius obtentis a Dataria literis *Perinde valere* seu Declaratoriis, quibus declaretur distantiam gradus propinquioris non obstare (n. 335, 376, 703 sub *b*, 704 sub *b*), quas literas vi praefatae facultatis episcopus pro secundo gradu concedere nequit. In casu autem incestus commissi gravior poenitentia imponitur, quando attingitur gradus primus vel secundus. Consequenter Sedes Ap., si voluisset episcopo dare facultatem dispensandi in tertio vel quarto tangente primum vel secundum, propinquioris hujus gradus mentionem fecisset.

4° Posterior praefatae facultatis pars concernit matrimonia ab haereticis conversis contracta dum erant in haeresi. Pro his potest episcopus, dummodo uterque nunc sit catholicus (1), dispensare tum in indicatis supra gradibus tertio et quarto, tum in secundo aequali, tum in tertio vel quarto tangente secundum, numquam vero in aliquo gradu tangente primum. Pro matrimoniis post unius vel utriusque conversionem invalide contractis nullam ex n. 3 habet episcopus potestatem, idemque omnino dicendum existimamus de matrimonio mixto nulliter olim contracto, licet haeretica pars nunc sit conversa; facultas enim, de qua agitur, unice videtur concessa favore duorum ab haeresi conversorum. Pro matrimonio autem contrahendo a duobus catholicis sive utroque sive alterutro ab haeresi conversis, eam solam potestatem episcopus habet, quae priori n. 3 parte continetur.

In fine n. 3 apponitur facultas prolem susceptam declarandi legitimam, estque haec declaratio ad prolis legitimitatem necessaria, ideoque non omittenda, quum agatur de prole ex incestu suscepta, quae per solum subsequens matrimonium non legitimatur, sed supremi principis rescripto legitimante indiget (n. 740, 746, 752).

615. Facultatum quinquennalium pro foro externo n. 4 ita

(1) Uno enim tantum converso, facultas deest; vid. S. C. C. litt. 20 aug. 1780 ad ep. Rosnaviensem, ap. de Roskovany. *De matr. mixtis*, t. 2 Quinque-Eccl. 1842, p. 542.

habet : « Dispensandi super impedimento publicae honestatis justitiae (1) ex sponsalibus proveniente. » Comprehendit matrimonia tam contracta quam contrahenda, sed nullam confert potestatem quoad publicam honestatem ortam ex matrimonio (2).

N. 5 : « Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjuge machinante, ac restituendi jus petendi debitum amissum. » Tam contracta quam contrahenda matrimonia comprehendit, sed solam primam impedimenti criminis hypothesim (n. 449-452). Amissio juris petendi in hac facultate indicata est illa, quae in poenam inducitur per adulterium (3). Pro hujus autem juris restitutione non ponuntur conditiones, quas pro incestuosis a S. Poenitentiaria poni vidimus n. 613 vs. *Similiter*. Quare Ordinarius ille, cujus mentio erat n. 614 sub 5°, a S. C. de Prop. Fide petivit an et ipsa ejusmodi conditiones facultati a se datae appositas intelligeret. Sed responsum fuit : « Illud Tibi significandum habeo quod nimirum cum a SS^mo^ D. N. dentur facultates sive per S. C. de Prop. Fide, sive per S. Poenitentiariam, cumque Ipse attentis locorum, personarum et temporum adjunctis eas ampliores vel arctiores concedat, neutra ex sacris Congregationibus facultates per alteram datas coarctare dicenda est, nisi expresse id in rescripto cautum sit (4). »

Numerus 6 est : « Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem, et levatum. » Ab hac facultate, quae tam contracta quam contrahenda matrimonia respicit, excipitur itaque paternitas vel maternitas et filiatio spiritualis.

(1) Loco *justitiae* saepe, imo apud recentiores communius, legitur *justis*. Prior vero illa vox veram lectionem refert, et respondet etiam modo loquendi canonico (n. 384 sqq.); posterior vero non aliunde orta videtur quam ex abbreviata locutione *justit.*, neque ulla ei ratio favet.

(2) Cf. n. 386, Ben. XIV § 15 const. *Inter omnigenas* 2 febr. 1744 (*Bull. Ben. XIV*, t. 1, const. 89; ed. Mechl. vol. 2, p. 178 sq.), Giovine, t. 1, p. 171, 630.

(3) Cf. Marcus Paulus Leo, *Praxis* cet. part. 2, c. 11, n. 18 sqq.

(4) Ap. von Moy, *Archiv*, t. 5, p. 471.

Multo magis excipitur etiam illa quae est inter baptizantem et baptizatum, quamquam casus ejusmodi matrimonii omnino insolitus non memoratur expresse in exceptione. Haec autem non comprehendit dumtaxat matrinam quae vult ducere levatum, sed patrinum quoque qui vult ducere levatam 1. Erronee unus alterque auctor recens 2 exceptionem intellexerunt de baptizante et baptizato; exceptionis sensus est ille, quem pro suis indultis declaravit S. Poenit. 10 maii 1876 : « In praefatis litteris sub nomine *levantis* venire patrinum, et matrinam. Episcopus vero vi illarum litterarum in impedimento cognationis spiritualis potest tantum dispensare inter patrinum et matrinam cum patre et matre baptizati (3). »

616. Maxime attendendum est ad id quod n. 7 legitur : « Hae vero dispensationes matrimoniales, videlicet 3, 4, 5 et 6, non concedantur nisi cum clausula, dummodo mulier rapta non fuerit, et si rapta fuerit, in potestate rapteris non existat, et in dispensationibus hujusmodi declaretur expresse illas concedi tamquam a Sedis Ap. Delegato, ad quem effectum etiam tenor hujusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae; alias nullae sint. » Attamen S. C. de P. F. 11 febr. 1804 declaravit, omissionem clausulae de raptu validitati non officere dummodo reapse mulier raptu non fuerit, vel si rapta, in potestate raptoris non existat 4. De reliquis praefatis clausulis vid. n. 632 sub *a*, 755 vs. *Modus*.

617. Numero 20 datur episcopo facultas : « Communicandi has facultates in totum, vel in parte, prout opus esse secundum ejus conscientiam judicaverit, sacerdotibus idoneis in conversione

(1) S. C. de Prop. Fide 11 sept. 1779 : ap. cit. *Collectanea* n. 871.

(2) Brillaud, *Traité pratique des empêchements et des dispenses de mariage*, p. 154 not. 1, Téphany, *Traité des disp. matr.* n. 155.

(3) Ap. Planchard, op. cit. n. 114 sub 3°, *Nouv. rev. th.* t. 14, p. 530 sq., et cf. de Angelis t. 3, part. 1, p. 215 sq.

(4) Ap. cit. *Collectanea* n. 1019

animarum laborantibus, et praesertim tempore sui obitus; ut sede vacante sint, qui possint supplere, donec Sedes Ap. certior facta, quod quam primum fieri debebit per Delegatos, aut per unum ex iis, alio modo provideat. » Si episcopus hanc communicationem facere velit etiam pro tempore sui obitus, expressa hujus rei mentio necessaria videtur. Sed potestne episcopus, ad quinquennium has facultates habens, semper ad quinquennium aliis communicare, etiamsi ipsi jam currat ex. gr. annus tertius, an vero tantum ad tempus quod ipsi superest? Posterius dicendum et practice omnino tenendum existimamus (1).

Quum Ordinarius ille, cujus n. 614 sub 5, et n. 615 occasione facultatis n. 5, meminimus, a S. C. de Prop. Fide petivisset, utrum illa communicandi facultas ita esset intelligenda, ut vicarii generales, quibuscum episcopus quinquennales communicaverit, eas cum eadem communicandi facultate accipiant, ideoque et ipsi alios possint subdelegare sacerdotes; et quatenus negative, ut eo sensu extenderetur facultas n. 20 indicata; S. C. 4 sept. 1858 respondit : « Beatissimus Pater... permisit, ut eaedem facultates Vicariis Generalibus communicari possint cum facultate subdelegandi per eos alios sacerdotes praesertim animarum curam habentes, ea tamen sub lege, ut facultate subdelegandi non utantur intra peripheriam viginti leucarum a Residentia Episcopali, et nisi cum paucis sacerdotibus, iisque maturioris prudentiae, et zeli, et qui absolute necessarii sint (2). » Per se itaque et sola vi

(1) Cf. Reiff. n. 60 sqq. *De haer.*, Leuren. *For. eccl.* l. 5, q. 157, n. 5, Kugler, *Tract. theologico-can. de matr.* t. 2, Wratislav. 1728, part. 4, n. 184, et in calce voluminis q. 28, p. 637 sqq., Carr. n. 1102, Caillaud, ed. cit. n. 322, coll. n. 324 sub 7°, *Nouv. rev. th.* t. 2, p. 659 sq. Alia tamen quaestio est, possitne episcopus, vel is quocum vi n. 20 suas facultates communicavit, causam particularem jam inceptam terminare, elapso licet tempore indulti Apostolici, et an possit is, cui ab iis, durante tempore indulti, subdelegata fuit facultas dispensandi in casu particulari cum personis determinatis, ea uti et dispensationem impertire, elapso licet tempore indulti Ap.; cf. n. 632 sub *d*.

(2) Ap. von Moy, *Archiv*, t. 5, p. 471.

n. 20 acceptae facultatis communicandi non potest ab iis, quibuscum quinquemales communicatae fuerint, communicatio fieri, et responsio praefato Ordinario data pro peculiari ei facta concessione haberi debet.

618. N. 21 legitur : « Et praedictae facultates gratis, et sine ulla mercede exerceantur, et ad quinquennium tantum concessae intelligantur. » Loco illorum « ad quinquennium tantum » interdum hodie legitur « pro tempore ad beneplacitum S. C. de Prop. Fide tantum » vel interdum concessio fit pro toto tempore regiminis episcopi. In fine literarum S. C. de Prop. Fide eadem temporis limitatio repetitur. De facultatum exercitio gratis et sine ulla mercede faciendo dicemus n. 696.

Tandem n. 22 legitur : « Utendi iisdem facultatibus in locis tantum Dioecesis N. » et in fine literarum iterum scribitur : « pro locis tantum dictae Dioecesis N., et dummodo tamen iis nullo modo utatur extra fines memoratae Dioecesis, » vel similia paucioribus interdum verbis. De ejusmodi clausulae significatione vide n. 629.

619. Hactenus de quinquennalibus pro foro externo seu in publicis. Solent autem pro foro conscientiae tantum aliae, sive ad quinquennium sive ad triennium vel aliud tempus initio vel in fine Indulti indicatum, facultates episcopis et vicariis Apostolicis dari seu communicari per S. Poenitentiariam. In literarum initio haec leguntur : « Vobis Ven. in Christo Patri N. moderno Episcopo Ecclesiae N. infrascriptas communicamus facultates, quibus pro foro conscientiae per Vos, sive per Vestrum Vicarium in spiritualibus Generalem, dummodo in Sacro Presbyteratus Ordine sit constitutus, etiam extra Sacramentalem Confessionem pro grege Vobis commisso, et intra fines Vestrae Dioecesis tantum, atque de speciali, in unoquoque casu exprimenda, Sedis Ap. auctoritate Vobis delegata, uti valeatis : easque canonico Poenitentiario, nec non Vicariis foraneis pro foro pariter conscientiae, sed in actu Sacramentalis Confessionis dumtaxat, etiam

habitualiter, si Vobis placuerit : aliis vero Confessariis cum ad Vos sive ad praedictum Vicarium Generalem in casibus particularibus poenitentium recursum habuerint pro exposito casu impartiri possitis, nisi ob peculiares causas aliquibus Confessariis a Vobis specialiter subdelegandis, per tempus arbitrio Vestro statuendum, illas communicare judicabitis. » Neque in subdelegandi modo neque in aliis quae ibi praescripta leguntur, nisi S. Poenitentiaria consentiente, mutatio fieri potest. Ex. gr. Episcopus Eystetensis facultatem in quinquennalibus obtentam et in fine n. 620 indicandam dispensandi super occulto impedimento affinitatis ex copula illicita proveniente, in matrimoniis contrahendis dum omnia parata sunt ad nuptias, ita curatis communicare volebat, ut in casu, quo nullo modo ante nuptias jam paratas, nec sine scandalo gravi differendas, ad episcopum posset recurri, dispensare possent in foro interno, ut valeret matrimonium et licite redderetur ac peteretur debitum, firmis tamen manentibus aliis conditionibus, et imposito onere statim requirendi per literas dispensationem ab Ordinario pro obtinendis aliis matrimonii validi effectibus. Sensit autem pro ejusmodi subdelegatione facienda se debere recurrere ad S. Poenitentiariam, et haec per rescriptum 6 maii 1858 acquievit (1).

620. In his pro foro conscientiae facultatibus Poenitentiarius Major eas facultates, quas ipsi competere supra vidimus, communicat, tantum tamen ex parte et intra determinatos limites, ac positis diversis conditionibus ex propria Poenitentiariae praxi desumptis (2).

(1) Cf. ep. Budvicensis litt. 30 oct. 1858, ap. von Moy et Vering, *Archiv*, t. 7, p. 104 sq.

(2) Confessariis etiam quasdam facultates interdum ita communicat ad annum vel biennium aliudve tempus; ejusmodi autem literarum juxta recentissimam formulam initium hoc est : « Tibi dilecto in Christo Confessario ab Ordinario loci ad excipiendas utriusque sexus Sacramentales Confessiones legitime approbato infrascriptas concedimus facultates, quibus, non obstante Const. *Ap. Sedis*, pro foro Conscientiae, et in Sacra-

N. 10 legitur facultas : « Dispensandi super occulto impedimento primi, nec non primi et secundi, ac secundi tantum gradus affinitatis ex illicita carnali copula provenientis, quando agatur de matrimonio cum dicto impedimento jam contracto : Et quatenus agatur de copula cum suae putatae uxoris matre, dummodo illa secuta fuerit post ejusdem putatae uxoris nativitatem, et non aliter [cf. n. 379, 608] : monito poenitente de necessaria secreta renovatione consensus cum sua putata uxore, aut suo putato marito, certiorato, seu certiorata de nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut ipsius poenitentis delictum nusquam detegatur ; remota occasione peccandi, ac injuncta gravi poenitentia salutari, et Confessione Sacramentali semel in mense per tempus dispensantis arbitrio statuendum (1). Item dispensandi super dicto oc-

mentali Confessione, Auctoritate Ap. uti valeas, et non aliter ; ita tamen, ne debeas illas cuilibet manifestare ; nisi necessitas. aut utilitas id exegerit. » Praeter eas facultates. quas pro dirimentibus quibusdam impedimentis mox indicabimus, n. 10 legitur : « Dispensandi ad petendum debitum conjugale cum transgressore Voti Castitatis. qui matrimonium cum dicto Voto contraxerit, monendo hujusmodi poenitentem, ad idem servandum teneri, tam extra licitum usum matrimonii. quam si marito, seu uxori respective supervixerit ; » cf. n. 613 vs. *Contracto*. Et n. 11 : « Dispensandi cum incestuoso, seu incestuosa, ad petendum debitum conjugale, cujus jus amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum consanguinea. vel consanguineo, sive in primo. sive in primo et secundo sive in secundo gradu suae uxoris, seu respective mariti, remota occasione peccandi et injuncta gravi poenitentia salutari, et confessione sacramentali semel quolibet mense per tempus arbitrio tuo statuendum ; » cf. n. 613 vs. *Similiter*.

(1) Hucusque indicata facultas in praefata recentissima pro confessariis formula sic effertur n. 12 : « Dispensandi super occulto impedimento primi. necnon primi et secundi, ac secundi tantum gradus affinitatis provenientis ex illicita copula, quando agatur de matrimonio cum dicto impedimento jam contracto : ita tamen, ut, si hujusmodi affinitas proveniat ex copula cum matre desponsatae, nativitas desponsatae copulam ipsam antecedat : monito Poenitente de necessaria secreta renovatione consensus cum sua putata uxore, vel suo putato marito, certiorato, seu certiorata de nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut ipsius delictum nusquam

culto impedimento, seu impedimentis affinitatis ex copula illicita etiam in matrimoniis contrahendis, quando tamen omnia parata sint ad nuptias, nec matrimonium absque periculo gravis scandali differri possit, usque dum ab Ap. Sede obtineri possit dispensatio; remota semper occasione peccandi, et firma manente conditione, quod copula habita cum matre mulieris hujus nativitatem non antecedat; injuncta in quolibet casu poenitentia salutari. »

621. N. 11 datur facultas : « Dispensandi super occulto criminis impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de matrimonio jam contracto : monitis putatis conjugibus de necessaria consensus secreta renovatione, ac injuncta gravi poenitentia salutari, et Confessione Sacramentali semel quolibet mense per tempus dispensantis arbitrio statuendum (1). »

622. Denique n. 12 ita habet : « Dispensandi super impedimento tertii, seu tertii et quarti, vel quarti simplicis gradus, sive graduum consanguinitatis, vel affinitatis, super quo seu quibus obtenta fuerit dispensatio a Dataria Apostolica, et in litteris hujusmodi dispensationis reticita fuerit incestuosa copula, quae tamen occulta remaneat. Ac etiam dispensandi, seu revalidandi litteras Apostolicas ejusmodi irritas, ac nullas redditas ex in-

detegatur, et quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu juxta regulas a probatis Auctoribus traditas; remota occasione peccandi; atque injuncta poenitentia salutari, et confessione sacramentali semel in mense per tempus arbitrio tuo statuendum. » Valde attendenda est recentissima additio verborum : « et quatenus haec... traditas, » quae antea deerant, et quae non dubito quin hodie pariter addantur in Indulto, quod episcopis et vicariis Apostolicis conceditur; magnum eorum momentum patebit n. 752, 760, 761 sqq.

(1) In memorata recentissima pro confessariis formula dicitur n. 13 : « Dispensandi super impedimento occulto criminis, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de matrimonio jam contracto; monitis putatis conjugibus de necessaria secreta renovatione consensus; ac injuncta gravi poenitentia salutari, et confessione sacramentali semel quolibet mense, per tempus arbitrio tuo statuendum. »

cestu, sive post petitam dispensationem sive post illius expeditionem, et ante respectivam executionem patrato, ac iterato usque ad eandem executionem, in casibus semper occultis, sive agatur de matrimonio contrahendo, sive jam contracto : monitis in matrimonio contracto putatis conjugibus de necessaria mutui consensus secreta renovatione; injuncta in singulis casibus congrua poenitentia salutari. »

623. Praeter hucusque recensitas sive pro foro externo sive pro foro conscientiae facultates, ampliores quaedam pro alterutro ad aliquod tempus vel pro certo casuum numero conceduntur, praesertim pro regionibus remotissimis vel in quibus propter magnum acatholicorum numerum aliasve peculiares difficultates ratio majora indulta concedendi existit. Praeter exempla antiquiora (1), recentiora nonnulla haec sint.

Inter facultates ordinarias formulae 1 (cf. n. 614 sub 1 init.), quae episcopis Americae septemtrionalis concedi solent pro foro externo, legitur n. 6 : « Dispensandi in 3° et 4° consanguinitatis et affinitatis gradu simplici et mixto tantum, et in 2°, 3° et 4° mixtis, non tamen in 2° solo quoad futura matrimonia; quod vero ad praeterita etiam in 2° solo, dummodo nullo modo attingat primum gradum, cum his qui ab haeresi vel infidelitate convertuntur ad Fidem Catholicam, et in praefatis casibus prolem susceptam declarandi legitimam. »

Extraordinariae illorum episcoporum facultates sunt 1° dispensandi in cognatione spirituali inter levantem et levatum. 2° Dispensandi in casibus occultis et in foro conscientiae tantum super 1° et 2° gradu simplici et mixto affinitatis ex copula illicita, in linea sive collaterali sive recta, dummodo, si de linea recta agatur, nullum subsit dubium quod conjux possit esse proles ab altero contrahentium genita, tam in matrimoniis scienter vel igno-

(1) Cf. Rigant. in reg. 14 Canc. n. 51 sqq. 87, Caillaud, ed. cit. n. 334 not.

ranter contractis, quam in contrahendis. 3° Dispensandi cum subditis, exceptis Italis de quibus non constat Italicum domicilium omnino deseruisse, atque excepto insuper casu matrimonii cum viro vel muliere judaeis, super disparitate cultus, servatis iis quae in indulto adduntur. 4° Dispensandi cum suis subditis, exceptis Italis de quibus non constat Italicum domicilium omnino deseruisse, super mixta Religione, dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia praescriptis. 5° Dispensandi in matrimoniis mixtis jam contractis, non item in contrahendis, super gradibus consanguinitatis et affinitatis, super quibus Apostolicam facultatem pro catholicis jam obtinuerunt, quatenus pars catholica, praevia absolutione ab incestus reatu et censuris, cum parte acatholica rite et legitime matrimonium contrahere de novo possit, prolesque suscepta ac suscipienda legitima declarari, dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia praescriptis. 6° Sanandi in radice matrimonia contracta, quando comperitur adfuisse impedimentum dirimens, super quo ex Ap. Sedis indulto dispensare possint, magnumque fore incommodum requirendi a parte innoxia renovationem consensus, monita tamen parte conscia impedimenti de effectu hujus sanationis. 7° Absolvendi contrahentes in omnibus casibus supra expositis, dummodo opus sit, ab incestus reatibus et censuris, imposita pro modo culparum congrua poenitentia salutari, prolemque susceptam ac suscipiendam legitimam declarandi.

Iisdem episcopis dari solent facultates extraordinariae dispensandi in utroque foro cum catholicis eorum jurisdictioni subjectis, in matrimoniis sive contractis sive contrahendis, 1° super impedimento primi gradus affinitatis in linea collaterali ex copula licita pro... casibus. 2° Super impedimento secundi gradus consanguinitatis vel affinitatis admixti cum primo in linea transversali pro... casibus. 3° Super impedimento secundi gradus consanguinitatis vel affinitatis in linea transversali aequali pro... casibus. 4° Super impedimento publico primi gradus affinitatis

ex copula illicita, in linea sive collaterali sive etiam recta, pro... casibus, dummodo, si de linea recta agatur, nullum adsit dubium quod conjux sit proles ab altero contrahentium genita. 5° In omnibus praefatis casibus absolvendi contrahentes, dummodo opus sit, ab incestus reatibus et censuris, imposita pro modo culparum congrua poenitentia salutari, ac prolem tam susceptam quam suscipiendam legitimam declarandi.

Variae in diversis hisce indultis adduntur clausulae de causis requisitis, communicatione facultatum cet. (1).

Obtinent interdum alii etiam episcopi facultatem in propinquiori aliquo gradu dispensandi. Ep. Monasteriensis per S. C. de P. F. 6 febr. 1848 (2) obtinuit pro foro externo facultatem « dispensandi triginta tantum in casibus in matrimoniis tam contractis, quam contrahendis cum catholicis ejus spirituali jurisdictioni subjectis super impedimentis secundi et tertii mixti consanguinitatis, et affinitatis gradus, non tamen in secundo solo, et in praedictis casibus prolem susceptam legitimam decernendi. » Eidem pro foro externo per S. Poenit. 18 dec. 1857 (3) concessa fuit « in iis tantum casibus urgentioribus, in quibus absque gravis mali periculo, recursus ad Ap. Sedem haberi nequeat, et aliunde intercedat gravis et rationabilis causa pro concedenda

(1) Cf. Konings p. LXX sqq., Kenrick tr. 21, n. 217, Heiss p. 220, Conc. plenar. II Baltimorense a. 1866, tit. 5, c. 9, n. 339, ubi legitur Patres censuisse orandam esse S. Sedem ut possent episcopi quibusdam missionariis et pro nonnullis circumstantiis communicare facultatem sanandi in radice vel alias revalidandi matrimonia nulliter contracta: item ut possent communicare vicariis generalibus et, urgente necessitate, aliquibus sacerdotibus facultates quas ipsis concedere consuevit S. Sedes, dispensandi in impedimentis matrimonialibus, prout eis in Domino visum fuerit. Sed S. C. de P. F. rescripsit : « Relate ad haec duo postulata, voluerunt EE. PP. standum omnino esse formulis facultatum, ubi determinantur personae quibus memoratae facultates communicari possunt. » Ita in Instr. III, circa postulata a Patribus Concilii, sub VI.

(2) Ap. Bangen, tit. 2, p. 159.

(3) Ib. p. 159 sq.

dispensatione » facultas « dispensandi super impedimento consanguinitatis in primo gradu mixto cum secundo lineae collateralis pro quatuor casibus : super impedimento affinitatis in primo gradu lineae collateralis pro sex casibus : super impedimento affinitatis in primo gradu mixto cum secundo lineae pariter collateralis item pro sex casibus : super impedimento consanguinitatis in secundo gradu simplici lineae collateralis pro octo casibus : demum super impedimento affinitatis in secundo grado simplici lineae collateralis pariter pro octo casibus. »

Aliqui episcopi Galliae per S. Poenitentiariam obtinuerunt (1 « facultatem dispensandi, sive per se, sive per suos vicarios in spiritualibus generales, pro sex duntaxat casibus, super impedimentis primi affinitatis lineae collateralis gradus, sive simplicis, sive mixti cum cognatione spirituali ; aut primi et secundi affinitatis lineae collateralis gradus, seu simplicis, seu mixti cum cognatione spirituali, praeterquam inter levantem et levatum et vice versa, cum suis dioecesanis, quando magna causae gravitas concurrat, et absque mali et scandali periculo matrimonium differri nequeat usquedum ab Ap. Sede obtineri possit dispensatio, sub ea tamen conditione ut in singulis actis expressa mentio fiat specialis hujus Apostolicae delegationis. » Nonnullis concessum fuit speciale indultum, « ut cum suis dioecesanis super impedimento secundi vel secundi et tertii consanguinitatis vel affinitatis in linea obliqua gradus, sive simplicis, sive mixti cum tertio aut quarto consanguinitatis vel affinitatis gradu, primum gradum non attingente, dispensare valeat in centum solummodo casibus urgentioribus, in quibus justa et gravis causa concurrat, nec matrimonium differri possit usquequo dispensatio a Sede Ap. impetretur, facta in quovis casu expresssa mentione hujus Apostolicae delegationis. Indulsit insuper Sanctitas Sua, ut idem. . facultatem

(1) Duo priora quae sequuntur indulta referuntur a Caillaud, ed. cit. n. 411 sq.. Téphany. n. 191 sq., duo posteriora a Planchard. App. n. 5 sq.

ipsam alicui ex suis vicariis generalibus subdelegare valeat. » Item nonnullis indultae fuerunt facultates « quibus sive per se sive per suos vicarios in spiritualibus generales uti possit in casibus vere urgentibus, in quibus nempe magni momenti causa concurrat, et absque gravis mali periculo ad Ap. Sedem recursus haberi nequeat; facta in unoquoque casu expressa mentione hujus apostolicae delegationis. 1. Dispensandi super primo mixto cum secundo consanguinitatis lineae collateralis pro quatuor casibus. 2. Dispensandi super primo affinitatis lineae collateralis pro decem casibus. 3. Dispensandi super primo mixto cum secundo affinitatis lineae collateralis pro decem casibus. 4. Dispensandi super secundo simplici consanguinitatis vel affinitatis lineae collateralis pro sexaginta casibus. 5. Dispensandi super secundo consanguinitatis vel affinitatis lineae collateralis mixto cum tertio vel quarto pro sexaginta casibus. » Item ut posset episcopus per se vel per suos vicarios generales dispensare « cum suis dioecesanis super impedimento cognationis spiritualis inter levantem et levatam et vice versa in duobus casibus urgentibus in quibus nempe absque gravis mali periculo ad Ap. Sedem recursus haberi nequeat, facta in unoquoque casu mentione hujus apostolicae delegationis. »

Eu indultum annuum per S. Poenit. episcopis Galliae, ordinarie sub die 15 nov., concedi solitum (1) cum potestate facultates eo comprehensas suis vicariis generalibus communicandi, quibus facultatibus sive per se sive per alias idoneas personas ecclesiasticas specialiter deputandas uti possunt, sub expressa tamen mentione specialis Ap. delegationis in singulis actibus : « 1° Dispensandi in matrimoniis nulliter coram Ecclesia catholica usque ad praesentem diem nec ultra initis super quibuscumque impedimentis juris dumtaxat ecclesiastici in quibus S. Sedes dis-

(1) Ap. Planchard, App. n. 4, juxta modificationem factam a. 1881; cf. eumdem ap. *Nouv. rev. th.* t. 16, p. 198.

pensare consuevit, exceptis semper impedimentis ex ordine sacro et voto solemni castitatis provenientibus praevia renovatione consensus coram Ordinario seu contrahentium parocho ac duobus vel tribus testibus. 2° Dispensandi in matrimoniis contrahendis super tertio et quarto simplici vel mixto consanguinitatis vel affinitatis gradu, modo secundum nullimode attingat. 3° Dispensandi super impedimento publicae honestatis justis ex sponsalibus proveniente. 4° Dispensandi super impedimento cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem et levatam seu vice versa levatum ac levantem. 5° Dispensandi super impedimento criminis ex adulterio et fide data proveniente, neutro tamen in conjugis mortem cum effectu machinante. 6° Dispensandi seu convalidandi litteras dispensationis super quovis canonico impedimento ab Ap. Sede expeditas quae nullae fuerint ob errorem nominis vel cognominis contrahentium; vel nullae fuerint ob incestum reticitum in precibus aut patratum post missas preces et ante dispensationis executionem aut iteratum durante tempore separationis vi litterarum apostolicarum indictae in matrimoniis tam contrahendis quam etiam in facie Ecclesiae contractis, ut servatis servandis licite iniri seu renovari possint injuncta congrua poenitentia salutari; et si agatur de litteris ab Ap. Dataria obtentis non in forma pauperum super impedimentis primi, seu primi et secundi, aut secundi tantum consanguinitatis vel affinitatis graduum, praescripta etiam aliqua eleemosyna judicio ejusdem Ordinarii juxta contrahentium vires taxanda. »

Nonnumquam etiam potestatem sanandi in radice episcopi aliqui a Sede Ap. acceperunt. Eam a Pio VIII ad quinquennium acceperunt archiep. Coloniensis et episcopi Trevirensis, Paderbornensis et Monasteriensis pro matrimoniis mixtis propter clandestinitatem invalide contractis ante receptionem Instr. card. Albani 27 mart. 1830 (n. 527), etiamsi aliud praeterea concurrisset impedimentum ex iis, in quibus Sedes Ap. ob graves causas dispensare jam solet; servatis tamen conditionibus ac limitibus in

cit. Instr. expressis. Card. archiep. Bituricensis petiverat « facultatem suis vicariis in spiritualibus generalibus communicandam, qua sive per se, sive per aliam ecclesiasticam personam ad hoc specialiter deputandam uti poterunt, sanandi in radice pro triginta casibus matrimonia a suis dioecesanis nulliter contracta ob quaecunque impedimenta, sive publica, sive occulta juris duntaxat ecclesiastici in quibus Ap. Sedes dispensare consuevit, exceptis impedimentis ex ordine sacro, et ex voto solemni castitatis provenientibus, quando una pars consensum renovare recusat, vel hic consensus renovari non potest absque gravis mali periculo, aut infamia unius partis quemadmodum merito timetur, dum agitur de impedimentis provenientibus ex illicita copula; prudenter certiorato conjuge, quando est impedimenti conscius, de obtenta sanatione in radice, ut sciat se in legitimo matrimonio versari, facta in unoquoque casu expressa mentione specialis Ap. delegationis, et apposita in cancellaria episcopali memoria hujusmodi sanationum cum expressione nominum et cognominum conjugum quando agitur de impedimento publico, ut pro quocumque eventu de matrimoniorum validitate et prolis legitimitate constare possit. » Die 27 febr. 1849 Pius IX hanc gratiam benigne concessit (1). In Pii IX brevi 17 mart. 1856 ad epp. Austriae haec verba leguntur : « Vobis singulis... concedimus, ac tribuimus facultatem, ut usque ad diem, quo hae Nostrae Litterae ad unumquemque Vestrum pervenerint, in Vestris dioecesibus, Auctoritate Nostra Apostolica confirmare, et in radice sanare positis matrimonia, ac proinde legitimam declarare prolem exinde susceptam, vel suscipiendam, quae contracta fuere sine hujus Ap. Sedis dispensatione obstante impedimento cognationis spiritualis et civilis, affinitatis ex copula illicita, justitiae publicae honesta-

(1) Cf. Caillaud, ed. cit. n. 414, qui n. 375 alia exempla allegat: cf. etiam sup. n. 623 vs. *Inter facultates* sub 6°, infra n. 697, cit. *Collectanea* n. 1053, Téphany n. 196 sq. coll. Planchard n. 380.

tis ex matrimonio rato non consummato sive ex sponsalibus proveniente, itemque impedimento consanguinitatis seu affinitatis in gradu tertio, et quarto etiam tangente secundum (etsi matrimonia obnoxia ultimo commemorato impedimento fuerint inita cum dispensatione non debito vero modo obtenta) dummodo tamen matrimonia ipsa juxta formam ex Conc. Trid. praescriptam fuerint celebrata, nec iisdem matrimoniis aliud canonicum obstet dirimens impedimentum. Volumus autem, ut authenticum harum Nostrarum Litterarum exemplar in secreto vestro vel Archiepiscopali vel Episcopali Tabulario asservandum diligentissime curetis ad omnes difficultates penitus amovendas, quae futuris temporibus oriri unquam possent (1). »

Imo interdum concessa fuit facultas dispensandi in matrimonio rato tantum (2).

Aliam extraordinariam facultatem vid. sup. p. 352, 364 not. 1.

Aliquibus itaque episcopis, praesertim vero Cardinalibus, extraordinarias facultates interdum Sedes Ap. concedit (3), easque regulariter convenit non reddere publice notas.

(1) Per literas 16 junii 1856 Pro-Nuntius hoc breve episcopis communicavit, qui igitur paulo post hunc diem illud acceperunt, ex. gr. ep. Linciensis 18 junii; cf. hujus litt. ad clerum ap. von Moy, *Archiv*, t. 2, p. 257 sqq., breve vero vid. ap. auctores citt. sup. p. 522 not. 2.

(2) Vid. cit. *Collectanea*, n. 961-963, 965, 967.

(3) In tr. Mechlin. n. 101 dicitur archiep. Mechliniensem, praeter facultates in quinquennalibus expressas, gaudere aliis ad brevius tempus, vel ad certas vices dispensandi; quamquam ibi non indicantur, aliquas tamen conjicere licet ex iis quae hic illic in Appendice notantur. De facultatibus decennalibus episcoporum Siculorum vid. Pii IX litt. *Suprema* 5 Kal. Febr. 1864, § *Caeterum* (ap. *Acta S. Sedis*, t. 3, p. 181 sq.), et litt. *Multis gravissimis* 28 januar. 1864, § 14 sq. (Ib. p. 195), coll. S. C. C. in cit. causa *Dubia* cet. a. 1873 (n. 610); de facultatibus aliquorum episcoporum, vicariorum Apostolicorum cet. in remotissimis regionibus degentium cf. *Acta S. Sedis*, t. 7, p. 301 sqq., Giovine, t. 1, p. 629 sqq., quem de commissario Bullae Cruciatae cf. ib. p. 642 sqq. et de confessariis habentibus Bullam Cruciatam p. 262 sqq.; de facultatibus vicarii Ap. militiarum Austriacarum cf. Ginzel, op. cit. t. 1, Cod. n. 14.

624. His allatis indultorum exemplis, nonnulla sunt de potestate ejusmodi delegata universim animadvertenda.

1° Facultatibus relaxandi impedimenta pro foro conscientiae concessis uti nequit episcopus pro foro externo, et vice versa dicendum omnino existimamus cum non posse facultates dispensandi in impedimentis pro foro externo obtentas exercere pro foro conscientiae, etiamsi impedimentum aliis sit occultum. Magni praesertim momenti haec observatio est pro impedimentis natura sua publicis, nempe consanguinitate, affinitate legitima, cognatione spirituali, publica honestate (n. 97). S. Poenitentiaria quidem pro matrimoniis contractis potest pro foro conscientiae intra limites a Pontifice praestitutos dispensare in praefatis impedimentis, si sint aliis occulta (n. 606), et in uno casu etiam pro matrimonio contrahendo (n. 605), episcopus vero aliquas vi quinquennalium facultates quoad illa impedimenta habet pro foro externo per S. C. de Prop. Fide (n. 614 sq.), nullam tamen pro foro conscientiae per S. Poenitentiariam. Quapropter dicendum est priores illas facultates minime posse ad forum tantum conscientiae transferri, etiamsi impedimenta per accidens sint aliis occulta, sed episcopum pro iis semper debere procedere tamquam pro publicis (1), non excepta etiam publica honestate ex sponsalibus occultis. Quod si forte putaveris hanc in isto casu non esse natura sua publicam (n. 605), nihilominus non potes inde deducere episcopi potestatem in ea dispensandi pro foro conscientiae; hanc enim a S. Poenit. non accepit. Tantum igitur potest episcopus in ea tamquam publica dispensare vi facultatis acceptae pro foro externo (n. 615 init.).

625. 2° Facultate dispensandi pro matrimoniis olim in haeresi contractis (n. 614) uti potest episcopus etiamsi extra formam Tridentinam, ex. gr. civiliter tantum, inita fuerint, idque de iis quoque regionibus videtur affirmandum, ubi haeretici lege Tri-

(1) Cf. Bangen, tit. 2, p. 167. 169 sqq.

dentina ligantur, quia secus frustranea illa facultas foret, quum haeretici extra formam Tridentinam contrahant. Verumtamen omnino dicendum est eas requiri circumstantias, quas indicat S. Off. Instr. 3 vel juxta alios 23 martii 1825, quam haec S. C. jussit ab episcopis et missionariis observandam « veluti certam regulam et normam in expressis aliisque similibus casibus. » Agebatur de facultate dispensandi : « quo vero ad praeterita, etiam in secundo solo, dummodo nullo modo attingat primum gradum, cum his, qui ab haeresi, vel infidelitate (1) convertuntur ad fidem catholicam. » Rescripsit autem S. Off. : « Denique manifestum est per matrimonia praeterita, in quibus uti possunt Episcopi vel Missionarii facultate sibi ab Ap. Sede delegata dispensandi ut in dubio, intelligi non conjunctiones quascumque etiam fornicarias, sed eas tantummodo quae juxta mores regionum vel infidelium vel haereticorum formam habent et figuram matrimonii, quae tamen irrita sunt ob ecclesiasticum impedimentum secundi gradus affinitatis. » Quamquam igitur facultate praefata uti episcopus potest eo etiam casu, quo praeterea irritum fuit matrimonium ob clandestinitatem, in hac tamen ipsa dispensare nequit.

Quodsi episcopus acceperit indultum dispensandi pro matrimoniis nulliter contractis a catholicis, illud sola comprehendit matrimonia contracta in forma Tridentina, si in eo reperiantur verba « coram Ecclesia » vel similia, quae hodie semper addi consueverunt (n. 625 vs. *En indultum* sub 1°, et vs. *Nonnumquam* ubi Breve Pii IX a. 1856). Diversimode vero scribunt auctores de casu quo ejusmodi verba desunt (2); sed nihilominus videtur dicendum sola comprehendi matrimonia invalide quidem, in forma tamen Tridentina contracta, et verba supra indicata in

(1) Quo sensu de dispensatione in impedimento juris ecclesiastici sermo sit pro reversis ab infidelitate, vid. n. 367.

(2) Cf. Carr. n. 1101, *Compend.* n. 231 sub 1°, *Mél. théol.* ser. 2, p. 440 sqq., Soglia § 193, Vecchiotti, *Tract. can. de matr.* Taurini 1868, § 66, Caillaud ed. cit. n. 328.

ejusmodi quoque indulto esse subintelligenda. Rescripsit S. Poenit. 28 mart. 1816 : « In verbis — in matrimoniis huc usque nulliter initis — intelligi dumtaxat matrimonia nulliter contracta coram Ecclesia. » Opponi quidem posset ejusdem rescr. 14 febr. 1827 : « S. Poenitentiaria... respondet facultatem de qua in precibus adhiberi posse, nedum erga eos qui ob aliquod impedimentum nulliter contraxere coram parocho et duobus testibus, sed erga eos etiam qui, aliquod ex dirimentibus impedimentis habentes, coram magistratu civilem actum emiserunt. » Ii tamen ipsi, qui etiam pro clandestinis matrimoniis episcopi potestatem affirmant vel ei favent, fateri solent non satis constare utrum posterius hoc rescriptum fuerit peculiaris episcopo consulenti facta concessio, an vero generalis interpretatio facultatis, vel saltem desiderari notitiam circumstantiarum pro quibus prodiit istud rescriptum; perspicua vero sunt verba prioris rescripti. Sunt qui putent (1), distinctione facta inter loca, in quibus matrimonium non erat invalidum ob clandestinitatem, et ea in quibus ob hanc quoque invalidum erat, dici forsitan posse in priori casu episcopum uti posse indulto, dummodo ejusmodi sit conjunctio, in qua verificentur circumstantiae indicatae in cit. Instr. S. Off.; in posteriori vero casu non posse eum uti indulto, sed tunc locum esse cit. rescr. S. Poenit. a. 1816. At in priori quoque casu abstinendum esse existimamus (2).

Potestne episcopus indulto suo uti cum iis, qui temere neglexerunt proclamationes, vel qui mala fide, seu scientes impedimentum et matrimonii propter illud invaliditatem, nulliter contraxerunt? Affirmandum quidem est tum si agatur de matrimonio olim in haeresi contracto, tum si agatur de matrimonio contracto

(1) Soglia et Vecchiotti ll. cc.

(2) In omnibus hoc numero dictis de episcopi facultate dispensandi pro matrimoniis contractis non tetigimus quaestionem, an post episcopi dispensationem observari debeat forma Tridentina : solutionem ea accipit ex dicendis c. 35 § 4.

a catholicis, quorum unus erat bonae fidei, ideoque praemissis vel dispensatis proclamationibus celebrato; his enim temere neglectis, bona fides deest etiamsi impedimenti scientia non habeatur (n. 264 sub 1°). Dubium vero vertitur circa casum, quo uterque malae fidei fuerit, et sunt qui episcopi potestatem negent (1). Pro hac opinione sequentes possunt afferri rationes : 1° Trid. sess. 24 c. 5 de ref. matr. tales vult spe dispensationis carere, idque de omnibus impedimentis intelligendum est (2). 2° Non praesumitur Pontifex concessisse facultatem, qua ipsemet raro et cum magna difficultate utitur. Hinc a potestate etiam quasi ordinaria episcopi in casu urgentissimae necessitatis dispensandi pro matrimonio contracto communis doctrina excipit matrimonium mala utriusque fide initum (n. 634 sub 1° et 2°). Praecise etiam propter indicatam dispositionem Tridentinam mala fides debet exprimi, quando dispensatio petitur ob causam matrimonii invalide contracti (n. 677 sq.), imo circumstantia matrimonii invalidi mala fide contracti exprimi debet, licet alia causa finalis allegetur (n. 718). Non obstantibus his rationibus, opinamur episcopum posse indulto suo uti, dummodo alterutrum nunc poeniteat, et in libello supplici exprimantur ea quae modo fuerunt indicata aliaque necessario exprimenda, idque quia tales non omnino carent spe obtinendae dispensationis, sed difficilius tantum seu sub severioribus clausulis eam obtinent. Ex necessitate enim exprimendi malam fidem deduci non posse defectum potestatis in episcopo, colligitur ex eo quod in praxi S. Sedis exprimi etiam debeat mala fides quae in uno tantum adfuit (n. 677, 718), pro qua tamen hypothesi non negatur episcopi potestas. Restat difficultas quae peti potest ex communi doctrina circa quasi ordinariam potestatem in casu urgentissimae necessitatis; sed, etiamsi non sentias cum nonnullis, qui opinantur tunc posse episcopum, non obstante mala utriusque fide, dispen-

(1) Cf. Giovine, t. 1, p. 640.
(2) Cf. n. 264 sub 2°, n. 369 sub 2°.

sare, aliunde tamen solvi videtur illa difficultas. Eo enim casu agitur de mere praesumpta seu tacita Pontificis licentia, cujus aliam probationem non habemus nisi communem doctrinam tacite a Pontificibus approbatam, quae praecise excipit malam utriusque fidem; in nostro vero casu agitur de expresse delegata facultate, cui non fuit apposita exceptio malae utriusque fidei.

626. 3° In diversa significatione apud auctores occurrit mentio gradus « simplicis et mixti, » et in ipsis indultis Apostolicis non eodem semper adaequate sensu hae voces adhibentur (1). Propria et maxime usitata earum significatio est ut indicent graduum aequalitatem vel inaequalitatem; interdum tamen voces « et mixti » simul significant ejusdem impedimenti multiplicitatem (2), et nonnumquam etiam indicant diversorum impedimentorum concursum (3). Prima autem significatio non est facile praetereunda nec excludenda, etiamsi alia quoque videatur adesse. An et quandonam episcopus uti queat indulto, quando occurrit mixtio graduum inaequalium, vel mixtio consistens in ejusdem impedimenti multiplicitate, vel mixtio seu concursus diversorum impedimentorum, id quidem dicetur n. 630 sub *c*, *d* et *e*.

627. 4° Cum solis utroque catholicis dispensandi potestatem episcopus habet, non vero cum acatholicis, neque uno tantum converso, altero remanente in haeresi, neque cum eo qui matrimonium mixtum vult inire vel inivit (4). Imo ille etiam episcopus,

(1) De iis fusius agit Planchard ap. *Nouv. rev. th.* t. 15, p. 49 (53) sqq., 656 (660) sqq., 658 (662) sqq.

(2) Ex. gr. in n. 3 quinquennalium pro foro externo (n. 614), ut patet ex S. Off. 25 junii 1670 (p. 522 not. 2) et ex citandis n. 630 sub *d*.

(3) Ex. gr. in primo indulto citato n. 623 vs. *Aliqui*, sed tunc, ut ibi fit, concursus iste expresse indicatur.

(4) Vid. n. 614 sub 4°, Ben. XIV const. *Magnae Nobis* 29 junii 1748 (*Bullar. Ben. XIV*. t. 2, const. 51; ed. Mechl. vol. 6, p. 67 sqq.), const. *Ad tnas manus* 8 aug. 1748 (Ib. const. 59; ed. cit. vol. 6, p. 228 sqq.), litt. 12 sept. 1750 ad ep. Vratislaviensem (cf. Pii VI rescr. 13 jul. 1782 ad card. de Frankenberg, ap. Moser, *De imped. matr.* App. n. 11), hoc ipsum Pii VI rescriptum, S. C. C. 20 aug. 1780 (sup. p. 523 not.), S. C. Negot. eccl. extraord. 20 junii 1856 ad ep. Transilvaniensem (ap. de

qui obtinuit indultum dispensandi in mixta Religione, nihilominus caret potestate simul utendi alia dispensandi facultate, nisi speciale ad hoc indultum acceperit, quod pariter certum est ex diversis Sedis Ap. declarationibus et pro certo casuum numero concessionibus. Ex. gr. Ep. Monasteriensis per S. C. Negot. eccl. extraord 6 jul. 1855 separatim accepit unum indultum dispensandi ad quinquennium in mixta Religione, alterum vero dispensandi pro biscentum casibus ad matrimonia mixta contrahenda super concurrente impedimento tertii et quarti consanguinitatis vel affinitatis gradus simplicis et mixti, secundum tamen gradum minime attingentis, et observatis aliis indulti conditionibus (1). Ampla episcopis prov. Colonicnsis potestas ejusmodi ad quinquennium concessa fuit pro sanandis in radice matrimoniis mixtis ob clandestinitatem quoque invalide initis usque ad receptionem Instr. card. Albani 27 mart. 1830 (p. 557). Imo in hac ipsa Pius VIII ex tolerantia, non approbante, sed dispensationem in casu validam reddente, dedit iisdem potestatem ad quinquennium dispensandi pro matrimoniis mixtis contrahendis, etiam illicitis, in quibusdam tamen a se indicatis impedimentis tantum, et aegerrime atque diversis positis conditionibus. Simili tolerantia usus erat Ben. XIV in citt. litt. a. 1750 ad ep. Vratislaviensem. Recentius, ut patet ex cit. rescripto S. C. Negot. eccl. extraord. 20 junii 1856, duplex facultas data fuit episcopo Transilvaniensi, altera ad quinquennium pro mixta Religione, altera pro certo casuum numero concurrentis cum ea consanguinitatis et affinitatis in tertio et quarto gradu lineae collateralis. Alius in Germania episcopus proposuit : « 1. Utrum facultas expedita per S. C. de Prop. Fide recte et valide adhiberi possit conjunctim cum altera facultate expedita a S. C. S. Off. nec ne, quando nimirum agitur de connubiis mixtis; 2. Et si, quod non parvo me afficeret dolore,

Roskovany, *De matr. mixt.* t. 5, Pestini 1871, p. 221 sqq.), S. Off. 12 apr. 1866 (vid. paulo infra); et cf. Giovine, t. 1, p. 172 sq. coll. p. 296 sqq.

(1) Ap. Bangen, tit. 2, p. 161 sq.

quaestio haec negative decidenda esset, insuper supplico, ut S. V. mihi gratiosissime consulere eaque praesidia indulgere dignetur, quibus quod minus recte actum est hucusque in hac dioecesi, quo melius remediari possit; 3. Et pro futuro, si ad hoc speciali facultate opus est, clementissime concedere, ut in mixtis matrimoniis delegata potestate etiam dispensare valeam, quando concurrunt impedimenta tertii et quarti simplicis et mixti tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, dein publicae honestatis justis ex sponsalibus provenientis, et criminis, neutro tamen conjugum machinante, et tandem cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem et levatum. Talis autem indulgentia in administranda hac dioecesi et pro salute animarum non tantum opportuna sed valde necessaria etiam mihi esse videtur, cum facile evenire possit, ut nupturientes hujusmodi, si dispensatio differtur, ministrum acatholicum adeant, vel... matrimonia mere civilia ineant et educationem prolis sperandae in fide catholica prorsus negligant maximo salutis suae detrimento et fidelium scandalo. » Respondit S. Off. fer. IV die 12 sept. 1866 : « Ad Primum : Negative; ad Secundum : R. P. D. Episcopus sileat, et relinquat conjuges in bona fide; ad Tertium : Supplicandum SS^mo pro gratia, qua R. P. D. Episcopus Orator dispensare valeat in quinquaginta casibus super tertio et quarto gradu consanguinitatis simplici et mixto tantum, et in totidem casibus super tertio et quarto gradu affinitatis simplici et mixto tantum; dein in viginti quinque casibus super unoquoque ex reliquis impedimentis de quibus petitur, dummodo casus adeo urgeat, ut non suppetat tempus recurrendi ad S. Sedem. Eadem die ac Feria SS^mus benigne annuit pro gratia juxta Emorum suffragium, quod adprobavit. Angelus Argenti S. R. et U. I. Notus (1). »

(1) Ap. von Moy et Vering, *Archiv*, t. 17, p. 175 sq. Alia exempla vid. ap. Planchard, *Dispenses matrimoniales*, App. n. 7, et *Nouv. rev. th.* t. 15, p. 530 (534) sq., S. C. de P. F. 8 sept. 1869 (cit. *Collectanea... ad*

628. 5° Cum solis suis dioecesanis dispensandi facultatem episcopus habet. Dispensare potest cum habentibus verum in ejus dioecesi domicilium et cum vagis, minime vero cum iis qui neque sunt vagi neque domicilium aut quasidomicilium in ejus dioecesi habent; discordes autem sunt auctores in quaestione an sufficiat quasidomicilium; sufficere multi dicunt, non pauci tamen negant. Quum ex principiis generalibus sufficiat quasidomicilium, difficultas tantum oritur ex Greg. XIII declaratione (1), juxta quam quasidomicilium sufficit ut utatur episcopus facultate absolvendi data a Trid. sess. 24 c. 6 de ref., sed verum domicilium requiritur ut utatur ibidem concessa facultate dispensandi. Ob hanc declarationem varii auctores sentiunt non posse episcopum aliis quoque in lege communi dispensandi facultatibus uti nisi cum habentibus verum domicilium. At praefata declaratio solum respicit citatum casum Tridentinum circa irregularitates; eam vero alias ac speciatim in re praesenti dispensationes non comprehendere, sed ad eas sufficere quasidomicilium, hodie certum est auctoritate S. Off. 22 nov. 1865 (n. 629); indultum tamen dispensandi in mixta Religione vel in disparitate cultus numquam comprehendit Italos, quos non constat italicum domicilium omnino deseruisse (n. 613 vs. *In mixta*, n. 623 vs. *Inter facultates*).

Supra vidimus an in casu, quo ad diversas dioeceses partes pertinent, utriusque episcopi dispensatio requiratur in proclamationibus (n. 266) vel in particulari vetito matrimonii tempore feriato (n. 555); quod vero ad impedimenta spectat, n. 658 sub 2° videbimus non requiri utriusque episcopi dispensationem, quando agitur de impedimento non personali sed utrique nupturienti communi. Quamquam autem tunc sufficit ut ille nupturientium, cum quo directe dispensat episcopus, aliquo ex supra indi-

usum operariorum Ap. n. 1011), Pius IX 31 aug. 1873 (Ib. n. 1013), 21 sept. 1873 (Ib. n. 1014).

(1) Ap. Garciam, *De benef.* part. 11, c. 10, n. 139, Fagn. n. 35 ad c. *Dilectus*, De temp. ord.

catis modis sit ejus dioecesanus seu ei subjectus, convenit tamen ut dispensatio detur ab episcopo sponsae, ideoque ad hunc pro dispensatione obtinenda nupturientes remittantur, nisi peculiaris ratio obstet; in sponsae enim dioecesi matrimonium celebrari solet.

629. 6° Si indultum non exprimat contrarium, uti eo potest episcopus etiam extra suam dioecesim existens, et licet dioecesanus, cum quo directe dispensat, extra eam existat. Sed quid si, ut n. 22 quinquennalium pro foro externo (n. 618) et initio quinquennalium pro foro conscientiae (n. 619), reperiatur clausula exigens usum intra dioecesim? Sunt qui velint eam nihil aliud indicare quam ut exerceatur erga dioecesanos (1); alii vero volunt requiri ut episcopus eo momento, quo indulto utitur, intra suam dioecesim existat; alii autem requirunt subditi, cum quo directe dispensatur, eo momento existentiam in dioecesi. Imprimis quidem indulto utentem debere eo momento intra dioecesim esse videri posset ob sequentem rationem. Clausula illa facultates quinquennales fori externi omnes respicit; earum autem nonnullae aliquid ipsi episcopo personaliter permittunt, ex. gr. n. 2 ei datur licentia legendi et tenendi libros prohibitos. Quum igitur ipsa hac personali concessione uti nequeat extra dioecesim propter praefatum n. 22, videri posset per hunc etiam excludi usum extra dioecesim pro dispensando vel communicando cum aliis. At dispensantis vel communicantis praesentiam in dioecesi non requiri constat ex resp. S. Off. fer. IV, 2 maii 1877, ad postulatum 3 Synodi plenariae apud Maynutiam a. 1875 : « Ad postulatum tertium de sensu clausulae facultatum *extra fines dioecesis* responsum fuit : Verba relatae formulae ita esse intelligenda, ut Episcopus uti possit facultatibus erga suos subditos, qui actu, quo dispensandi sunt, in propria dioecesi commorantur; quamvis ipse

(1) Cf. Kugler, t. 2, part. 4, n. 186, et ex quaestionibus quae sunt ad calcem, q. 29, obj. 3, Kutschker, t. 5, p. 105.

Episcopus extra suam dioecesim degat (1). » Illius vero, cum quo directe dispensatur, existentiam intra dioecesim requiri, constat tum ex cit. resp. S. Off. a. 1877, tum ex ejusdem rescr. 22 nov. 1865 ad ep. Southwarcensem (2), quod propter alia quoque eo indicata integrum referimus, una cum dubiis ab episcopo propositis.

« 1. In formula secunda edicitur ut Episcopus qui his a Pontifice facultatibus donatus est, *nullo modo iisdem uti possit extra fines suae Dioecesis*. Sed idem alias facultates solet a S. Sede obtinere, quibus haec non apponitur limitatio, v. gr. ut possit in matrimoniis mixtis dispensare. Mihi videtur quoties alicujus rei facultatem R. Pontifex rogatus cuilibet facit, haec limitatio implicite apponi; ita ut duobus Southwarcensi Dioecesi subditis, qui forte Plymuthi commorantur, ut ibi mixtum matrimonium inire queant concedere per dispensationem non possim. Quaeso Te, S. Pater, ut edisseras utrum haec sententia vera sit : id est quoties Indultum ea verba *nullo modo etc.* minime praefert, haec semper in eodem subaudienda esse. 2. Frequenter contingit ut sive vir sive mulier aliquo vel dirimente vel impediente impedimento obstrictus vel obstricta, super quo dispensandi facultate praediti sumus, Liverpolium v. gr. matrimonium cum alia vel alio ibidem commorante ineundi causa adire velit. Sciscitor utrum hunc vel hanc e mea dioecesi discedentem omni impedimento liberare possim directe dispensando, atque ita impedimento sublato Liverpolium mittere, ubi alter ex sponsis commoratur, ad matrimonium ibidem ineundum. 3. Si duo ex subjectis meae dioecesi, inter se consanguinei vel affines, velint omni impedimento absoluti Liverpolium, nuptias ibidem ineundi causa, proficisci; quaero an Ap. Indulto uti possim pro matrimonio, quod extra dioecesis meae finem ineundum erit, permittendo. 4. Cum

(1) Ap. *Nouv. rev. th.* t. 12, p. 579, Konings, t. 2, p. 412.
(2) Ap. *Acta S. Sedis*, t. 2, p. 670 sq., cit. *Collectanea* n. 910, 1009.

in dispensando super matrimoniis mixtis Ecclesia catholico viro aut mulieri cum anglicana muliere aut viro (in quos directe cadere Ecclesiae beneficia non debent) inire nuptias permittere soleat; a quonam Episcopo concedi dispensatio potest cum Catholicus vel Catholica venit ad matrimonium extra suam dioecesim ineundum? Fer. IV, die 22 Nov. 1865. In Congregatione... Ad primam. Clausulam — *nullo modo uti possit extra fines suae dioecesis* — ita intelligi debere ut facultates sub ipsa comprehensae exerceri tantummodo possint cum propriis subditis in dioecesi existentibus actu quo conceditur gratia. Eamdem tamen clausulam non subintelligi in facultatibus, quae Episcopis ab Ap. Sede conceduntur, nisi fuerit expressa vel aliter constet de mente Summi Pontificis, vel nisi subjecta materia eam requirat. Facultatem vero dispensandi super impedimento mixtae religionis concedi cum clausula — *dispensare valeat intra fines suae dioecesis* — : eam proinde exerceri non posse nisi cum subditis actu existentibus intra fines propriae dioecesis, servatis caeteroquin iis quae traduntur in responsione ad quartam. Ad secundam et tertiam. Affirmative, nisi obstet tenor Ap. concessionis, impetrata tamen venia pro celebratione matrimonii ab Episcopo loci ubi ipsum matrimonium contrahitur. Ad quartam. Catholicos viros vel mulieres dispensari posse, justis accedentibus causis, super impedimento mixtae religionis ab Ep. hanc facultatem habente, cujus sunt subditi ob domicilium vel quasidomicilium in ejus dioecesi acquisitum, dummodo in eadem dioecesi actu existant quando dispensationem recipiunt; dispensationem vero ita obtentam exequutioni tradi posse ubicumque mixta connubia contrahi permittuntur, nisi aliquid aliud obstet judicio Ordinarii loci in quo contrahitur matrimonium : secus pro dispensatione ad Ap. Sedem recurrendum esse. Angelus Argenti, S. R. et Un. Inq. Notarius (1). »

(1) Accedat documentum ex primo conc. prov. Westmonasteriensi a. 1852, App. part. 1, n. 14, in *Collect. Lacen.* t. 3, col. 963 : « Bme Pater. Cum in formula secunda quae episcopis Angliae concedi solet, statuatur nul-

650. 7° Juxta communem doctrinam dispensatio, eique hac in re aequiparanda facultas seu mandatum dispensandi cum persona determinata, strictam habere debet interpretationem; latam vero facultas dispensandi generalis, seu quae non est data ad dispensandum cum determinata persona. Hinc diversimode solvuntur ab auctoribus variae quaestiones, prout aut ad priorem aut ad posteriorem casum referuntur (1). Nihilominus latam quoque facultatis generalis interpretationem intra certos limites contineri merito docent auctores, ii praesertim qui praxi Sedis Ap. accuratius inhaerent; imo ex hac ipsa potius praxi et mente Sedis Ap. limites indultorum sunt determinandi, quam ex solo generali principio supra indicato.

a. Ipsa etiam facultas generalis extendi non potest ab uno impedimento ad aliud, licet minus grave, nisi hoc illo contineatur, neque ab una impedimenti specie ad aliam, neque ab una linea ad aliam, neque a matrimonio contracto ad contrahendum neque a contrahendo ad contractum (2).

lum episcopum posse facultatibus in ea datis uti extra fines suae dioeceseos, cumque saepenumero accidat, quod unus episcopus ordinationes habere debeat pro seminario pluribus dioecesibus communi, archiepiscopus et episcopi Concilii provincialis Angliae petunt, ut episcopus ordinans vel in seminario, vel extra, possit de consensu Ordinarii cujusque ex candidatis, ipsos absolvere ab irregularitate qua forte ligantur, servato caeteroquin tenore ejusdem formulae secundae. Ex Audientia SS^mi^ habita die 13 Martii 1853. SS^mus^ D. N. Pius, Div. Prov. PP. IX, referente me infrascripto S. C. de Prop. Fide secretario, juxta EE. PP. sententiam benigne petitioni annuit, contrariis quibuscumque haud obstantibus. Dat. Romae ex aed. dic. S. C. die 14 Maii 1853. Al. Barnabò, a secretis. » Sed in isto documento agitur de dispensatione in irregularitatibus, de qua vid dicta supra quoad Trid. sess. 24 c. 6 de ref. Eaedem igitur quaestiones moventur circa hujus decreti verba « in dioecesi sua, » sed peculiaribus etiam argumentis solvuntur, et non sunt hujus loci.

(1) Cf. Rigant. n. 69 sqq. in reg. 14 Canc., Corrad. l. 7, c. 6, n. 75 sqq., de Justis, l. 1, c. 2, Giovine, t. 1, p. 168-184, secr. S. C. C. in una *Dubia* cet. a. 1873 (sup. p. 513 not. 1).

(2) Cf. Giovine l. c. p. 169 sqq.

b. Concessa pro determinato gradu, ex. gr. quarto, non valet pro propinquiori, ex. gr. tertio, sed pro propinquiori concessa, ex. gr. pro tertio, communiter dicitur valere pro remotiori, ex. gr. quarto. At S. C. de P. F. 7 junii 1853 Vicario Ap. Pudicherii rescripsit : « Indultorum verba prout sese exhibent esse intelligenda. Hinc negative quoque respondendum dubio quarto loco proposito inferes, nimirum per facultatem dispensandi super impedimento secundi mixti cum primo haud tributum Indultum dispensandi quoque quando primus cum tertio mixtus deprehendatur (1). » Dispensatio autem ipsa, vel facultas seu mandatum dispensandi cum persona determinata, si data fuerit in gradu remotiori, non valet pro propinquiori ; sed in hoc concessa communiter (2) affirmatur valida pro remotiori ; contradicunt tamen nonnulli (3), quorum sententiam confirmat cit. rescr. S. C. de P. F. a. 1853.

c. In casu mixtionis graduum inaequalium facultas generalis concessa pro aliquo gradu non comprehendit eumdem mixtum cum aliquo propinquiori, etiamsi indultum loquatur de gradu simplici et mixto (n. 614 sub 3°) ; sed communiter dicitur comprehendere eumdem mixtum cum aliquo remotiori, licet non expresso in indulto. Quamquam autem sunt qui etiam postremum hoc jure merito negent, in praxi tamen inde difficultas vix occurrit, quum antiquam formulam jamdiu mutaverit S. Sedes, addendo verba « et mixti, » vel similia (inf. sub *d*). De graduum inaequalium expressione in supplici libello pro ipsa dispensatione obtinenda ab eo, qui eam concedendi facultatem habet, vid. n. 353, 376, 614 sub 3°, et fusius n. 703.

d. Si mixtio adest consistens in gradu multiplici ejusdem in specie impedimenti, pro plerisque casibus cessavit existens olim

(1) Ap. citt. *Collectanea* n. 855.

(2) Cf. Giovine t. 1, p. 179 sq., t. 2, p. 22, 204, tr. Mechl n. 99 sub VIII.

(3) Inter quos Conrad. l. 7, c. 5, n. 94 sqq., Rigant. l. c. n. 71 sq.

auctorum in interpretando diversitas, quia, ut supra fuit observatum, ad varias de facultate dispensandi quaestiones evitandas Sedes Ap. antiquam indultorum formulam jamdiu mutavit, adhibendo mentionem gradus simplicis et mixti vel aliam hujusmodi (1). Jam n. 626 observavimus mentionem gradus simplicis « et mixti, » ultra maxime propriam significationem inaequalitatis graduum, interdum etiam notare eam, de qua nunc agimus, multiplicitatem. Et revera hujusmodi verba in facultate generali adhibita (n. 614, 623 passim) hanc in eadem impedimenti specie seu graduum multiplicitatem comprehendere, et quamcumque quidem si nulla addatur ejus determinatio, constat ex pluribus documentis. 1° Vic. gen. S. Ludovici proposuit : « 1. An in multiplici consanguinitate seu cum consanguineis, qui ex multiplici stipite invicem conjuncti sunt, Ordinarius dispensare possit juxta facultates a S. Sede impetratas tenoris sequentis = Dispensandi in 3 et 4 consanguinitatis et affinitatis gradu simplici, et mixto tantum, et in 2, 3 et 4 mixtis non tamen in 2 solo quoad futura matrimonia = atque = Dispensandi in utroque foro cum catholicis ejus jurisdictioni subjectis in matrimoniis sive contractis sive contrahendis super impedimento secundi gradus consanguinitatis vel affinitatis in linea transversali aequali, in centum casibus. 2. An in multiplici affinitate dispensare possit. » S. Off. fer. 3, loco IV, 15 junii 1875, rescripsit : « Ad Primum et Secundum = Affirmative, scil. declararunt — Episcopos, qui facultate gaudent quinquennali, dispensandi in 3 et 4 consanguinitatis et affinitatis gradu simplici, et mixto tantum, et in 2, 3 et 4, non tamen in secundo solo, quoad futura matrimonia posse dispensare in 3 et 3, in 4 et 4, in 3 mixto cum 4, nec non in 3 et 4 cum 2 mixtis, sive gradus oriatur ex uno, sive ex multiplici stipite, facto verbo cum SS^mo (2). » Eadem die SS^mus hanc responsionem

(1) Cf. Corrad. l. 7, c. 6, n. 76 sq., Rigant. l. c. n. 77.

(2) Apud auctores citatos p. 522 not. 2. Clero suo hanc responsionem

confirmavit. 2° In annuo indulto episcopis Galliae concedi solito, (n. 623 vs. *En indultum*) dicitur n. 2 : « Dispensandi in matrimoniis contrahendis super tertio et quarto simplici vel mixto consanguinitatis vel affinitatis gradu, modo secundum nullimode attingat. » Episcopus autem aliquis Galliae S. Sedi proposuit inter alia dubium primum : « An vi indulti 15 nov. possit Ep. dispensare in consanguinitate vel affinitate in gradibus ibidem determinatis, etiam quando iidem gradus multiplicantur? » S. Poen. 18 januar. 1883 rescripsit : « Ad 1^um. Affirmative (1). »

Si tamen indultum ipsum multiplicitatis limites ponat, ultra eos facultas deest. In indulto Siculo a Pio IX concesso § 14 litt. *Multis gravissimis* a. 1864 (sup. p. 538 not. 3) haec verba occurrunt : « in tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis gradu sive simplici sive duplici, ac etiam mixto, dummodo primum non attingat. » Vox illa « duplici » ampliorem multiplicitatem excludit, et idcirco, propositis dubiis : « 1. An Siciliae Episcopi dispensare valeant in tertio vel quarto consanguinitatis aut affinitatis gradu triplici, idest ex triplici stipite proficiscente in casu. 2. An iidem Ordinarii dispensare valeant, quando consanguinitas vel affinitas reperiatur in tertio vel quarto gradu duplici et simul concurrat alius gradus mixtus ex tertio et quarto, idest a tertio alio stipite proveniens in casu, » S. C. C. 26 apr. 1873 ad utrumque respondit : « Negative (2). »

Quodsi sola mentio « simplicis » in aliquo indulto occurrat, quaevis multiplicitas excluditur. Si autem aliquod indultum nihil habeat de simplici vel mixto, sed facultatem tribuat in genere, disputari potest (3), sed videtur neganda multiplicitatis concessio.

communicarunt archiep. Strigonien. a. 1876 (ap. Vering l. c.), archiep. Colonien. a. 1875 (ap. Raich, ib. t. 38, p. 126 sqq.), aliique Germaniae episcopi.

(1) Ap. Planchard in *Nouv. rev. th.* t. 15, p. 52 (56) sq.

(2) In causa *Dubia* cet. citata p. 513 not. 1 ; cf. etiam disc. secretarii ap. Planchard l. c. p. 36 bis (40) sq.

(3) Cf. cit. disc. secr. S. C. C. in cit. *Dubia* cet. a. 1873.

Atque haec quidem de indulto seu facultate generali. In dispensatione vel mandato dispensandi cum determinata persona non continetur multiplicitas, nisi exprimatur (1).

c. Potestne episcopus, munitus indultis dispensandi in diversis impedimentis, dispensare quando in aliquo casu habetur mixtio seu concursus ejusmodi impedimentorum, vel diversarum ejusdem impedimenti specierum, et nullus fit recursus ad S. Sedem (2) ? Imprimis quidem certo potest si iste concursus expresse admittatur in indulto (n. 626), minime vero si in aliquo indulto occurrat clausula exigens ut aliud non obstet canonicum impedimentum, vel si agatur de concursu mixtae Religionis et alterius impedimenti et episcopus pro isto praecise casu indultum non habeat (n. 627). Extra has hypotheses diversimode sentiunt auctores (3), et multi tradunt dispensare posse episcopum, non solum quando agitur de impedimentis eodem indulti tenore seu periodo expressis, ex. gr. n. 3 quinquennalium fori externi (n. 614), verum etiam quando agitur de expressis in diversis indultis vel diverso indulti tenore seu periodo, et licet indulta a diversis Romanis Congregationibus emanaverint. At recentius in lucem publicam prodierunt plura S. Sedis documenta hanc potestatem negantia. Certum igitur nunc est episcopum facultatem non habere, saltem quando non agitur de potestate extraordinaria, de qua dicetur n. 633 sqq., sed de delegata per indultum. Etenim 1° episcopus Moguntinus quaesiverat : « 1. Utrum vigore facultatum, quas S. Sedes mediante S. C. de P. F. episcopis Germaniae ad quinquennium concedere solet, etiam tunc dispensari possit

(1) Cf. n. 703 sub 6°, Giovine t. 1, p. 180 sq.

(2) De casu enim quo intervenit recursus ad S. Sedem dicetur n. 631.

(3) Cf. de Justis l. c. c. 2, n. 13, coll. c. 6, n. 555 sqq., Kugler, t. 2, part. 4, q. 6 ex iis quae sunt ad calcem, *Nouv. rev. th.* t. 5, p. 462, t. 14, p. 619 sqq., Caillaud ed. cit. n. 333, 340, Téphany n. 157, 164, Planchard, *Disp. matrimoniales*, n. 128 sqq. et ap. *Nouv. rev. th.* t. 15, p. 34 bis (38) sqq., 48 (52) sqq., 650 (654) sqq., 658 (662) sqq.

cum nupturientibus, siquidem duo vel plura simul concurrunt impedimenta canonica, super quibus singulis separatim tamen spectatis dispensandi facultas ibidem explicite tribuitur? » Praefectus S. C. de P. F. 16 junii 1868 respondit : « In primis attentis declarationibus S. Inq. Tribunalis perspectum est facultates concessas dispensandi supra singula impedimenta extendi non posse ad casum quo haec eadem impedimenta simul concurrant, et cumulentur (1). » 2° Praefectus ejusdem Congregationis 10 febr. 1869 scripsit episcopo de Marysville : « Optime... se gessit A. T. dum super duplici impedimento dispensare renuit, cum S. Inq. Congr. non semel declaraverit facultates, quae Episcopis concedi solent, minime extendi ad casum, quo duo vel plura impedimenta cumulantur (2). » 3° Instr. S. C. de P. F. ad vicarios Apostolicos Indiae, 8 sept. 1869 : « Quia vero ad S. C. perlatum est plures ex Indiarum orientalium Praesulibus usos esse huc usque facultatibus quae respiciunt dispensationes in impedimentis matrimonium dirimentibus, etiam ubi eveniat duo impedimenta diversa in eadem persona cumulari, putantes ad id facultates sibi concessas pertingere, quod tamen admitti nequit; cautum est ut, quoad praeterita matrimonia in quibus, concurrentibus pluribus impedimentis, hac ratione dispensatum est, ap. Vicarii sileant et relinquant conjuges in bona fide; quoad futurum vero tempus, recurrant in singulis casibus, ac, si praevideant tempus difficile suppetiturum recurrendi ad S. Sedem, petant facultatem pro numero casuum quae ipsis a Summo Pontifice, siquidem opportunum videbitur, concedetur (3). » 4° Pius IX 31 jul. 1870 Vicario Ap. Tongkini Meridionalis concessit « ut facultatibus, ab Ap. Sede ei tributis, dispensandi super quibusdam impedimentis matrimonium dirimentibus singillatim sumptis, uti etiam possit,

(1) Ap. Vering, *Archiv* t. 21, p. 172 sq.

(2) Ap. Konings, ed. a. 1876, t. 2, p. 399, *Nouv. rev. th.* t. 14, p. 622 sq.

(3) Ap. citt. *Collectanea* n. 1011.

sive per se, sive per alios Sacerdotes ab eo deputandos, in centum casibus urgentioribus pro quibus non suppetat tempus recurrendi ad S. Sedem, quamvis duo vel plura simul concurrant ex praedictis impedimentis, sive ejusdem, sive diversae sint speciei, ea tamen lege ut, si agatur de facultatibus pro certo casuum numero taxative eidem concessis, hunc numerum, inter praedictos centum casus computandum, non excedat. Quoad vero matrimonia hactenus inita, Vicarius ap. orator sileat (1). » 5° « 1875. Maii 16. — Vic. ap. N. exponit quod tam ipse quam Vic. ap. ejus antecessores, utentes facultatibus ab Ap. Sede Missionum Superioribus tributis, super impedimentis matrimonium dirimentibus dispensarunt, etiam quando duo vel plura ex praedictis impedimentis simul concurrerent. Nuper autem audivit tales dispensationes sine speciali Indulto, ex declaratione S. Univ. Inq. Congr., invalidas esse. Quae cum ita sint, humiliter postulat Orator pro sanatione quoad praeteritum, et pro concessione facultatis dispensandi in centum casibus quando duo vel plura impedimenta concurrunt, sive ejusdem, sive diversae sint speciei. Causae autem postulationis sunt : difficultas recurrendi ad S. Sedem et numerus Christianorum 140,000 excedentium. — SS. D. N. Pius PP. IX benigne annuit pro gratia juxta petita, pro centum scil. casibus (2). » 6° Vic. gen. Engolismen. petierat : « III. Cum plura eidem matrimonio obstant impedimenta, an omnia auferre possit [Ordinarius], facultatibus utendo sub variis indulti [diei 15 nov.] numeris contentis, v. g. dispensare super consanguinitate in quarto gradu, et simul super cognatione spirituali inter levantem levatique parentes? IV. Imo, an, ad auferenda plura impedimenta eidem matrimonio obstantia, possit facultates jungere in variis S. Poenit. indultis contentas, v. g., dispensare simul super secundo consanguinitatis gradu vi indulti

(1) Ib. n. 1012.
(2) Ib. n. 1015.

ad casus urgentes, et super tertio item gradu vi indulti diei 15 nov.? » S. Poenit. 14 jul. 1881 respondit : « Ad Tertium, Negative. Ad Quartum, Negative, » et matrimonia sic contracta sanavit in radice (1). 7° Inter episcopi, cujus mentio fuit sup. sub *d* 2°, dubia circa indultum 15 nov. secundum et tertium erant : « 2° An in consanguinitate et affinitate simul junctis? 3° Quatenus negative, petit sanationem in radice quoad praeteritum et facultatem in futurum. » S. Poenit. 18 januar. 1883 respondit : « Ad II^um. Providebitur in sequentibus. » Ad III^um. S. Poenit. matrimonia inita sanavit in radice et concessit indultum pro decem casibus. 8° Quidam Vic. Ap. mihi testatus est se pro 12 casibus accepisse a S. C. de P. F. facultatem cumulandi, et sibi numerum ratione distantiae tam arctum dolenti Cardinalem Praefectum respondisse similiter agi cum ceteris Vicariis App., incommodum autem inde non oriri quum praeterea adsit potestas quasi ordinaria pro urgenti necessitate orta etiam post dispensationem a Sede Ap. petitam (2).

Si cum impedimento in quo episcopus ex indulto potest dispensare concurrat impedimentum impediens potestate ordinaria comprehensum, indulto illo episcopum uti non posse censemus si requirat ut nullum aliud adsit canonicum impedimentum (3).

f. Indulti interpretatio facienda est juxta stylum et praxim curiae Romanae, illiusque speciatim Congregationis a qua fuit concessum. Indultarius enim stricte tenetur observare non ea tantum quae jus commune praescribit, sed ea quoque quae Sedis Ap. stylus et praxis observat (n. 697). Quum autem ad validitatem dispensationis in quibusdam impedimentis debeat exprimi

(1) Ap. Planchard in *Nouv. rev. th* t. 15, p. 43 (47) sq., ubi vid. p. 45 (49), 47 (51) sq. indulta episcopo Engolismen. concessa 15 dec. 1881, 11 dec. 1882.

(2) An quasi ordinaria in urgenti necessitate potestas cumulare permittat vid. n. 635.

(3) Cf. n. 707 et Planchard ap. *Nouv. rev. th.* t. 15, p. 651 (655) sqq.

copula incestuosa inter oratores habita et malitiosa quoque intentio facilius sic obtinendi dispensationem (n. 708, 711), dubium moveri potest an possit episcopus in ejusmodi impedimentis dispensare, si intervenerit prior vel utraque illa circumstantia, cujus nulla sit mentio in indulto; sed hac de re aliisque eam concernentibus vid. n. 720, 729 vs. *De revalidatione*, ubi patebit distinctione opus esse inter facultatem convalidandi dispensationes invalide obtentas a Sede Ap., et facultatem dispensandi vel proprias dispensationes convalidandi.

631. 8° Si cum impedimento sive dirimente sive impediente, in quo dispensare episcopus potest, concurrat aliud, pro quo ad Sedem Ap. recurri debet vel recurritur, non sufficit pro hoc Romam recurrere et in illo dispensari ab episcopo, sed caret is usu sui indulti, ut constat tum rescr. S. Poenit. 15 apr. 1853 (1), tum necessitate omnia impedimenta sive dirimentia sive impedientia in eodem libello supplici exprimendi (n. 707). Huc pertinent quaestiones, an possit episcopus convalidare dispensationem Sedis Ap. irritam propter aliud detectum impedimentum, vel saltem ipse tunc dispensare (n. 707, 729 vs. *De revalidatione*), et an possit saltem extra casum novi detecti impedimenti convalidare dispensationem Sedis Ap. irritam aliunde, quam ex capite incestus vel malitiosae in hoc intentionis (n. 729 ib.).

Caret etiam usu sui indulti episcopus, quando cum impedimento, pro quo ad Sedem Ap. recurri debet vel recurritur, concurrit incestus vel malitiosa in hoc intentio; sed potest vi sui indulti dispensationem Ap. ex eo capite irritam convalidare, intra limites tamen indulti ad hoc obtenti, quos n. 720 sq. 729 vs. *De revalidatione* indicabimus; hujusmodi enim indulta convalidandi valde sunt diversa.

632. 9° Ponderandae sunt et sedulo observandae omnes clausulae in indultis occurrentes, ex. gr. de qualitate causae, re-

(1) Ap. Caillaud, ed. 4, n. 339 sub 3°.

movenda occasione peccandi, facienda separatione, injungenda poenitentia salutari, eleemosyna, Confessione, certioranda comparte, dilatione impossibili, scandalo ex dispensatione non orituro, cet. Explicationem eae habebunt postea, praesertim ubi indicabitur sensus clausularum in Sedis Ap. dispensationibus occurrentium; praecipua hic indicare sufficit.

a. Exprimere debet episcopus se procedere ex delegatione Apostolica, idque ad validitatem pertinet quando diserte ita dicit indultum (n. 616), vel, quod in hac saltem materia fieri consuevit, per ablativum absolutum vel aliter conditio illa posita fuit (1). Etiamsi indultum non exigat expressionem tenoris indulti, temporis ad quod fuit concessum, diei et anni concessionis, praestat tamen haec exprimere, quamquam necessarium non est (2). Si autem indultum aliquam ejusmodi expressionem postulet, non tamen sub poena nullitatis, fieri illa debet sed omissio non reddit dispensationem invalidam. Vic. gen. S. Ludovici, de quo sup. n. 630 sub *d* 1°, proposuerat : « 3. An dispensatio super impedimentis matrimonialibus ab Ordinario hujus regionis juxta consuetas facultates Apostolicas concessa, quamvis graviter illicita, tamen valida sit, quando data sit informis, propterea quod tenor facultatis a S. Sede delegatae, vel tempus ad quod expressa non sint, vel quia telegraphice paucis verbis vel oretenus tantum concessa sit. Dubium hoc oritur ex omissione clausulae : *alias nullae sint,* in facultatibus Ordinariis Americae nunc concessis; quae clausula olim in hujusmodi facultatibus expresse apposita fuerat. » Fer. 3, loco 4, die 15 junii 1875 S. Off. rescripsit : « Ad Tertium. — Affirmative, dummodo reapse mulier rapta non fuerit, vel si rapta in potestate raptoris non existat. Clausulas vero servandas ad amussim esse; quantum tamen rerum, temporum, locorumque adjuncta ferre possunt (3). » Interdum vero ejusmodi aliqua ex-

(1) Vid. n. 619 et passim n. 623; cf. Caillaud ed. 4, n. 325.
(2) Vid. S. Poenit. 7 aug. 1860, ap. Caillaud ed. 4, n. 326.
(3) Ap. Konings, t. 2, n. 1628, q. 6, Vering, *Archiv* t. 36, p. 184 sq.

pressio sub poena nullitatis in indulto requiritur, ex. gr. per clausulam « alias nullae sint (1). »

b. Indultum dispensandi « cum pauperibus » vel « cum vere pauperibus » non valet nisi pro iis qui in praxi S. Sedis tales sunt (c. 32 § 2), nec sufficit eos tales censeri a dispensante, sed revera non esse. Indultum Siculum, cujus passim fecimus mentionem, datum erat « in eorum tantum favorem, qui vere pauperes sunt, » et ideo ad dub. 3 : « An valide ab iisdem dispensari possint ii, qui pauperes non sint in casu, » S. C. C. in causa *Dubia* cet. a. 1875 (n. 610) respondit : « Negative (2). » Quum autem facultas dispensandi cum pauperibus minime sit confundenda cum Sedis Ap. dispensatione in forma pauperum (n. 610, 695), dubium moveri potest circa ipsius S. Poenitentiariae facultatem cum pauperibus dispensandi pro foro externo (n. 610), an scilicet irrita sit dispensatio ejusmodi ab ea concessa, si paupertas falso fuerit allegata; sed hac de re vid. n. 695.

c. Quamquam Sedis Ap. mandatum seu facultas dispensandi cum persona determinata non potest quoad ipsam executionem seu fulminationem alteri subdelegari, nisi id S. Sedes permiserit (n. 733), aliter tamen non pauci sentiunt de indulto seu facultate generali. Scribunt enim ab indultario, utpote delegato ad universitatem causarum, ipso jure communi posse dispensationis in casu particulari executionem seu fulminationem alteri subdelegari (3).

Vid. etiam S. C. de P. F. 10 sept. 1803 (citt. *Collectanea* n. 1018), 11 febr. 1804 (Ib. n. 1019), 3 junii 1853 (Ib. n. 1021), 8 dec. 1869 (Ib. n. 1023).

(1) Vid. n. 616 et cf. indultum Siculum ap. Caillaud ed. 4, n. 326. Frustra conatur Raich ap. Vering, *Archiv*, t. 38, p. 128 sq. in hoc casu tueri validitatem dispensationis omissa praefata expressione concessae.

(2) Cf. etiam discursum secretarii, Giovine. t. 1. p. 175 sq. 641, *Nouv. rev. théol.* t. 5, p. 463 sq.

(3) Cf. Reiff. n. 503 Append. ad l. 4 Decr., van de Burgt, *De disp.* n. 84, Giovine. t. 1, p. 138 sq. qui utitur verbis « indubitanter affirmamus, » alii, quibus favent verba Ben. XIV § 11 const. *Apostolicum ministerium* 30 maii 1753 (*Bull. Ben. XIV*, t. 4, const. 16, ed. Mechl. vol. 10, p. 208); cf. etiam Bangen, tit. 2, p. 163.

Alii vero aut negant (1) aut dubitant (2). Negandum existimamus, quia ex mente potius Sedis Ap., quam ex generali aliquo principio, hac in re procedendum est (n. 630 init.); quoties autem S. Sedes subdelegandi facultatem vult concedere, eam sollicite exprimit in indultis. Imo principium ipsum, quod delegatus ad universitatem causarum possit subdelegare, non est illimitate urgendum, etiamsi agatur de delegato a Pontifice. Invocari enim non potest quando agitur de indulto quod non fuit adnexum officio, sed speciatim concessum, seu de causa valde gravi, in qua personae industria dicenda est electa (3); de ejusmodi autem indulto et causa in re praesenti agitur, ut patet etiam ex supra indicato procedendi modo a. S. Sede servari solito. Ceterum in praxi difficultas raro occurrit, quum subdelegandi facultas in ordinariis indultis et passim etiam in aliis exprimatur (n. 617, 619, 623 passim).

Subdelegandi facultate concessa, ejus quoque limites accurate sunt observandi quoad modum (n. 619), qualitatem requisitam in eo cui fit communicatio vel subdelegatio (n. 617, 619) cet. Si ex. gr. postuletur persona idonea, non requiritur constituta in dignitate ecclesiastica (4); haec vero requiritur si exprimatur. Si postuletur qualitas vicarii in spiritualibus generalis vel, quod idem sonat, vicarii generalis, non sufficit vicariatus generalis in temporalibus, certo autem sufficit vicariatus generalis in spiritualibus, licet ejusmodi officialis speciatim sibi attributas habeat causas matrimoniales, dummodo reliquas quoque generaliter valide tractare queat. Sed quid si id non possit, verum ejus munus sit

(1) Cf. Carr. n. 1102 vs. *Alii, Compend.* n. 231 sub 2°, de Saint-Exupéry, *Observations sur la fulmination des dispenses de mariage*, Par. 1854, p. 11.

(2) Cf. Craisson, *Manuale totius juris canonici*, ed. Paris. 1865, t. 3, n. 4402.

(3) Cfr. canonistae ad tit. *De off. et pot. jud. deleg.*, et S. Alph. q. 4 ex recentius reformatis.

(4) Vid. S. Poenit. 11 junii 1859, ap. Caillaud, ed. 4, n. 323 sub 5°.

exclusive restrictum ad causas matrimoniales? Dubitandi motivum adducit variorum auctorum (1) doctrina, juxta quam vicarius generalis quis non est, sed delegatus, si ejus officium ad aliquod tantum causarum genus exclusive fuerit restrictum, quia tunc juxta ipsos ejus potestas non est satis generalis. Verumtamen eum quoque sufficere colligitur ex reser. S. Poen. 17 junii 1852, declarante dispensationes Apostolicas proprio oratorum Ordinario commissas executioni mandari posse « tum ab episcopo, tum a vicario generali, tum etiam ab officiali, quatenus idem officialis sit vicarius generalis in matrimonialibus (2). » Spectata hac declaratione, videtur officialis, qui alicubi distinctus existat a vicario generali, dummodo revera sit vicarius generalis in matrimonialibus, posse subdelegari, licet indultum memoret vicarium generalem (3). Vice-Officialis subdelegari nequit, nisi pro casu absentis vel impediti Officialis in totum hujus munus vicarii generalis in matrimonialibus ab episcopo constitutus fuerit (4).

Communicatio vel subdelegatio facienda est, etiam pro vicario generali, per speciale mandatum, una cum mentione auctoritatis Ap. aliisque observatis quae indultum praescribit, ex. gr. quoad habitualem vel particularem subdelegationem, et numerum subdelegandorum (5).

d. Tempus et numerus casuum indulto praefinita observari debent. Elapso igitur tempore, deest facultas, quare neque potest indultarius communicare vel subdelegare ultra tempus sibimet positum, neque facultate sibi communicata vel subdelegata uti

(1) Cf. Leuren. *Vicarius episcopalis*, c. 1, q. 17, Bouix, *De judiciis*, t. 1, Paris. 1855, p. 352 sqq.

(2) Ap. Caillaud, ed. 4, n. 297.

(3) Cf. Caillaud, n. 297, 320, 364 sub 2°, 393. De vicario generali vid. etiam S. Poenit. 10 maii 1876, ap. Planchard, *Disp. matr.* n. 116, not. 1.

(4) Vid. S. Poenit. 7 sept. 1873, ap. Planchard op. cit. n. 139, et cf. nostr. n. 732 sub *e*.

(5) Cf. n. 619, Carr. n. 1102 vs. *Alii*.

quis potest ultra tempus praefatum, vel brevius sibi a communicante vel subdelegante praefinitum (n. 617). Possunt tamen causam tempore nondum elapso inceptam terminare eo elapso. Potest etiam is, cui, durante tempore indulti, fuit subdelegata potestas dispensandi in casu particulari cum personis determinatis, dispensationem impertire quando res non est integra, seu quando causam durante tempore indulti tractare incepit. Re integra, abstinendum esse existimamus (1); ejusmodi enim subdelegationem vi indulti factam non posse aequiparari Sedis Ap. dispensationibus seu mandatis dispensandi cum personis determinatis (n. 734 sub 1°).

Indulta (2) non expirant morte Pontificis, nec per reg. 14 Canc. initio novi Pontificatus, nec morte Poenitentiarii Majoris aliamve ejus officii cessationem (3). Cessant vero quando moritur vel aliter officium suum amittit indultarius, nisi ei concessum fuerit pro isto etiam casu suas facultates aliis communicare, idque revera fecerit (4). Possitne is, cui jam fuit ab indultario subdelegata facultas dispensandi cum personis determinatis, ea uti, sive re non integra sive integra, post indultarii cessationem ab officio, colligitur ex supra dictis de tempore indulti.

633. II. Ad alias hypotheses gressum facimus, in quibus de episcopi potestate agitur.

a. In casu urgentissimae necessitatis, propter quam ad Sedem Ap. recurrendi tempus non suppetit, communiter agnoscitur episcopo quasi ordinaria ex praesumpto vel tacito Sedis Ap. consensu potestas dispensandi, quam nonnulli latissimam, plerique vero intra arctiores limites ponunt. Pro matrimonio contracto (5)

(1) Contrarium censet Caillaud ed. 4, n. 324 sub 7°.

(2) De ipsis dispensationibus Apostolicis seu mandatis dispensandi cum determinatis personis sermo erit n. 734 sub 1°.

(3) Cf. Rigant. n. 49 in reg. 14 Canc., Gousset, t. 1, n. 199, t. 2, n. 855, Caillaud, ed. 4, n. 350.

(4) Cf. n. 617, Gousset, t. 2, n. 855, Caillaud l. c. et n. 359.

(5) Cfr. Fagn. n. 3 sqq. in c. *Nimis*, De fil. presb., Corrad. l. 8, c. 4, n. 35 sqq., Reiff. n. 42 sqq. App. ad l. 4, Wiestner aliique canonistae

haec doctrina jam antiquitus erat communis, et fulcita per S. C. C. in mox citanda *Aegitanien.* a. 1692; pro matrimonio etiam contrahendo jamdiu vere communis est et practice tuta (1). In utroque tamen casu ante omnia distinguatur impedimentum publicum ab occulto.

Quando ratione notitiae aliorum publicum est impedimentum (n. 85 sq. 89 sqq.), non habet episcopus quasi ordinariam hanc potestatem. Etenim, quod spectat ad matrimonium contrahendum, « cum alias ep. Syracusanus literis datis ad clar. mem. Card. Corradum s. m. Alex. VII Prodatarium narrasset in dioecesibus suae conterminis nonnullos episcopos eam sequi sententiam, quod possent in casu urgentissimae necessitatis ante contractum matrimonium super impedimento publico dirimente dispensare... consiliumque peteret, an eadem sibi liceret uti facultate, re per laudatum Cardinalem exposita Pontifici, discussum fuit ejus mandato in S. C. C. dubium — An Episcopus in casu urgentissimae necessitatis possit ante contractum matrimonium in impedimento publico dispensare : — Et die 15 mart. 1660 prodiit responsum — Negative. — Successive vero cum ab Eminentissimis ejusdem S. C. C. PP. injunctum fuisset DD. Qualificatoribus SS. Inq., ut propositionem quoad practensam a nonnullis Episcopis facultatem dispensandi certis in casibus super gradibus matrimonium dirimentibus qualificarent, prodiit quali-

passim ad tit. *De matr. contracto contra interd. Eccl.* vel ad alios titulos. Ben. XIV, *De syn. dioec.* l. 9, c. 2, n. 1, S. Alph. n. 1123 sq., App. de priv. n. 56, Caillaud, ed. 4, n. 387, Giovine, t. 1, p. 620 sqq. 645 sq. 653, Scavin. t. 4, n. 584.

(1) Inter eam negantes erat Fagn. l. c. n. 33 sqq. Eam refert nec reprobat Ben. XIV l. c. n. 2 sq. Ab aliis communiter affirmatur; cf. Corrad. l. 8, c. 4, n. 40, Roiff. cit. App. n. 62 sq., canonistae passim ad tit. cit. vel alium, S. Alph. n. 613 de poenit., n. 1122 de matr., n. 57 App. de priv., Scavin. t. 4, n. 577, 584, Sogla § 193, Ferrari, t. 2, n. 427, Kenrick, n. 216, Bangen, tit. 2, p. 155 sq., Giovine t. 1, p. 622 sq., de Saint-Exupéry, op. cit., p. 8 sq., Caillaud, ed. 4, n. 317, 387, 389.

ficatio his verbis concepta — Propositio asserens, Episcopum posse dispensare in publico impedimento matrimonii dirimente consanguinitatis pro matrimonio contrahendo sive in articulo mortis, sive in alia urgentissima necessitate, in qua contrahentes non possint expectare dispensationem Sedis Ap., est falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa et seditiosa. — Denique eadem S. C. C. die 19 januar. 1661 censuit — mox exscriptam propositionem esse falsam, et temerariam (1). » Quod vero spectat ad matrimonium contractum, in *Aegitanien. Dispensationum* 19 apr. 1692 (2) proposita haec dubia fuerunt : « III. An Ep. dispensare possit in foro conscientiae tantum in impedimentis dirimentibus matrimonium, et post ejus publicationem, et confirmationem detectis, et quatenus affirmative. IV. An possit, quando ignorantia impedimenti concurrit in uno tantum contrahentium. V. An possit, quando ob moram habendae dispensationis propter distantiam locorum magnum daretur periculum incontinentiae, et scandali. VI. An possit, quando impedimentum provenit ex parte feminae passurae jacturam vitae, famae, et scandali si illud detegeret. » Responsum fuit : « Ad III et IV. Non posse secluso scandalo, de quo in V dubio ; posse autem, quatenus impedimentum non sit publice detectum. Ad V et VI. Affirmative quoad forum conscientiae tantum (3). » Ratio etiam ipsa idem demonstrat, quum desit motivum scandali vel infamiae, quod urgentissimam necessitatem adducit, et pro solo foro conscientiae valeat quasi ordinaria haec episcopi potestas (n. 634 sub 3°, 4°, 7°, n. 635, 638 sub 1°).

(1) Rigant. n. 2 in reg. 49 Canc.; cf. etiam Ben. XIV l. c. n. 3, secr. S. C. C. in *Constantien. Disp.* 23 apr. 1768 (*Thes. S. C. C.* t. 37), *Leodien. Matr.* 28 maii 1796 (Ib. t. 65).

(2) Ap. secr. S. C. C. in cit. *Constantien.*

(3) Vid. etiam S. Poenit. in *Almerien.* 18 aug. 1872, ap. secr. S. C. C. in *Ferrarien.* 29 januar. 1881 (*Anal. jur. Pont.* ser. 21 col. 584, *Acta S. Sedis* t. 14, p. 157).

Rejicienda igitur est opinio nonnullorum (1), qui etiam pro impedimentis ratione notitiae aliorum publicis eam episcopo potestatem adscribunt. Neganda haec est in quocumque casu, sive de contrahendo sive de contracto matrimonio agatur (2). Quum tamen declarationes allatae sola impedimenta aliis publica spectare videantur, dubium oritur habeatne eam episcopus potestatem pro impedimentis natura sua publicis (n. 97, 624), sed per accidens occultis; de eo dicetur n. 654 sub 7° et n. 655. Perpendendae nunc sunt conditiones quae dici solent necessariae ut episcopus quasi ordinariam potestatem habeat in urgentissima necessitate.

654. Quod spectat ad matrimonium contractum, requiritur 1° ut fuerit bona fide initum, ex ignorantia sive juris sive facti, saltem ab una parte, quam conditionem communis doctrina postulat propter Trid. sess. 24 c. 5 de ref. matr. (3), Sunt quidem qui etiam pro casu, quo tempore celebrationis uterque fuit malae

(1) Inter quos Pignat. t. 3, consult. 33, n. 8 sq., Tamburin. Theol. mor. t. 2, l. 8, tr. 2, c. 4, § 4, n. 11 sqq., Roncaglia, de Sacr. matr. q. 5, c. 1, de quibus sermo redibit § 4. Cf. potius Fagn. l. c. n. 33, Reiff. l. c. n. 43 sqq., S. Alph. n. 1124 (inf. § 4), Carr. n. 1089, *Compend.* n. 227. Bangen, tit. 2, p. 154, Giovine, t. 1, p. 621, 624 sq., alios passim, praesertim Ben. XIV l. c.

(2) Vid. declarationes antiquiores pro utroque casu allatas, et S. Poenit. in cit. *Almerien.*, in qua rescripsit : « Quoad impedimenta publica episcopum nullatenus dispensare posse. » S. Off. 3 aug. 1873 respondit : « Caeterum, relate ad facultatem ordinariorum dispensandi super impedimentis dirimentibus certo oxistentibus in vim praesumptae voluntatis S. Sedis, res ea est multis implexa difficultatibus, quibus obviandis omnino adhaerendum est doctrinae traditae a s. m. Ben. XIV in suo op *de syn. dioec.* l. IX, c. VIII [II], quam etiam Sacra haec Congr. tenet, citra quam facile nimis abusus, ideoque etiam nullitas dispensationis eveniro potest ; » ap. Planchard, *Disp. matr.* n. 94, coll. *Nouv. rev. th.* t. 14, p. 528.

(3) Cf. n. 625 vs. *Potestne*, inf. sub 3°, coll. S. C. C. in cit. *Aegitanien.* ad 4, ex qua patet unius partis bonam fidem non sufficere, nisi propter circumstantiam sub 3° indicandam, Giovine, t. 1, p. 620 sqq.

fidei, admittant episcopi potestatem (n. 625); eorum tamen opinio S. Alphonso non est probabilis (1). Neque habet episcopus potestatem, quando uterque adhuc est in bona fide; tunc enim hac sunt relinquendi, donec Sedis Ap. dispensatio fuerit procurata (2).

2° Ut matrimonium fuerit celebratum cum praescriptis solemnitatibus, ex. gr. proclamationibus, nisi fuerit dispensatum. Illis enim absque dispensatione vel cum hac fraudulenter obtenta omissis, deficit bona fides (n. 264 sub 1°). Quum autem matrimonium nullibi licite celebretur nisi coram sacerdote, si is haberi possit, episcopus caret hac quasi ordinaria potestate pro matrimonio aliter seu clandestine contracto, etiam in loco ubi decretum *Tametsi* non obligabat.

3° Ut separatio sine periculo scandali vel infamiae fieri nequeat, et incontinentiae periculum adsit si non separentur. Si uterque nullitatis matrimonii notitiam nunc habeat et incontinentiae periculum non existat (3), urgens necessitas deest, sed ordinarie cum scandalo vel infamia separationem prohibente incontinentiae periculum concurrit (4).

4° Ut non possit facile et absque nimia dilatione recurri ad Sedem Ap.; passim autem apud auctores legitur id contingere posse sive propter partium paupertatem vel rusticitatem, sive propter locorum distantiam aliasve similes causas. Necesse autem est ut ne per literas quidem possit a S. Poenit. dispensatio peti (5), et praeterea videtur potestas quasi ordinaria deficere, si ab alio, qui indulto munitus noscitur, dispensatio peti queat.

(1) N. 1124, coll. Monito ad lectorem, quod initio operis legitur, et App. de priv. n. 56.

(2) Cf. inf. sub 4° coll. n. 598, 640, S. Alph. cum aliis n. 1123, n. 611 de poenit., n. 56 App. de privil., Konrick, n. 216.

(3) Cf. Reiff. l. c. n. 55 sq.

(4) Cf. S. C. C. in cit. *Aegitanien.* et inf. sub 4°.

(5) Cf. Reiff. l. c. n. 49, S. Alph. n. 1123, Konrick, n. 216

contrarium tamen potest sustineri (1). Paupertas igitur et rusticitas per se causam sufficientem praebere non possunt (2), sed requiritur ut ex una parte separari partes nequeant absque scandalo vel infamia, ex altera vero nimis diu expectando sint in periculo incontinentiae; ordinarie autem ita erit. Quarta haec conditio arcte est connexa cum tertia; eodem fere passu procedunt, adeo ut, verificata una, soleat altera verificari.

5° Tradi solet debere esse matrimonium consummatum, sed non pauci nullam hujus conditionis faciunt mentionem. In praxi vix occurrit difficultas, quum matrimonium soleat esse et praesumatur consummatum. Praeterea conditio illa ponitur propter minorem separationis ante consummationem difficultatem; at haec, hodie praesertim, magna esse solet. Imo hanc conditionem non esse necessariam, patet ex doctrina jamdiu vere communi de matrimonio contrahendo.

6° Ut impedimentum sit ex iis, in quibus Sedes Ap. dispensare consuevit; ex. gr. non habetur ejusmodi quasi ordinaria potestas pro clandestinitate (3), neque pro impedimentis universe, pro quibus ipse Major Poenitentiarius ordinarias facultates non habet (4).

7° Ut impedimentum sit occultum. Imprimis itaque absque dubio excluditur illud quod est aliis publicum; in hoc enim non verificaretur tertia conditio nec urgentissima necessitas, et praeterea pro solo foro conscientiae, ideoque in solis occultis, episcopus hanc quasi ordinariam potestatem habet (n. 658 sub 1°). Auctoritate quoque Sedis Ap. idem constare vidimus n. 653. Sed quid dicendum de impedimento natura sua publico, et per accidens aliis occulto? Plerique de eo non scribunt speciatim, quin

(1) Cf. Reiff. l. c. n. 49 sq., Giovine, t. 1, p. 621.

(2) Cf. n. 637, Reiff. l. c. n. 51.

(3) Cf. c. 31 § 14, Giovine, t. 1, p. 588, *Vindiciae Alphonsianae*, ed. Rom. p. 815, ed. Tornacen. t. 2, p. 479 sq.

(4) Cf. Reiff. l. c. n. 65, 509, Giovine, t. 1, p. 623.

etiam videntur illud, quamquam excludunt impedimentum aliis publicum, comprehendere sub occulto, ideoque insinuare episcopi potestatem (1), nonnulli hanc, cum aliqua tamen interdum haesitatione ac distinctione, propugnant (2), alii eam negant (3), vel de ea dubitant eique non favent (4). Resolvi quaestio non potest ex Sedis Ap. declarationibus n. 633 allatis, quae videntur spectare impedimenta ratione notitiae aliorum publica, neque ex quaestione de indultis n. 624 tractata. Contra episcopi potestatem dici potest, non videri adesse motivum vitandi scandali vel infamiae, quod urgentissimam necessitatem adducit; impedimentum enim natura sua publicum absque scandali vel infamiae periculo manifestari posse, et expectari Sedis Ap. dispensationem atque interim fieri separationem (sup. sub 3° et 4°). Unde etiam pro publica honestate ex sponsalibus occultis videri negandam potestatem episcopi, quum hoc quoque impedimentum merito annumeretur impedimentis natura sua publicis (n. 605, 624). Nec dici posse ex eo, quod S. Poenitentiaria in variis hujusmodi impedimentorum casibus valeat pro foro conscientiae dispensare (n. 605 sq.), colligi episcopi quasi ordinariam in iisdem casibus potestatem si necessitas urgeat. Peculiares enim has esse S. Poenit. facultates, quas ne communicat quidem episcopis in quinquennalibus pro foro conscientiae (n. 624); quasi ordinariam vero episcopi potestatem unice niti in urgentissima necessitate ob scandali vel infamiae periculum, cui in nostro casu non videtur esse locus. Verumtamen, non obstantibus gravibus hisce rationi-

(1) Cf. Fagn. l. c. n. 33, Reiff. cit. App. n. 43 sqq., Giovine, t. 1, p. 623, eam extendens ad impedimenta super quibus potest extra casum urgentem Major Poenitentiarius dispensare.

(2) Cf. Gousset, *Théol. mor.* t. 2, n. 852 sq., Caillaud, ed. 4, n. 314, 317, 387, quem tamen cf. etiam n. 119. 157; imo videntur hi auctores, praesertim prior, aliquatenus comprehendere impedimenta ratione notitiae aliorum publica, et haec confundere cum publicis sua natura; cf. § 4.

(3) Cf. Bangen, tit. 2, p. 167.

(4) Cf. de Saint-Exupéry, op. cit. p. 9 sq.

bus, non audemus pro praxi negare episcopi potestatem in impedimentis natura sua publicis, sed per accidens occultis (n. 645 sub 1°), dummodo non extendatur ultra facultates ordinarias Majori Poenitentiario pro iis concessas (cf. sup. sub 6°, n. 605 sq., 609), et semper etiam excludantur vinculum sponsalium (n. 557, 612), eaque impedimenta impedientia, pro quibus Major Poenitentiarius facultatem non habet, ex. gr. mixta Religio (1). Praeterea dato etiam episcopum quasi ordinariam potestatem habere pro impedimento quoque natura sua publico sed aliis occulto, numquam tamen potest procedere tamquam pro publico, sed tantum pro foro conscientiae seu tamquam pro occulto, quum ad solum forum conscientiae haec potestas restringatur (n. 638 sub 1°).

Etiam pro impedimentis occultis et natura sua non publicis succurrit S. Sedes per quinquennales fori conscientiae, quae matrimonii contracti casus frequentiores comprehendunt (n. 620-622); quapropter censemus quasi ordinariam potestatem invocari non posse nisi pro casibus, in quibus non habetur facultas expresse delegata (n. 613, 638 sub 4°); in reliquis vero indulti ipsius conditiones sunt observandae. Magna hujusmodi indultorum utilitas elucet etiam ex eo, quod non requirant omnes conditiones, quas potestas quasi ordinaria postularet.

635. Quod spectat ad matrimonium contrahendum, requiritur ut impedimentum sit aliis occultum (de natura sua publico cf. n. 634 sub 7° et 645 sub 1°), et ex iis in quibus Sedes Ap. dispensare consuevit (n. 634 sub 6°), et ut absque scandali vel infamiae periculo matrimonium differri nequeat, donec a Sede Ap. vel alio facultatem habente dispensatio obtineatur (n. 634 sub 5° et 4°). Manifestum est non sufficere solam pravam voluntatem utriusque partis, quae possint, si velint, incommodum tollere (2).

(1) Cf. sup. sub 6°, n. 604 in fine, 613 vs. *In mixta*, Giovine, t. 1, p. 291 sq.

(2) Cf. n. 649, 680, Caillaud, ed. 4, n. 354.

Sed, hoc casu seposito, fatendum est media differendi vix umquam fore ea, quae hic illic auctores enumerant (1), ex. gr. votum castitatis a parte conscia emissum pro tempore ad obtinendam dispensationem necessario, iter, infirmitatis praetextum sine mendacio, matrimonii celebrationem sub conditione si Pontifex dispensaverit (inf. § 4), parochi affirmationem episcopum prohibuisse celebrationem. Duo praecipue casus pro matrimonio contrahendo indicari solent, casus moribundi, quando proles est legitimanda vel reparandus honor mulieris vel graves sedandae inimicitiae, et casus quo omnia jam sint ad nuptias parata (2).

Pro quibusdam etiam casibus matrimonii contrahendi quoad impedimenta aliis occulta et natura sua non publica, succurrit S. Sedes per facultates quinquennales fori conscientiae (n. 620 in fine, 622) vel per alia interdum indulta. Hac autem occasione redeunt observanda quae dicta fuerunt in fine numeri praecedentis.

636. *b*. Communis auctorum doctrina attribuit episcopo ordinariam seu quasi ordinariam in casu impedimenti dubii potestatem. Generale enim quoad leges Ecclesiae communes principium ponunt, episcopum posse dispensare quando dubium est an res indigeat dispensatione; imo probabilistae dicunt ne episcopi quidem dispensatione opus esse, sed subditum esse omnino liberum, a qua tamen libertate sunt qui excipiant dubium de existentia impedimenti matrimonii dirimentis, quamquam et ipsi potestatem episcopi eo casu admittunt. Valde igitur diversos limites ponere solent auctores, imo facultatem dispensandi episcopo in casu dubii competentem alii volunt esse veram dispensationem, alii meram declarationem; sed universe notari solet praestare ut ad episcopum recurratur, qui tunc aut declaret posse procedi aut

(1) Cf. Reiff. l. c. n. 62 sq., coll. n. 55 sq., Giovine, t. 1, p. 623, et vid. inf. § 4.

(2) Cf. S. Alph. n. 1122, Giovine, t. 1, p. 622 sq.; de posteriori casu sermo redibit § 4.

dispenset. Cum quaestione circa potestatem episcopi connexa est alia, qua inquiritur liceatne in dubio de impedimento matrimonium inire (1). Controversiae autem omnes versantur circa dubium prudens, discretum, grave, fundatum; indiscretum enim, adhibito confessarii vel parochi vel viri prudentis consilio, est spernendum. His positis, sequentem tuemur doctrinam.

Si circa ipsius impedimenti existentiam dubium sive juris sive facti existat ante matrimonium, praeprimis adhibenda est diligentia pro assequenda veritate, et regula generalis est ut, si tempus suppetat, non procedatur nisi consulto episcopo.

Post debitam diligentiam adhibitam persistente dubio juris circa existentiam impedimenti juris ecclesiastici, episcopus, si tempus permittat, et dubium non sit ex iis pro quibus solet Sedes Ap. remittere ad doctrinam auctorum, consulat S. Sedem; si vero tempus non suppetat, vel solutio sit haurienda ex doctrina auctorum, aut declaret posse procedi aut dispenset. Si episcopus consuli nequeat, matrimonium, conscientia rite formata, contrahi potest, dummodo absentia impedimenti in auctorum doctrina pro vere probabili habeatur. At persistente dubio juris circa impedimentum juris naturae vel divini, non videtur licite contrahi matrimonium, nisi accedat delaratio Rom. Pontificis (n. 486 sqq.).

Persistente post debitam adhibitam diligentiam dubio facti, pro existentia impedimenti est pronuntiandum, quando constat de facto, ex. gr. priori matrimonio vel copula carnali, sed dubitatur an cessaverit, ex. gr. per mortem prioris conjugis, vel an

(1) Fuse et diversimode de hujusmodi omnibus dubiis scribunt auctores; inter alios cf. Kugler, t. 2, part. 4, n. 172, 466, et q. 27 ex iis quae sunt ad calcem, S. Alph. n. 901 sqq., App. de priv. n. 55, Carr. n. 623 sqq. 1088, *Compend.* n. 226, 268 sqq., Bangen, tit. 2, p. 156, Caillaud, ed. 4, n. 84, 315, 388, tr. Mechl. n. 66, 101, Giovine, t. 1, p. 622 sqq., t. 2, p. 52 sq., Gury et Ballerin. t. 2, n. 789 sq. 863, *Vindiciae Alphonsianae*, ed. Rom. p. 791 sq. 947, ed. Tornacen. t. 2, p. 452, 607, *Mél. théol.* ser. 6, p. 358 sqq., *Rev. théol.* ser. 1, p. 76 sq., ser. 2, p. 24 sqq. 258, Konings, n. 1574, q. 5, 1623.

adfuerit aliqua circumstantia ad impedimentum requisita (n. 151, 160, 171, 185, 370, 395, 449-454). Quodsi de facto non constet, videndum est utrum ex communiter contingentibus vel ex Ecclesiae legibus sit praesumendum, an vero hanc praesumptionem non habeat; in priori casu pro impedimento pronuntiabitur (n. 395 coll. 370); in posteriori vero casu dispensare quidem potest episcopus si agatur de impedimento juris ecclesiastici, sed sine dispensatione vel declaratione contrahere non licet. Interdum praesumptio est contra impedimentum; ex. gr. post examen remanente dubio de impotentia, praesumitur potentia.

Si constet de impedimento, sed dubitetur fueritne dispensatum, matrimonium inire non licet; si vero de dispensatione constet, sed dubitetur de ejus valore, recurratur ad episcopum; si id fieri nequeat, valida censeri potest dispensatio. Quodsi constet de episcopi potestate, sed dubitetur an causa ad dispensandum sufficiat, dispensare episcopus potest; sed dispensare nequit quando ipsa ejus potestas dubia est, ex. gr. an is, cum quo est dispensandum, sit ei subjectus.

In omnibus supra traditis dubium et probabilem opinionem intelleximus ita, ut alterutra pars non sit longe seu notabiliter probabilior; si enim ejusmodi haec esset, probabilitatis terminum eam excedere existimamus ac esse moraliter certam, et contrariam non esse vere probabilem.

Praeterea videtur ex parte episcopi, quantum fieri potest, praeferenda declaratio quod possit procedi, quemadmodum ipsa Sedes Ap. facere consuevit, dispensatio vero ob rationem dubii non danda nisi necessitate urgente. Quamquam autem publicum quoque impedimentum in auctorum doctrina solet comprehendi, longe tamen majorem circumspectionem hoc postulat. Declarationem quidem concipimus, sed in casu dubii publici dispensationem videntur excludere ea quae dicta fuerunt n. 633, et ea insuper ratio quod quasi ordinaria dispensandi potestas pro solo foro conscientiae valeat et sit adhibenda tamquam pro occulto (n. 638 sub 1°).

Hactenus de dubio existente ante matrimonii celebrationem. Si autem eo bona fide contracto dubium oriatur, diligentia quidem adhibenda est, sed quum matrimonium jam possideat, pro ejus valore est pronuntiandum, quamdiu non habetur moralis certitudo de invaliditate. Imo licet dubio non deposito fuerit contractum, nihilominus post factum, debita tamen prius diligentia adhibita, dubia in favorem validitatis sunt solvenda. In casu difficili consulatur episcopus, qui aut declaret aut dispenset, eo magis quod jam soleat urgere necessitas; memineris tamen eorum quae de publicis impedimentis dicta fuerunt. Quod vero attinet ad debitum sive petendum sive reddendum, applica regulas de bona vel mala vel dubia fide (n. 447).

637. *c.* In aliis etiam nonnullis hypothesibus varii auctores admittunt episcopi potestatem dispensandi; sed earum aliquae prorsus sunt rejiciendae et communiter rejiciuntur, aliae vero vix possunt admitti vel usui esse. Omnino rejici debet doctrina eorum qui, abstrahendo etiam a casu urgentissimae necessitatis, quasi ordinariam episcopo potestatem attribuerunt propter partium summam paupertatem, vel pro casu dispensationis invalide obtentae. Consuetudinis titulus vix potest esse tutus in praxi (1), et posito etiam eum hic illic olim extitisse, absque dubio omnis ejusmodi praerogativa fuit pro dioecesibus olim territorio reipublicae gallicae subjectis extincta per Pii VII bullam *Qui Christi Domini* 29 nov. 1801. Hujusmodi enim privilegium, etiamsi consuetudine acquisitum diceretur, spectabat ad statum dioecesis, et in § 6 citatae bullae legitur : « Supprimimus, annullamus et perpetuo extinguimus titulum, denominationem, totumque statum praesentem infrascriptarum ecclesiarum... una cum respectivis earum capitulis, juribus, privilegiis et praerogativis cujuscumque generis. » Alia Sedis Ap. in hanc rem afferri possent documenta.

(1) Cf. n. 603, Ben. XIV, *De syn.* l. 9, c. 2, n. 3 sqq., Giovine, t. 1, p. 88 sqq.

Porro hac in re consuetudine etiam indubia et inveterata potestatem non acquiri existimamus, nisi constet eam Sedi Ap. esse notam et ab ea non reprobari; quare taciti potius ejus consensus quam consuetudinis titulo in ejusmodi casu potestas episcopi inniteretur (n. 603). Denique varii auctores admittunt quasi ordinariam episcopi potestatem propter generaliter in aliqua regione impossibilem ad Sedem Ap. recursum, ita ut haec impossibilitas non existat pro aliquibus sed sit toti regno vel provinciae communis. Tam publica quam occulta impedimenta haec doctrina comprehendit. Hanc vero ipsam non admittimus, quaecumque ponatur generalis impossibilitatis causa juxta circumstantiarum distinctionem ab ejusmodi auctoribus factam (1). Sufficit pro occultis potestas episcopo competens in urgenti necessitate vel facultas expresse delegata; a dispensatione vero in publicis aut abstinendum est aut ea ex facultatibus expresse delegatis est concedenda.

638. Restant quaedam generaliter notanda de quasi ordinaria potestate, et unum alterumve ei commune cum delegata.

1° Ut expresse delegata fori conscientiae facultas (n. 624), ita quasi ordinaria in urgentissima necessitate nullius usus est pro foro externo, sed soli foro conscientiae inservire potest (2); etiamsi igitur jam fuerit dispensatum in foro conscientiae, nihilominus fori externi dispensatio necessaria est si dein publicum fiat impedimentum, idque scandali quoque ratio exigit. Quodsi impedimentum nondum sit publicum, episcopus tamen ejus notitiam in foro externo acquirat, a separatione quidem injungenda et actione contra matrimonium instituenda abstinere debet, si in foro conscientiae dispensatum fuisse noverit testimonio secreto legitimo, ex. gr. confessarii qui cum poenitentis venia illud episcopo communicaverit (3); si vero publicum jam sit impedimen-

(1) Cf. Carr. n. 1090, Caillaud, ed. 4, n. 316, 388 sub 7°.

(2) Cf. Giovine, t. 1, p. 624 sq., t. 2, p. 52 sq.

(3) Cf. Ben. XIV *Inst. eccl.* 87, n. 51, ubi venia poenitentis profecto est subintelligenda.

tum, omnino debet pro foro externo peti dispensatio, et, nisi aliter scandalum averti queat, separatio interim facienda est, nec potest episcopus ab ea injungenda abstinere propter testimonium modo indicatum, licet alias nuptias profecto omni meliori modo sit impediturus.

2° Exercita quasi ordinaria potestate, et occulto manente impedimento, opus non est deinde ad Sedem Ap. recurrere (1). Diversa etiam concurrentia impedimenta aliamque multiplicitatem potestas illa continet (2), et non solum episcopus ea utens sed etiam is cum quo dispensatur, non debet existere intra dioecesim. Uti tamen ea nequit episcopus nisi cum partibus utraque catholicis, et quarum illa saltem, cum qua directe dispensatur, est ei subjecta propter domicilium vel quasidomicilium in ejus dioecesi acquisitum vel propter vagi qualitatem. Sed tum circa expresse delegatam tum circa quasi ordinariam dubium movent auctores, sitne necessaria utriusque episcopi dispensatio, si partes ad diversam dioecesim pertineant (3).

Illa impedimenta, quae personam unius afficiunt absque relatione ad alterum nupturientem et independenter ab eo, quale est ex. gr. impedimentum impediens voti, ab illius episcopo solo possunt relaxari. Similiter difficultates, quae ex objectis sponsalibus cum alio vel parentum dissensu oriuntur, ab illius episcopo

(1) Cf. Giovine, t. 1, p. 625.

(2) Cf. Conrad. l. 8. c. 4, n. 35; idem colligitur ex S. Poenit. 30 jul. 1873, ap. Vering, *Archiv*, t. 31, p. 381 sq., Konings t. 2, p. 399. Imo juxta responsionem Card. Praefecti S. C. de P. F. (n. 630 sub *e*. 8°) potestate quasi ordinaria episcopus uti potest casu urgentis necessitatis ortae etiam post dispensationem a S. Sede petitam. Alia vid. ap. Planchard in *Nouv. rev: th.* t. 15, p. 653 (657) sqq.

(3) Cf. n. 628, Kugler, t. 2, part. 4, q. 29 ex iis quae sunt ad calcem, S. Alph. n. 1142 de matr., n. 57 App. de priv., Carr. n. 1155, *Compend.* n. 263, Bangen, tit. 5, p. 100 sqq., Caillaud, ed. 4, n. 4, 166, 367 in fine, tr. Mechl. n. 101 in fine, Gury et Ballerin. t. 2, n. 862, Giovine, t. 1, p. 640 sq., *Nouv. rev. th.* t. 1, p. 443 sqq. De proclamationibus dictum fuit n. 266; de particulari vetito matrimonii tempore feriato, n. 553.

solo sunt cognoscendae. Si igitur utraque pars tali impedimento detineatur, utriusque episcopi interventio est necessaria. Si vero impedimentum sit ejusmodi ut necessariam cum altero nupturiente relationem involvat, ideoque pro uno non existat nisi existat pro altero, certo sufficit unius episcopi dispensatio data vi facultatis expresse delegatae a Sede Ap., non continentis, quam continere non solet, conditionem contrariam. Officiali Bituricensi respondit S. Poenit. 4 sept. 1839 (1) : « Quilibet Ordinarius agendo cum facultate non ordinaria, sed a S. Sede, absolute, simpliciter et absque ulla conditione delegata, dispensando cum suis dioecesanis, potest dispensare super aliquo canonico impedimento, etiam in casu in quo una persona ab impedimento ligata est suae dioecesis, altera vero alienae, quia ea facultas a Papa procedit, et sublato impedimento ex una parte cum qua dispensare valet, etiam pars altera libera evadit, quum ligamen non amplius inter utramque partem jam existat. » Convenit tamen ut regulariter dispensatio detur ab episcopo sponsae, nisi peculiaris ratio obstet (n. 628). In multis dioecesibus praxis habet ut audiatur saltem alterius dioecesis episcopus. De dispensatione quasi ordinaria potestate concessa adhuc controvertitur; sed ex ratione in fine cit. rescripti S. Poenit. allegata colligitur sufficere unius episcopi dispensationem. In non paucis tamen locis usus habet ut utriusque dispensatio procuretur, nisi aut agatur de impedimento occulto infamante uni parti noto aut tempus non suppetat. Conventione inter episcopos inita in quibusdam regionibus res haec ordinata est, et praeterea attendi semper debet fueritne forsitan ab uno episcopo dispensatum sub conditione ab altero quoque obtinendae dispensationis. Sponsae autem episcopum dispensare convenit, nisi urgens necessitas aliave gravis ratio eum adire non permittat (n. 628).

(1) Ap. Caillaud, ed. 4, n. 4, ubi vid. etiam S. Poenit. 14 nov. 1835, et 15 apr. 1853. Severius olim fuerat responsum a S. C. de P. F. 21 junii 1828 (cit. *Collectanea* n. 1008).

3° Quasi ordinaria facultas potest aliis, speciali tamen mandato, delegari, et haec delegatio non debet necessario in singulis casibus particularibus fieri; sed generalis fieri non solet nisi vicario generali, et quando aliis nonnullis committitur pro futuris casibus urgentis necessitatis, in quibus ad episcopum recurri non poterit, in diversis dioecesibus diverse proceditur, neque omnibus confessariis delegatio tribui solet (1). Imo dubitari potest an licite saltem et convenienter omnibus confessariis potestas quasi ordinaria pro futuris urgentis necessitatis casibus delegari queat.

4° Quasi ordinariae potestati videtur locus non esse quando pro eodem casu habetur expresse delegata (n. 615, 634 in fine, 635 in fine).

5° Tam in usu expresse delegatae, quam quasi ordinariae potestatis, difficultatibus deinde locum dat necessitas novi praestandi ab utraque parte consensus, post partis ignarae de impedimento vel saltem de matrimonii nullitate certiorationem; sed hac de re dicetur c. 35 § 2.

6° Quamquam indulto utens in omnibus tenetur sequi stylum et regulas curiae Romanae (2), de quasi ordinaria tradi solet praestare quidem ut idem fiat, sed non eamdem esse necessitatem; ea de re sive quoad dispensandi causas sive quoad reliqua dicetur n. 685, 697.

§ 3. *Metropolitanus, Capitulum vel Vicarius Capitularis, Vicarius generalis, Regulares.*

639. Metropolitanus non potest subdito sui Suffraganei concedere dispensationem, licet ab hoc irrationabiliter denegatam (3).

Capitulum usque ad vicarii capitularis deputationem, intra

(1) Cf. Caillaud, ed. 4, n. 390, Kutschker, t. 3, p. 522, Giovine, t. 1, p. 139, 625 sqq.

(2) Cf. n. 630 sub *f*, et 697.

(3) Cf. n. 586, Carr. n. 1107, *Compend.* n. 232.

octiduum a die notae vacationis faciendam, dein vero solus vicarius capitularis, habet eam dispensandi potestatem, quae in episcopo est ordinaria vel quasi ordinaria. Quam vero is habebat expresse a S. Sede delegatam, eam ii soli habent, quibus eam episcopus vi sui indulti commiserit pro tempore sedis vacantis (n. 617).

Vicarius episcopi generalis sola vi sui mandati generalis non habet quasi ordinariam illam episcopi potestatem, de qua dictum fuit n. 633-636 (1); solet tamen per speciale mandatum ei communicari; quo generaliter facto, ejus exercitium non delegatae sed quasi ordinariae potestatis regulis dirigitur. Ex facultatibus episcopo expresse delegatis nullam habet vicarius, nisi communicatam vel subdelegatam accipere potuerit et acceperit. An autem et intra quos limites possit ei fieri communicatio vel subdelegatio, et an ipse quoque communicare vel subdelegare queat, haec quidem et alia hujusmodi pendent ex tenore indulti episcopo concessi (n. 617, 632 sub *c*).

Confessarii Regulares Ordinum Mendicantium aliorumque, qui cum iis communicant, nullam ex privilegiis habent facultatem in dirimentibus impedimentis dispensandi (2); solent tamen eorum apud infideles missionariis a Sede Ap., dependenter ab eorum Superioribus, facultates impertiri (3). Possunt vero (4) praefati

(1) Cf. n. 638 sub 3°; de proclamationibus tamen vid. n. 265.

(2) Merito scribit Reiff. l. c. n. 540 : « Quamvis non desint docentes, posse Regulares Mendicantes dispensare super quovis tam dirimente, quam impediente impedimento, super quo... de jure ordinario dispensare potest Episcopus, tamen haec doctrina omnino periculosa, et nullatenus practicanda, utpote omnino improbabilis videtur, ut bene etiam advertit Gobath. » Idem quidem ib. n. 542 sqq. tuetur posse Regulares pro foro interno dispensare in impedimento occulto affinitatis, ob quod nullum erat matrimonium; sed hoc quoque rejiciendum est; cf. inter alios Wiestner, n. 75 *De matr. contracto contra interd. Eccl.*, Pichler, n. 34 eod.

(3) Cf. Ben. XIV const. *Cum venerabilis* 27 januar. 1757 (*Bullar. Ben. XIV*, t. 4, const. 66; ed. Mechl. vol. 12, p. 116 sqq.), Leonis XII breve *Plura inter* 11 jul. 1826.

(4) Varia est hac de re auctorum doctrina. Qui affirmant, ii aut inni-

confessarii, sub moderatione suorum Superiorum, privilegio Apostolico pro foro conscientiae ad petendum debitum dispensare in superveniente affinitate vel cognatione spirituali (n. 382 sqq. 426 sqq.). Simili eos gaudere privilegio ut, contracto matrimonio, ad petendum debitum dispensent pro foro conscientiae in voto castitatis sive ante sive post matrimonium emisso, merito tradere solent auctores (1), communius autem quoad votum ante quam quoad post matrimonium emissum (2). Non pauci etiam

tuntur solis privilegiis vivae vocis oraculo concessis, aut aliis praeterea privilegiis. Insuper eorum alii volunt nulla opus esse Superiorum Regularium licentia, alii vero requiri licentiam Generalis vel Provincialis, alii demum requiri sed sufficere licentiam Superioris localis. Cf. Didacus ab Aragonia, *Dilucidatio priv. Reg.* tr. 6, c. 6. n. 12, L. Ferraris, v° *Matrimonium*, art. 3, n. 12-17, 19 sq., S. Alph. n. 1076, App. de priv. n. 108, Bouix, *De jure Reg.* t. 2, p. 627, q. 7. Qui negant, ii dicunt revocata fuisse haec privilegia; sic scribit de Justis, l. 2, c. 2, n. 180. et c. 7, n. 90, hoc privilegium fuisse cum aliis omnibus Motu proprio ante a. 1631 concessis revocatum ab Urb. VIII. Alii non negant, sed dubiam habent ejusmodi facultatem: inter eos est Clericatus, decis. 31 *De Sacr. matr.* n. 53 sq., qui ideirco conscientiae Regularium rem relinquit; sed in decis. 46 *De Sacr. poen.* n. 19, et *Erotem. eccl.* c. 135, n. 10, ipse hoc privilegium agnoscit. Quamquam plura forent animadvertenda ad ea, quae varii auctores scribunt de nonnullis quae allegant privilegiis, praesertim vivae vocis, et de privilegiorum communicatione ac confirmatione et de privilegiis vivae vocis, nihilominus privilegium, de quo agitur, praefatis confessariis competere dubitandum non est. Communior autem opinio est requiri licentiam Provincialis, verum ex singulorum Ordinum constitutionibus et praxi id pendet, uno tamen alterove modo ex his desumendo debere esse hanc facultatem concessam jure merito dixeris.

(1) Cf. Did. ab Arag. l. c. n. 13, S. Alph. n. 987, 1128, App. de priv. n. 109. De licentia Superioris dicito ut in nota praecedenti.

(2) Scribit Blas. Panzuti. *Casus eorumque resolutiones*, t. 2, Neap. 1842, dissert. apol. quae est ad calcem, p. 247, S. Alphonsum quoad votum post matrimonium emissum ita illud limitare, ut neget 1° quoad votum non exacto bimestri et ante consummationem emissum animo ingrediendi Religionem; 2° quoad votum exacto bimestri et ante consummationem emissum animo ingrediendi Religionem de compartis licentia et servatis servandis; 3° quoad votum mutuo consensu emissum ab utroque, quia in his

tradunt posse eosdem confessarios in urgentissima necessitate, ut possunt episcopi (n. 613 vs. *In votis*), in voto castitatis dispensare ad matrimonium contrahendum; communius tamen negatur (1).

§ 4. *De casu, ut vocant, perplexo.*

640. Maximis difficultatibus implicatur parochus vel confessarius qui, omnibus ad nuptias paratis, impedimentum dirimens detegit eo momento, quo ad episcopum recurrendi tempus deest. Quando aliis publicum est impedimentum (n. 85 sqq.), differendum est matrimonium, quum non solum nulla ex dilatione immineat infamia vel scandalum, sed scandalo foret ipsa matrimonii celebratio. Differri etiam debere matrimonium existimamus si agatur de impedimento natura sua publico, sed aliis occulto, de quo vid. n. 645. Quid vero facto opus si agatur de impedimento occulto et ne natura quidem sua publico, cujus manifestatio infamiam et scandalum est allatura, praesertim quando uni tantum parti notum est impedimentum, ad neminem autem, qui dispensandi facultatem habeat, possit recurri?

Si de bona utriusque fide circa impedimenti existentiam et futuram matrimonii nullitatem constet, et agatur de impedimento in quo Sedes Ap. dispensare consuevit, nec habeatur moralis cer-

casibus est votum omnimodae castitatis. Remittit autem Panzutus ad S. Alph. n. 986, ubi sermo est de episcopis. At cum multis aliis auctoribus tam in dictis confessariis Regularibus quam in episcopis (n. 613 vs. *Contracto*) potestatem illam in ejusmodi quoque casu agnoscimus, si, quod esse solet, urgeat necessitas seu incontinentiae periculum, ipsumque S. Alphonsum non refragari opinamur, quum non memoret necessitatem. Nihilominus in omni hujusmodi dispensatione debere aliquam saltem commutationem intervenire existimamus (n. 613 l. c.), quum ipsa S. Sedes in sua praxi id soleat observare.

(1) Cf. Did. ab Arag. l. c. n. 9. S. Alphonsus opinionem affirmantem non audet reprobare, imo scribit eam non posse dici improbabilem; negantem tamen ab eo praeferri colligitur ex ejus modo loquendi n. 1128, de voto n. 258 Not. II, App. de priv. n. 109.

titudo fore ut, si fiat monitio, opportuno medio differri queat matrimonii celebratio, bona fides non est turbanda, celebrabitur matrimonium, et illico recurretur pro ejus aut per simplicem dispensationem aut per sanationem in radice convalidationem juxta dicta n. 598. Etiam pro simplici dispensatione usuvenire tunc non potest quasi ordinaria episcopi potestas (n. 654 sub 1° et 4°, coll. n. 598), sed sola expresse delegata pro foro conscientiae dispensandi etiam non urgente necessitate; si vero expresse delegatam hujusmodi facultatem episcopus non habeat, simplex etiam dispensatio est a Sede Ap. petenda.

Si bonae fidei subsidium non habeatur, sed impedimenti conscius sit nupturiens, adhibendum est, si quod adhiberi queat, nuptias absque infamiae vel scandali periculo differendi medium. Indicari quaedam solent ab auctoribus, sed raro eorum aliquod in praxi adhiberi poterit absque infamiae suspicione, rarius autem quando una tantum pars impedimenti notitiam habet (n. 635). Quamquam non tantae difficultates esse solent pro inferioris conditionis sponsorum matrimonio differendo, existere tamen possunt. Quid itaque si medium differendi revera non habeatur? Diversa sentiunt auctores; eorum autem opinionem omnino praetermittimus, qui nullam praesto esse solutionem sed ad celebrationem transiri numquam posse existimant, vel proprie dictam dispensandi potestatem parocho vel confessario attribuunt.

641. Imprimis sunt qui censeant cessare impedimentum, et matrimonium valide et licite posse contrahi, idque a parocho vel confessario declarari. Addunt tamen, saltem ad majorem securitatem et salvandam reverentiam legibus Ecclesiae debitam, imo juxta aliquos ad tutius agendum, quantocius recurri debere pro dispensatione obtinenda. Si autem fieri possit, recurrendum esse ante matrimonii consummationem, et monendas tunc esse partes ut hanc usque ad obtentam dispensationem et renovatum secreto consensum differant. Pro hac de cessatione impedimenti doctrina praesertim citari solent Pignatellus, Roncaglia, S. Alphonsus; an merito, propius inspiciamus.

Pignatellus, consult. 33 (t. 3) n. 3 sqq. conatur ostendere in urgenti necessitate episcopum posse dispensare, cujus rei rationes dat 1° : « In tali casu censetur cessare lex qua prohibetur tale matrimonium. Quoniam lex ordinatur ad bonum communitatis... Unde quando lex desinit esse bona, et potius evadit perniciosa, habet epieikeia, quod non obliget... Quia quod est ordinatum ad bonum non debet esse perniciosum, neque est de intentione legislatoris obligare, quando quod praecipitur ratione subjectae materiae incipit esse praejudiciale. Tunc enim si lex obligaret, non esset recta, sed injusta, et peccaret... Et proinde superior immediatus, licet inferior legislatore, potest in tali casu dispensare, seu potius declarare, quod lex non obliget (n. 5). » 2° « Confirmatur. Quando concurrunt duo praeccpta, minus cedit majori. Unde concurrente lege humana cum jure naturali, cedit lex humana, tamquam minus digna. In hac autem specie concurrit lex humana prohibens matrimonium, et ex alia parte lex charitatis, quae est lex naturalis, obligans Episcopum, tamquam Pastorem, ad subveniendum subdito in tanta necessitate constituto. Quare, cum non possit recurrere ad Pontificem pro remedio, ne sine remedio sit, lex charitatis obligat Episcopum ad dispensandum, et praevalet legi humanae. Rursus ex parte conjugum concurrit jus tuendae propriae famae, quod est naturale, atque adeo praevalet legi positivae humanae, ac proinde ab Episcopo relaxanda est, tamquam illa, quae in tali casu debet cedere (n. 6). » 3° « Praeterea tenetur princeps procurare utilitatem subditorum... Unde non praesumitur habere voluntatem contrariam utilitati subditorum, et si haberet, inefficax esset, utpote irrationabilis... Si autem Pontifex nollet in tali casu dispensationem concedi ab Episcopo, esset voluntas contraria utilitati subditorum, et non respiceret bonum, sed malum, quia esset causa scandali. Quod praecipue verum est in hac materia; quia reservatio dispensationis respicit rectam administrationem Reipublicae, et fit ob charitatem erga subditos, et ob bonum ipsorum. In tali

autem casu, si non cessaret, induceret malam administrationem, et relinqueret subditos sine remedio in casu extremae necessitatis, quod est contra charitatem, et bonum regimen Reipublicae (n. 7). »

Dein idem extendit Pignatellus ad impedimenta publica, et affirmat in facti specie, de qua ipse loquitur, in qua scilicet ob instantes mortis angustias atque itineris longitudinem Rom. Pontificem adire per tempus non licuerat, « Episcopum esse potuisse illius supremae mentis idoneum interpretem, et saltem vice instrumenti, gratiae non solitae dispensatorem legitimum, ita ut ejus dispensatio potius a Sancta Sede, et tacito intellectu, et praesumpta Summi Pontificis voluntate, quam ab Episcopo ex simplici ejus declaratione profecta videatur (n. 8). » Fatetur quidem plerosque auctores loqui de solis impedimentis occultis; sed nonnullos dicit indistincte loqui, ita ut tam ex verbis quam ex rationibus dicendi sint debere intelligi etiam de manifestis. Porro conatur idem confirmare n. 9.

Ita tamen loquitur n. 10 sqq. ut velit modestius hoc jure episcopum uti, et ita ut, quatenus fieri possit, supremam Pontificis auctoritatem servet intactam, volendo ut contrahentes, ubi primum hoc fieri possit, explicitum Pontificis beneplacitum rei gestae accedere omni studio procurent. Casus ejusmodi ita debere esse singulares, ita suis modis et circumstantiis attemperatos, ut nullo modo possint aut debeant in consequentiam trahi. Requiri in alterutro contrahentium bonam fidem. Ceterum expedire ut, post datam ab episcopo vice quodammodo pontificia dispensationem, recurratur ad Rom. Pontificem. Quamquam enim ab initio perfectum esse matrimonium dicit Pignatellus, nec opus esse novo consensu post acceptum Sedis Ap. beneplacitum, vult tamen ut accedat supereminens quaedam Suae Sanctitatis approbatio ac beneplacitum. Neque, si ab initio rite celebratum et perfectum sit matrimonium, superfluum esse recurrere ad Rom. Pontificem; nam concessam dispensationem esse quid mixtum, partim ex

Ordinarii indulgentia in ipso negotio actu habita, partim ex ratihabitione Summi Pontificis postmodum adhibenda, quorum primum cum voto ad Sanctam Sedem sufficiens fuit ad esse matrimonii simpliciter constituendum, alterum vero ad melius esse requirendum videbatur. Quamvis igitur quoad rei gestae substantiam nihil ipsi defuisse videatur, tamen famae et dignitatis interest, eam primariae auctoritatis nutu approbari, ejusque oraculo palam inclarescere. Notandum est haec omnia Pignatellum praecipue proferre de impedimento publico, de quo in facti specie, quam dilucidabat, sermo erat, et in qua publicitas originem habebat ex judicis ecclesiastici sententia.

Pignatellus itaque pro episcopi potestate asserenda haec omnia congerit; in rationibus tamen ab eo expositis fundamentum struit doctrinae, de qua nunc agimus.

642. Accessit Roncaglia, de matr. q. 5, c. 1, cujus doctrinae haec summa est. « Episcopus, ordinarie loquendo, dispensare non potest in impedimentis dirimentibus... Dixi, ordinarie loquendo; nam quoad forum internum dispensare potest in impedimentis dirimentibus, si impedimentum sit occultum; si adsit gravis causa ita urgens, ut dilationem non patiatur; si matrimonium jam sit contractum, vel non possit differri (1)... Omnes igitur asserunt difficiliter evenire posse, quod Episcopus possit dispensare pro foro externo in impedimentis dirimentibus, semper cum enim impedimentum sit publicum, difficiliter potest dari casus, in quo non possit dispensatio expectari; et ulterius, si Episcopus in publico impedimento dispenset, potius scandala multiplicarentur... Quod si casus interveniat, ut pro concedenda dispensatione etiam quoad publicum impedimentum concurrant rationes statim adducendae pro dispensando in occulto impedimento, tunc non videtur talis facultas Episcopo deneganda, ut observat Pignatel-

(1) Alterutrius etiam bonam fidem Roncaglia requirit, ut episcopus dispensare queat.

lus... Tamburin. l. 8 de matrim. tract. 2 de impedim. c. 4, § 4, num. 11. Si autem specialiter agatur de dispensando in gravi necessitate impedimento occulto pro solo foro interno, omnia concordant ad astruendam hanc Episcopo potestatem. » Quare? 1° Quia potest episcopus in lege universali dispensare, quoties id necesse sit pro urgenti spirituali necessitate suarum ovium. 2° Propter epikeiam, qua bene judicatur legislatorem noluisse sua lege comprehendere casum, in quo observatio legis esset damnosa, seu saltem valde onerosa, ut esset in casu onerosissima, si episcopus saltem non posset dispensare. 3° Ob consuetudinem, quum omnino tuta sit opinio episcopis ejusmodi facultatem adstruens.

Quaerit deinde, « quid agere debeat parochus, si immineat gravissima necessitas celebrandi matrimonium, et non possit dari recursus ad Episcopum pro dispensando impedimento dirimente; » ex. gr. si detegatur impedimentum quando jam sunt in ecclesia. Respondet autem : « Certe si publicatio impedimenti graviter famae officiat, modo reputatur solum speculativum, et ideale, in praxi vero valde periculosum illud remedium, quod passim legitur apud Theologos, ut nempe contrahentes, vel aliquis illorum votum castitatis ad tempus emittat, ut interim dispensatio saltem ab Episcopo obtineatur. Fortasse Episcopus contrariam sequens opinionem illam denegabit. » Juste etiam timeri potest veri impedimenti latentis suspicio. Omnes insuper semidocti noverunt tale remedium docere casuistas, quando turpe adest impedimentum. « Demum potest dari casus, in quo adhiberi non possit praedictum remedium, quando nempe ageretur de contrahendo matrimonio inter aliquos laborantes impedimento dirimente, quorum aliquis esset morti proximus, et Episcopus absens; et interim vitari non posset insigne dedecus familiae, sicut etiam quod filii remaneant illegitimi etc., vel aliquod aliud gravissimum scandalum, nisi per celebrationem matrimonii. Ita e. g. esset, si occidenda esset foemina, dum comprehenderetur fuisse concubinam, non vero uxorem, uti reputabatur, morituri. »

Pergit autem : « In his igitur casibus, dum nec Episcopus possit adiri, nec contrahentes essent in bona fide, in qua si essent, in ea essent relinquendi,... putarem, salvo semper meliori judicio, parochum procedere posse ad matrimonium celebrandum. Ratio est, quia ideo dum adiri non potest Papa, tutissime dicitur dispensationem pertinere ad episcopum; quia per epikeiam optime interpretatur non obligare, immo cessare obligationem legis quoad Papam adeundum; at haec ratio militat etiam in isto casu. Omnes igitur concedunt per epikeiam bene affirmari cessare legem Ecclesiae, quoties in aliquo casu particulari ipsius observantia sit difficillima, et multo magis, si perniciosa; dum ita ergo evadat lex ecclesiastica de aliquo impedimento, nec episcopus adiri possit, poterit parochus judicare pro tali casu cessare illius obligationem, quamvis etenim dicamus non posse in ea dispensare, potest tamen doctrinaliter interpretari, an obliget nec ne in aliquo casu particulari... Ulterius cum eadem debeat esse juris dispositio, ubi eadem est ratio,... sequitur quod si ad removenda gravia inconvenientia consentiunt DD. cessare legem quoad obligationem Pontificem adeundi, dum adiri non potest, idem dicendum sit quoad obligationem Episcopum adeundi, dum non possit adiri. Unico verbo quidquid facit praesumere voluntatem esse S. Pontificis, ut Episcopus in quibusdam gravissimis casibus possit in impedimentis dirimentibus dispensare, dum non possit Pontifex adiri, et periculum sit in mora, idem probat, meo videri, quoad parochum dum non possit Episcopum adire. Vel si dicatur in casu, quo non possit adiri Pontifex pro dispensatione, cessare quoad hoc legis obligationem, idem dicendum videtur in casibus, quibus adeundus esset Episcopus, si adiri non possit. — Haec doctrina, quam semper in mente habui, in gravissima necessitate non videtur reprobanda, utpote conformis principiis, quae in Tractatu de legibus communiter admittuntur. Ut tamen ex hoc non cesset, quae debetur reverentia legibus Ecclesiae, bene postea erit ad majorem firmitatem dispensationem

a competente superiore expostulare. Quae hucusque dixi immuntur etiam in quadam Instructione pro novis confessariis edita primo Papiae, et postea Lucae... ac eodem tempore iterum Romae (1). »

Doctrina igitur, de qua nos hic agimus et quae Pignatelli rationibus continebatur, a Roncaglia expresse, non tamen absque aliqua haesitatione, proponitur et in alio opere insinuata dicitur.

645. S. Alphonsus etiam solet citari tamquam suam faciens doctrinam de cessatione impedimenti dirimentis qua talis, sed attente consideretur ejus modus loquendi.

De poenit. n. 613, postquam ostendit episcopum posse dispensare, sequentia addit : « Imo addit Pignatell. t. 5 consult. 55, n. 5, ibique fuse probat quod eo casu censetur omnino cessare lex qua prohibetur tale conjugium contrahi ; omnis enim lex (ut ait) ordinatur ad bonum publicum, ut revera est commune apud omnes ex c. 2 *de observ. jejun.* ubi dicitur quod necessitas careat lege, et ex c. 2 dist. 4... Unde quando lex evadit perniciosa, utique non obligat, ut docet D. Th. 2. 2. qu. 120 art. 1, ubi dicit, quod cum aliquid est contra commune bonum, malum est sequi legem positam. Idem... et Pal. tr. 5, p. 1, n. 4, qui probat cum Suar. Bon. Vasq. et Salas, quod lex bono communi non conveniens, non est lex, neque obligationem inducit. Et ideo ait Pignatellus, tunc alium inferiorem legislatore posse declarare, quod lex impedimenti cesset, et non obliget, cum in eo casu, si adhuc Pontifex vellet legem obligare, talis voluntas respiceret malum, quia esset causa scandali, quod non est praesumendum. Unde dicit Ronc. p. 172, q. 2 (cujus opinionem ait auctor *Instr. pro novis confess.* p. 2, n. 52, ex Jordano, et Pignatell. ut supra, non esse rejiciendam tamquam improbabilem et non tutam in praxi) quod si aliquando nec etiam ad episcopum aditus pateret, et

(1) In nova hujus Instructionis editione citatur ipse Roncaglia : cf. S. Alph. locis mox citandis.

nullo modo aliter vitari posset gravissimum periculum infamiae, aut scandali, posset parochus vel alius confessarius declarare, quod lex impedimenti eo casu non obligat, quia eadem ratio (ut supra) tunc urget, nempe quod cessat lex, quando potius est nociva, quam utilis. Et licet hic non cesset finis legis in communi, sed in particulari, cum tamen cessat finis legis in contrarium, lex etiam cessat, ut omnes conveniunt. Notant tamen praefati auctores, quod esto tunc permittatur contrahi matrimonium, tamen quantocius (saltem ad majorem securitatem, et ad salvandam reverentiam legibus Ecclesiae debitam) recurri debet ad S. Poenitentiariam, ut ab illa dispensatio obtineatur. »

De matr. n. 1122 : « Addit Ronc. p. 191, q. 1, r. 2, cum Pignat. et Tamb. quod, etiamsi impedimentum fuerit publicum, possit episcopus dispensare, quando eaedem interveniunt rationes quae sufficiunt ad dispensandum in impedimento occulto. Sed hanc opinionem vix unquam puto posse habere locum in praxi, quia, cum impedimentum est publicum, cessat ratio scandali, si sponsi a tali matrimonio desistunt, imo praesertim ad vitandum scandalum tenentur a nuptiis desistere. »

In op. *Homo Apostolicus*, tr. 16, n. 114 : « Imo dicunt, et quidem non sine fundamento, Ronc. et Instructor etc. praefatus cum auctoritate Pignat. quod cum in hoc casu lex impedimenti reddatur nociva, posset parochus, aut alter confessarius prudens declarare talem legem non obligare. Advertunt tamen pro majori securitate, et etiam pro reverentia erga Ecclesiae leges, recurri debere ad sacram Poenitentiariam, ut ab ea obtineatur dispensatio ; » remittit S. Alph. ad suam Theol. mor. de poenit. n. 613. Et tr. 18, n. 81 : « Et cum necessitas non pateretur moram, juxta id quod dicunt plures DD., potest confessarius declarare legem impedimenti tunc non obligare, adeo ut possit matrimonium contrahi, omissa dispensatione. » Et tr. 20 (seu in novis edd. Theol. mor. App. de privil.), n. 57 : « Imo asserit Pignat. probatque in tali casu cessare non modo reservationem, sed etiam legem impe-

dimenti, utpote eam quae jam perniciosa evaserit; cum certum omnino sit legem nocivam non obligare, ut docent omnes cum D. Thoma. Et ex hoc inferunt Roncagl. et Instructor nov. confess. (ut jam diximus tr. 16, n. 114) quod, adveniente casu quo sponsi jam ad ecclesiam pervenerint, ut unus ex ipsis manifestaret confessario impedimentum occultum jam contractum, tanquam peccatum, et sine scandalo aut infamia matrimonium differri non posset, potest tunc confessarius declarare eo casu non obligare legem impedimenti, et posse licite contrahi. Verum ad majorem cautelam consulunt ut obtineatur inde dispensatio a S. Poenitentiaria. Sed advertendum est hoc currere quando episcopus esset absens; quando etenim fieri potest, necessario ad ipsum est recurrendum, ut dispenset. » Rursus remittit S. Alph. ad supra cit. n. 613 de poenit.

In op. *Praxis confessarii*, quod novis edd. Theol. mor. annexum est, haec leguntur n. 8 : « Et si aditus ad episcopum etiam esset difficilis, et nullo modo posset evitari gravissimum periculum infamiae aut scandali, retulimus (d. n. 613 in fine) sententiam auctoris (*Instruct. pro novis confess.* p. 2, n. 32, ex Ronc. Surd. et Pignat. t. 5 consult. 55, n. 5) qui ait non improbabile esse, imo tutum in praxi posse parochum, vel alium confessarium declarare, quod lex impedimenti tunc non obliget, atque cesset, utpote potius nociva, quam utilis. Sed observa quae loco citato fusius dicuntur. » Et n. 84 : « Et si neque adesset modus adeundi episcopum, observa quod dictum est in Libro (Lib. 6, n. 612 [613] v. *Sed hic*) et supra n. 8. »

His sancti Doctoris locis perpensis, dici non potest hanc doctrinam propugnare ut suam; dicit eam non esse sine fundamento, sed semper alios auctores loquentes inducit. Jamvero (1) in monito ad Lectorem, quod in capite ejus Theologiae legitur, haec scribit : « Caeterum, benigne Lector, te admonitum volo, ne

(1) Cf. *Mél théol.* ser. 2, p. 452 sq.

existimes me opiniones illas approbare, ex eo quod non reprobem; eas enim quandoque fideliter exponam cum suis rationibus, et Patronis, ut alii pro sua prudentia, cujus ponderis sint, adjudicent. » Propria S. Alphonsi opinio potius videtur esse ea, ut consentiat quidem cessationi legis quoad prohibitionem ponendi actum celebrationis matrimonii, licet invalidi, non vero quoad nullitatem actus. Imprimis quidem communis est haec doctrina de legis irritantis cessatione in particulari, eamque sequi etiam S. Alphonsum patet ex. n. 1079 de matr. Deinde casui nostro hanc potius doctrinam videtur ipse applicare; scribit enim n. 62 de Sacr. in gen. : « Infertur III. non esse illicitum ob gravem metum simulare celebrationem matrimonii, ut cum communi sententia docent... contra P. Milante. » Et in *Hom. apost.* tr. 18, n. 29 : « An autem possit simulare celebrationem nuptiarum, justa intercedente causa, v. g. si aliquod interesset impedimentum dirimens, et non posset sine gravi damno hujusmodi simulationem omittere? negat P. Milante; sed affirmant communiter... » Remittit autem S. Alph. ad supra cit. n. 62. Et in *Exam. Ordin.* n. 17 : « Praeterea ajunt communiter... contra Milante, quod si aliquis sponsorum cogitur contrahere per injustum metum, vel habens impedimentum dirimens, ad evitandum scandalum, tunc poterit ille (saltem sine gravi culpa) simulare celebrationem matrimonii; » rursus remittit ad cit. n. 62 (1).

644. De praedicta impedimenti cessatione quoad nullitatem actus scribit Blas. Panzuti, op. cit. vol. 2, Neap. 1842, casu 193, p. 200, eam opinionem pro tuta haberi a cordatis DD., ac praecise a S. Alphonso. At non ita explicite is loquitur, neque ipse affirmat esse tutam, sed id dici ab auctore Instr. pro novis confessariis. Citatur a Panzutó pro eadem doctrina scribens Pavone, *Luce fra le tenebre,* n. 317; post quem tradit Panzutus p. 200 sq.: « Post celebratum denique in praefatis circumstantiis matrimo-

(1) De utraque hac circa S. Alphonsi doctrinam observatione cf. *Mél. théol.* l. c. p. 453.

nium absque dispensatione ab impedimento, poenitens, etsi monendus sit, quod non amplius in confessionibus se accuset de peccato, quod citra illas circumstantias matrimonium irritum reddidisset; vel, si forte in sequentibus confessionibus illud sit revelaturus, confessario aperiat, quod ante matrimonium alteri perito, ac docto confessario illud confessus fuit, atque ob urgentem necessitatem ad matrimonium celebrandum habilis declaratus (P. Pavone l. cit.), ne scilicet per confessarium parum peritum, contrariumque opinantem, in arduum convalidationis matrimonii negotium impingatur. »

Card. Gousset, *Théol. mor.* t. 2, n. 850 sq., doctrinam de impedimenti occulti, quando ad episcopum recurri nequit, cessatione appellat satis probabilem plurium doctorum opinionem, et opinatur eam posse applicari in praxi, sed post matrimonium prudenter saltem peti a S. Poenit. sanationem in radice, si tamen Romae credatur necessaria (cf. inf. p. 594). N. 852 scribit (1) esse doctores (Pignat. cet.), qui existimant posse in ejusmodi casu episcopum dispensare etiam in impedimento natura sua publico, sed juxta S. Alphonsum, de matr. n. 1122, hanc opinionem vix posse applicari in praxi, quia, impedimento existente publico, scandali ratio cessat si sponsi a matrimonio desistant. Attamen censet card. Gousset posse episcopum dispensare, si nupturientes sint in bona fide circa impedimentum, et episcopus, quibusdam spectatis circumstantiis, timere possit gravia quaedam contra rectum ordinem incommoda ex matrimonii dilatione oritura. Minorem etiam fore difficultatem, si jam ante impedimentum nupturientibus notum civiliter celebratum fuerit matrimonium, quum ab hoc in Gallia desistere amplius nequeant. Sed, ait, poteritne parochus ad celebrandum matrimonium in casu hujusmodi impedimenti transire, si impedimentum detegatur ipso momento quo

(1) Confundit hic card. Gousset impedimenta natura sua publica cum publicis ratione notitiae aliorum; cf. sup. p. 569 not. 2. Auctores, quos citat, loquuntur de his ipsis.

instat matrimonii celebratio, sponsis jam in ecclesia existentibus vel eam cum cognatis suis mox petituris? Generaliter loquendo non potest; absque gravi incommodo expectari potest dispensatio episcopi. Poteritne saltem si ex noto sibi sponsi animo merito timeat, ne iste in solo civili matrimonio mansurus sponsam in infelicem conditionem projiciat? Dicit emin. auctor se non audere pronuntiare, sed hoc ipso etiam non audere reprehendere parochum, qui, omnibus consideratis, crederet se posse agere ac si obtinuisset dispensationem, quam neque episcopus neque Pontifex negare posset; certo enim quasdam esse circumstantias, in quibus strictissimarum etiam legum obligatio cessat. Nihilominus parochum debere, contracto matrimonio, certiorem facere Ordinarium, ut is pro sua prudentia judicet, annon conveniat petere sanationem in radice.

Demum generalis haec consideratio occurrit n. 854. Quum codex noster civilis, inquit emin. auctor, non amplius conveniat cum codice ecclesiastico, jam non possunt apud nos nec parochi nec episcopi procurare ut ad literam observentur leges canonicae de dispensationibus matrimonialibus. Saepe parochus, quia ad episcopum, episcopus, quia ad Pontificem recurrere nequit, veluti coguntur eam partem arripere quae minora in ordine morum incommoda offerat, et ex duobus malis eligere minus. In eo, inquit, qui nunc est rerum statu, spectata praesertim fide debilitata, eadem illa necessitas, ob quam ex canonistarum judicio cessat interdum dispensationis in impedimento reservatio, saepius hodie quam olim in Gallia occurrit. Quo fit Rom. Pontificem episcopis Gallis facile concedere facultatem dispensandi in pluribus impedimentis dirimentibus, etiam publicis.

De casu, quem suo n. 852 indicaverat emin. Gousset, scribit Caillaud, ed. 4, n. 119 sq., spectata fide debiliori et civilis matrimonii in Gallia incommodis, S. C. C. episcopi in publicis dispensationem hodie verisimiliter minus severe fore qualificaturam, quam fecit in rescriptis citt. n. 633. At sibi firmiter esse

persuasum S. C. C. non fore approbaturam parochi, de quo enim. Gousset, rationem agendi; quia, inquit, merito timeret decisionis suae abusum et nimiam extensionem, et praesertim ne in posterum alii, re cognita, inde occasionem arriperent cogendi parochos, impedimentum non revelando nisi instante matrimonio, ad evitandas expensas et dilationes quas recursus Romam instituendus secum fert. Porro casui, quo nulla fuit petita dispensatio, aequiparari illum quo obtenta fuit dispensatio certo invalida, si nullitas sit aut ex culpa oratorum, aut publica. Si vero sit occulta et independens a voluntate oratorum, jam non eadem incommoda celebrationi matrimonii obsistere, alios oratores non posse ejusmodi exemplum invocare, et potius tunc videri casum aequiparandum illi quo impedimentum est occultum.

De occulto autem impedimento scribens Caillaud, ed. 4, n. 205, citat auctores pro cessatione juxta ipsum (1) scribentes, qui omnes, ait, volunt contracto matrimonio esse scribendum ad Ordinarium vel ad S. Poenit., ut obtineatur ad cautelam sanatio in radice, si tamen Romae haec credatur necessaria. In dioecesi Bituricensi confessarius aliquis, detecto incestu secreto, doctrinam de cessatione, innixus citatis auctoribus, applicaverat, et illico de re retulerat ad ipsum Caillaud, vicarium generalem et officialem. Is autem Romam scripsit pro obtinenda, si videretur necessaria, sanatione in radice. S. Poenit. non reprehendit confessarium, sed simplicem dispensationem concessit 25 apr. 1851. Deinde, ait, eodem casu iterum contingente, S. Poenit. mens. januar. 1859 respondit conjuges esse relinquendos in bona fide, vel si, in bona fide existentes, sine periculo moneri possent, se dare potestatem eos absolvendi et dispensandi, dummodo nullitas esset occulta, eosque debere renovare consensum. Quum tamen S. Poenit. semper adoptet tutiorem sententiam, ex dispensatione data non sequitur eam pro nulla habuisse dispensationem; tan-

(1) Non omnes enim bene citat.

tum sequitur eam noluisse solvere quaestionem, sed reliquisse indecisam. Tertio contingente casu, in ejus expositione notaveram virum esse valde male dispositum et probabiliter nolle consensum renovare, quare petivi dispensationem in radice, si matrimonium non esset validum. S. Poenit. 18 jul. 1860 respondit : « Parochus conjuges in sua bona fide relinquat. » Ex qua responsione, ait, colligere licet eam inclinare in sententiam validitatis matrimonii ; secus enim dedisset dispensationem in radice ne conjuges privarentur gratia sacramentali (1).

N. 317, de potestate a nonnullis episcopo tributa dispensandi in publicis casu urgentis necessitatis scribit, S. C. C. hodie, spectato infelici Ecclesiae statu in Gallia propter cod. civ. art. 214, verisimiliter eam opinionem minus severe fore qualificaturam quam in rescriptis citt. n. 635 ; nihilominus se inclinare ut credat eam non fore agnituram ejusmodi in episcopo potestatem. In tam ardua autem quaestione sibi intermediam placere opinionem, negando illam potestatem si urgens necessitas fuerit adducta per culpam nupturientium, agnoscendo si absque eorum voluntate. Ut tamen episcopus tunc dispenset, requiri bonam nupturientium fidem, dubiam vero non sufficere. Multo autem probabiliorem sibi tunc videri episcopi potestatem, quando impedimentum, licet natura sua publicum, paucis tantum est notum. Ceterum propter indulta Apostolica raro hujusmodi potestatem usuvenire.

Scavini t. 4, n. 578 : « Tenet tunc Roncaglia non sine fundamento cum Lugo et aliis, » cet. Kenrick, tr. 18, n. 220 : « Censet nonnemo. » Van de Burgt, *De matr.* n. 595 : « Multis placet quod S. Lig. scribit in *Hom. Apost.* tr. 16, n. 114. — Dicunt, et non quidem sine fundamento, » cet. Gury ed. Baller. t. 2, n. 771 : « Juxta S. Lig. ibid. et alios posset confessarius, seu parochus

(1) Haec ratio non valet ; cf. enim dicta de mere relinquendo in bona fide, si neutra pars possit moneri, n. 598 vs. *Quodsi* et in fine, n. 627, 630 sub *e* 3° et 4°, 770 vs. *Tertiam* sqq.

declarare... Juxta alios permitti posset simulatio contractus matrimonii cum proposito quamprimum dispensationem ab impedimento petendi. » Et *Cas. consc.* t. 2, Lugd. 1866, n. 1036 : « Probabilius parochus posset declarare... Ita S. Lig. de Poenit. n. 643, et alii. Juxta alios permitti posset simulatio contractus matrimonialis, cum proposito dispensationem quamprimum postulandi. » Et n. 1044 : « Si Ep. nequeat adiri, parochus, tantis angustiis pressus, poterit ad matrimonii celebrationem procedere, et postea dispensationem saltem ad cautelam postulare. » Etiam a Gury non refertur exacte quod dicit S. Alphonsus. In tr. Mechl. ed. 1872 n. 101 de parocho aut confessario legitur : « 1° Si impedimentum factum sit publicum, omnino inhibere debet matrimonium, donec dispensatio fuerit obtenta. 2° Si vero impedimentum maneat occultum, distinguendum est : vel ipsi sponsi illud ignorant, vel non. Si sponsis ignotum sit impedimentum et absque periculo revelari nequeat, aliquando prudenter relinquuntur in bona fide juxta dicta n. 93, et quantocius post celebrationem matrimonii petenda est dispensatio. Si autem sine periculo revelari possit, aut si sponsi illlud jam norunt, supersedendum est celebrationi matrimonii, casu quo sine scandalo, infamia etc. impedimentum propalari, aut sub alio aliquo praetextu matrimonium differri possit. Casu autem quo sine scandalo, infamia etc. differri nequeat, et sit impedimentum tale in quo dispensare soleat Ecclesia, non male ageret parochus, qui, fretus auctoritate sententiarum supra expositarum, declararet impedimentum in casu sublatum, aut saltem non obligans quatenus est prohibens, atque sponsos ad matrimonium admitteret, quantocius petiturus dispensationem a superiore. Attamen priusquam ad celebrationem matrimonii procedat, monebit parochus sponsos, ut differant consummationem matrimonii, donec obtenta fuerit dispensatio, et etiam consensus renovatus, nisi concedatur sanatio in radice. De eo monebit utramque partem, si utraque fuerit conscia impedimenti, unam vero tantum si una tantum

illud noverit et altera in bona fide relinquenda sit. Patet quod parochus abstinentiam ab omnibus actibus extra matrimonium illicitis ut obligatoriam urgere debebit, si declarat cessare tantum legem quatenus prohibentem. Juxta hanc resolutionem agere poterit etiam confessarius, servatis tamen omnibus quae ut minister Sacramenti Poenitentiae servare debet. »

Alii, inter quos Kutschker, t. 3, p. 515, praesertim vero *Mél. théol.* ser. 1 ed. 2, p. 1 sqq., ser. 2, p. 451 sqq., ser. 6, p. 356 sqq., *Rev. th. nouv. sér.* t. 2, p. 180 sqq., cessationem quoad nullitatem actus omnino rejiciunt.

645. Rationibus, quae pro doctrina hucusque exposita afferuntur, non convincimur. 1° Non solum generalis earum species talis est ut hic illic manifesto sint praeter modum latae; sed insuper a praecipuis earum patronis, imo doctrinae parentibus, applicantur impedimentis ratione notitiae aliorum publicis, quorum cessationem absque dubio dicimus admitti non posse, nam ne episcopi quidem dispensationem admittit S. Sedes (n. 633 sqq.). Difficultas autem nunc existens propter civile matrimonium et cod. civ. art. 214, urgeri saltem nequit antequam civile matrimonium fuerit contractum, et rarius locum habebit quia solemnitas civilis solet immediate praecedere ecclesiasticam. Etiamsi autem hanc non ita immediate praecessisset, vel si immediate, inter utramque tamen, quod vix cogitari potest, detegeretur impedimentum, nihilominus in casu impedimenti aliis publici omnino remitti debere celebrationem coram Ecclesia desumimus ex rescriptis citt. n. 633, quae etiam potestatem dispensandi in publicis episcopo negant, non obstante gravissima quavis necessitate. Si vero impedimentum natura sua sit publicum, revera tamen aliis occultum, defendi potest impedimenti ab episcopo dispensatio (n. 634 sub 7°), forsitan etiam impedimenti cessatio, sed quoad hanc saltem aliter nobis persuasum est, quia manifestatio absque infamia et scandalo fieri potest, et contrariae rationes non videntur sufficere, ut ad extremam, de qua agitur, doctrinam deveniatur.

2° Opinio illa est contraria communi auctorum doctrinae, juxta quam lex irritans, etiam ob gravissimum incommodum, numquam cessat in particulari nisi quoad solam prohibitionem ponendi actum, licet irritum, numquam vero quoad actus nullitatem (1). Clandestinitatis quoque impedimentum quoad necessitatem assistentiae parochi juxta communem doctrinam (n. 304) numquam cessat in particulari, sed tantum propter communem in loco impossibilitatem; et hac licet existente, non cessat necessitas assistentiae testium. Ipsa autem illa cessatio impedimenti clandestinitatis numquam nititur in cessatione finis, sed in peculiari illius impedimenti natura, et quia talis erat intentio Conc. Trid. quoad loca in quibus ad parochum recurri non posset. Alia vero impedimenta ne in communi quidem umquam cessant propter impossibilem in loco ad Superiores recursum (2).

3° Multo magis deberent rationes adductae valere pro impedimento post contractum matrimonium detecto et tempore celebrationis ignorato; hoc tamen, fatentibus omnibus, non cessat (3).

4° Extrinsecus quoque ejusdem doctrinae valor patitur, quia sibi contrariam habet supra dictam communem de lege irritante doctrinam, et quia ejus parentes ad manifesta etiam impedimenta eam extendunt.

Quamquam doctrinam, de qua agitur, non multi facio, nihilominus non affirmaverim numquam posse in casu desperato tamquam extremum remedium inservire quod S. Alph. scribit non sine fundamento dici, sed de hoc inf. n. 648.

(1) Eam vid. ap. S. Alph. n. 1079 de matr., Gury ed. Baller. t. 1, n. 136, q. 3, *Casus conscientiae* ed. cit. t. 1, n. 122.

(2) Cf. n. 303, *Mél. théol.* ser. 1, p. 24 sqq., ser. 2, p. 462 sq. ubi p. 453 merito notatur, in casu nostro admissa solius prohibitionis, non vero nullitatis, cessatione, quam ipse S. Alphonsus dicit esse communem doctrinam, ruere fundamentum, in quo nititur opinio de cessatione quoad nullitatem actus.

(3) Cf. *Mél. théol.* ser. 2, p. 459 sq.

646. Aliud in casu perplexo remedium proponunt alii, et praesertim urgent *Mél. théol.* ll. cc. (1), nempe cessationem quoad solam prohibitionem ponendi actum, licet invalidum, seu, ut aiunt, simulatam matrimonii celebrationem, ita tamen ut exigatur promissio abstinendi ab iis omnibus quae non conjugatis sunt illicita, et illico recurratur pro obtinenda dispensatione, qua accepta, consensus ab utraque parte secreto renovetur. Soli impedimento vere occulto aptatur hoc quoque remedium, quod est applicatio doctrinae auctorum communis circa legis irritantis ob grave incommodum cessationem in particulari quoad solam prohibitionem ponendi actum, licet invalidum; quam quidem doctrinam auctores communiter, et cum ipsis S. Alphonsum, nostro casui applicare colligitur ex allatis sup. n. 643. Notant autem ita non agi contra prop. 29 ex damnatis ab Innoc. XI : « Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi; » in nostro enim casu nihil ejusmodi fieri, quia desunt materia et forma Sacramenti seu verus contractus, utpote lege Ecclesiae invalidus, quum tamen super solo vero contractu Sacramentum conficiatur (2). Equidem fateor me hujus rationis vim non bene perspicere (3), sed ob communem auctorum doctrinam in re ipsa admittenda non video difficultatem. Addunt *Mél. théol.* ser. 2, p. 465, etiamsi diceretur simulari Sacramentum, nihilominus non sine ratione posse defendi, casum nostrum non comprehendi sub damnata illa propositione, quia admitti nequit scholam catholicam universam post judicium Ecclesiae patrocinatam fuisse doctrinae damnatae, et tamen tacuisse Sedem Apostolicam. At hoc ratiocinium non valet, quum schola theologica, praecise ut vitet damnatam prop. 29, neget adesse Sacra-

(1) Cf. etiam *Rev. théol. nouv. sér.* t. 2, p. 180 sqq.

(2) Cf. S. Alph. de Sacr. in gen. n. 62, Voit. t. 1, n. 77 sq., Scavin. t. 4, n. 495 not. 1, Gury ed. Ballier. t. 2, n. 221, 222 sub 5°, Konings, n. 1231, q. 5 sq., 1233 sub 8°.

(3) Cf. n. 536, *Rev. théol. nouv. sér.* t. 2, p. 187 sqq

menti simulationem; hanc enim docet ne mortis quidem metu umquam posse esse licitam (1).

Id commodi habet haec doctrina prae illa quae est de cessatione quoad nullitatem actus, quod est communis; id vero incommodi, quod necessario est exigenda abstinentia a quibuscumque non conjugatis illicitis, quae difficultas maxima est quando unus tantum impedimentum novit nec potest hoc alteri manifestare. De secundi hujus remedii usu paulo infra.

647. Tertium denique medium ponunt alii in matrimonii celebratione sub conditione dispensationis obtinendae, ita tamen ut, quum matrimonium adhuc sit invalidum, sit exigenda abstinentia ab omnibus non conjugatis illicitis. Pro casu, quo uterque norunt impedimentum vel manifestari hoc alteri potest, indicant hoc remedium Voit, t. 2, n. 1192, ep. Eystetensis in instr. pastor. a. 1854 ap. Kutschker, t. 5, p. 522, alii. Consentire dicendi sunt ii, qui illud proponunt adhibendum etiam antequam propter urgentem necessitatem tribuatur episcopo dispensandi potestas (2). Quamquam autem regulariter est omnino illicitum contrahere matrimonium sub conditione, in urgentissima tamen necessitate illicitum non est; quod ex auctoribus passim abunde colligitur (3); major tamen difficultas est circa conditionem, de qua nunc agitur (n. 594). At, dispensatione obtenta, in nostro casu necessarium esse novum utriusque consensum sunt quidem qui negent, multi tamen docent idque oportet observare in praxi (4).

(1) Cf. S. Alph. l. c. n. 59, *Rev. théol. nouv. sér.* l. c. p. 185 sqq., alios passim.

(2) Cf. de Justis, l. 2, c. 2, n. 135, Scavin. t. 4, n. 577.

(3) Cfr. canonistae ad tit. *De condit. appos.*, Conrad, l. 8, c. 3, n. 33 sqq., S. Alph. n. 892 in fine, coll. n. 895 in fine, Carr. n. 492 sq., Scavin. t. 4, n. 664, van de Burgt, n. 76 vs. *Casus* 2, et n. 77, Gury ed. Baller. t. 2, n. 750 sq., de Angelis t. 3, part. 1, p. 144 sqq., *Rev. théol. nouv. sér.* l. c. p. 191 sqq., *Nouv. rev. th.* t. 13, p. 153, 297 sqq., Konings n. 1548. q. 4 sq. Contra tertium hoc remedium vid. *Rev. théol. nouv. ser.* t. 2, p. 202 sqq.

(4) Ea de r vid. praesertim Conrad. l. c.

Ex quo patet tertium hoc medium revera non differre a secundo, nisi quod per conditionem consensui saltem interne appositam facilius vitetur mendacium, quod in secundi medii applicatione vitandum est, saltem, ut cum Soto notat S. Alph., de Sacr. in gen. n. 62, volendo contrahere quantum in se est; alii aliter mendacii absentiam explicant.'

Quum autem revera matrimonium adhuc sit invalidum et non videatur fieri validum per solam dispensationem deinde obtentam, sed post hanc novus consensus mutuus videatur requiri, tertium hoc remedium iisdem, quibus secundum, incommodis subjacet, quando una tantum pars impedimentum novit et manifestare alteri non potest.

648. Quid igitur opinabimur? Imprimis quidem statuimus illicitam esse matrimonii celebrationem, si agatur de impedimento, in quo Sedes Ap. dispensare non consuevit, vel si uterque mala voluntate, id est destinato casum ejusmodi inducendi consilio, impedimentum eousque celaverint et neutrum nunc poeniteat, vel merito judicetur non fore de matrimonio validando sollicitos, vel impedimentum fuerit animo postea alterum deserendi occultatum, licet ab uno tantum, quem nunc non poeniteat. Tam autem in his quam in mox indicandis casibus maxime est diversa parochi et confessarii conditio (n. 270 sqq.), et vitanda est sigilli sacramentalis violatio hujusve suspicio.

Sepositis autem memoratis casibus, en qui nobis videtur praeferendus procedendi modus, quando bonae fidei subsidium non habetur (n. 640).

1° Si, quod in criminis impedimento contingere solet, uterque notitiam impedimenti habeat vel saltem possit hoc alteri manifestari, facilius fortasse quam in alio casu matrimonium differetur, sed si prorsus non habeatur differendi medium, uterque debet promittere ab omni re non conjugatis illicita abstinentiam usque ad obtentam dispensationem et secreto renovatum consensum.

Utroque promittente, celebretur matrimonium sub interna dis-

pensationis obtinendae conditione, et illico recurratur. Spectata autem, quae hodie est, viarum facilitate, plerumque eadem die haec tempestive haberi poterit, et ideo praedicta promissio facile obtinebitur.

Neutro promittente, confessarius non solum denegabit absolutionem, sed et declarabit transiri ad celebrationem non posse; parochus vero extra Confessionem notum habens impedimentum non assistet (n. 271).

Solo sponso promittente, videtur procedendum ut quando uterque promittit, quum in sponsi sit potestate matrimonium non consummare.

Promittente sola sponsa, eodem modo procedatur si eadem die possit tempestive haberi dispensatio; sin minus, in casu hoc desperato inservire potest doctrina cessationis quoad nullitatem actus, spectata ejus probabilitate, quam videtur S. Alphonsus agnoscere, et quia in urgentissima necessitate licet uti opinione probabili de valore Sacramentorum.

2° Si, quod contingere solet in impedimento affinitatis illegitimae, unus impedimentum noverit nec possit alteri manifestare, rursus videtur praeferendum secundum remedium cum adjecta conditione, tum quando eadem die potest tempestive haberi dispensatio, idque sive promittatur sive non promittatur abstinentia, tum quando sponsus novit et promittit nec potest eadem die dispensatio tempestive haberi. At quando sponsa novit impedimentum nec potest eadem die tempestive haberi dispensatio, inservire potest opinio de cessatione quoad nullitatem actus, sive sponsa promittat sive non promittat. Absolvi tamen non posse sponsum vel sponsam promittere nolentem palam est; erga talem igitur sub hoc respectu solitas ministerii sui regulas observare confessarius debet.

3° Fides data forsitan frangetur, sed culpae frangentis id erit. Quoties autem non uteris cessatione quoad nullitatem actus, in libello supplici omnino praevideatur ejusmodi hypothesis; imo

oportet consummationis hypothesim praevidere etiam quando cessationis illius doctrina fuit applicata. Circa alterius partis promissionem fides haberi potest poenitenti.

Etiamsi autem applicetur doctrina de cessatione quoad nullitatem actus, omnino petenda est dispensatio, simplex quidem si postea alter possit moneri, quo casu sufficiet dispensatio episcopi, sanatio vero in radice si alter moneri postea nequeat, quo casu Sedis Ap. auctoritas requiritur, nisi extraordinario indulto episcopus sit munitus. Sanationem in radice ipsa etiam S. Poenit. a Pontifice efflagitare debet, et episcopus eam concedendi indultum non solet habere; omnino enim extraordinaria sunt ea quae citavimus p. 536 sqq. Quando non fuit adhibita nisi cessatio quoad prohibitionem tantum, sive demum cum sive absque conditione adjecta, recurretur ad dispensationem episcopi.

4° At post secundum remedium, sive adjecta sive non adjecta conditione adhibitum, restat difficultas oritura ex renovando utriusque post obtentam dispensationem et compartis certiorationem consensu. Facilius quidem initio matrimonii quam postea elici novus compartis consensus poterit, sed magnam difficultatem causat certioratio. Verum haec etiam existet, si, adhibita cessatione quoad nullitatem actus, Sedes Ap., ut contigit confessario Bituricensi, de quo n. 644 vs. *De occulto*, loco sanationis in radice simplicem dispensationem concesserit. Succurri autem non potest nisi aut novo in posteriori hypothesi recursu ad Sedem Ap., aut adhibendo doctrinam indicandam c. 35, § 2, juxta quam certioratio non est essentialiter necessaria, sed in urgentissima necessitate potest omitti, ita ut novus compartis consensus eliciatur meliori quo fieri possit modo, etiamsi forsitan per solam copulam conjugali animo habitam, concurrente novo partis consciae consensu. In necessitate enim licet, etiam cum periculo frustrationis Sacramenti, sequi opinionem probabilem tantum, qualis est illa de certioratione non absolute et essentialiter necessaria, et de novi consensus, eo saltem modo eliciti, in urgenti

necessitate, aliis modis cessantibus, sufficientia; sed de hoc plura l. c. Imo majorem fiduciam nunc dat mutatio inducta a S. Poenitentiaria in facultatibus quas concedit, remittendo ad doctrinam probatorum auctorum; cf. p. 529 sq. not. 1, et n. 765.

5° Perplexum, de quo egimus, casum avertere solet confessio opportuno tempore instituta (n. 276, 635). Plures auctores remedium quaerunt in delegatione potestatis quasi ordinariae pro hujusmodi casu confessariis generaliter danda, sed hac de re vid. n. 619, 638 sub 3°.

CAPUT XXXI.

DE CAUSIS DISPENSANDI EARUMQUE VERIFICATIONE.

649. Ad licitam dispensationem semper requiritur causa justa, et quamquam absque hac superior in sua lege valide dispensare potest, id tamen facere numquam praesumitur; inferior vero absque causa justa in lege superioris sive expresse delegata sive quasi ordinaria facultate dispensans invalide agit.

Pro relaxandis impedimentis impedientibus generatim sufficit causa rationabilis, nonnumquam vero gravis requiritur, ex. gr. in mixta religione (1), in voto simplici (2), in vinculo sponsalium, in quo Sedes Ap. non dispensat nisi pro foro conscientiae, et quando sponsalia sunt occulta, ac justa causa adest ejusmodi, quae in foro externo foret ratio dissolutionis sponsalium (3). Gra-

(1) Cf. n. 568 sq. et *De matr. mixtis*, Lovan. 1847, p. 221 sqq.

(2) Cf. n. 559 sqq., 613 vs. *In votis* sqq., Bangen, tit. 2, p. 198 sq., Heiss, p. 192 sq., Giovine, t. 1, p. 270-280, t. 2, p. 87.

(3) Cf. Ben. XIV, *Inst. eccl.* 87, n. 4, 27, Giovine, t. 1, p. 323-327, t. 2, p. 79, 87, S. C. C. in *Bisinianen. Dissol. sponsalium* 10 sept. 1841, *Nullius Ferentilli Sponsalium* 29 maii 1852, et *Pistorien. Sponsalium super dispensatione* 7 junii 1856 (ap. Lingen et Reuss, *Causae selectae.. per summaria precum*, n. 516-518). *Acta S. Sedis*, t. 2, p. 257 sq., Planchard, *Disp. matr.* n. 430.

vem quoque causam postulat relaxatio omnium proclamationum (n. 267).

Gravem causam universim requirit dispensatio in impedimento dirimente, et in ea praesertim, ut nimia severitas, ita nimia facilitas est evitanda. De dispensationibus generaliter dicit Conc. Trid. Sess. 25 c. 18 de ref. : « Sicuti publice expedit, legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius, evenientibus casibus, et necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat : sic frequentius legem solvere, exemploque potius, quam certo personarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nil aliud est, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant universi sacratissimos canones exacte ab omnibus, et quoad ejus fieri poterit, indistincte observandos. Quod si urgens, justaque ratio, et major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse; id, causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis, a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit praestandum : aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur. » Et sess. 24, c. 5 de ref. matr. : « In contrahendis matrimoniis, vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa, et gratis concedatur. »

Majorem quidem jamdiu facilitatem adhibet Sedes Ap. propter multum diversas inde a Trid. Concilio temporum circumstantias, debitas tamen causas exigit, ejusmodi nempe ut juxta canonicas sanctiones et prudens ecclesiasticae provisionis arbitrium locus ad dispensandum esse videatur, et omnia amoveantur, unde nota aliqua ab improbis aspergi possit nomini ac decori Romanae Ecclesiae (1). Nostris quoque temporibus id verum est, quamquam propter infelicia eorum adjuncta majori etiam quam tempore Ben. XIV benignitate uti solet Sedes Apostolica. Hucusque

(1) Cf. Ben. XIV, init. et § 1 const. *Ad Apostolicae* 25 febr. 1742 (*Bull. Ben. XIV*, t. 1. const. 45; ed. Mechl. vol. 1, p. 260 sq.), Giovine, t. 1, p. 199-211.

expositam causae justitiam passim apud clerum suum urgent etiam episcopi. Non sufficit merum alicujus matrimonii ineundi desiderium, major futura rerum temporalium copia, aliud hujusmodi motivum, sed causa canonibus consona exigitur. Parochus itaque vel confessarius imprimis quidem de causa interroget; si certo insufficientem esse videat, id prudenter declaret nec recurrat; si sufficientem vel forsitan sufficientem, non illico annuat, sed, si fieri possit, suaviter dissuadeat, si autem non desistant vel matrimonium sit aut necessarium aut consulendum, officio suo partes adjuvet, numquam tamen inconsiderate dispensationis obtinendae spem certam faciens. Interdum vero debet, ut reparentur quae reparatione indigent, ad petendam dispensationem partes impellere. Universe autem hic observaverim, saepe multo facilius posse parochum et confessarium sapienti agendi ratione in toto hoc negotio disciplinae incolumitati prospicere, quam id deinde fieri possit ab episcopo, postquam illi aut nihil aut incaute egerint.

650. Causae dispensandi aliae sunt *finales* (motivae), aliae *impulsivae*. Illae sunt quae superiorem movent ad dispensandum, et sine quibus dispensatio aut nullatenus, aut nonnisi in alia forma, seu sub quibusdam conditionibus et limitationibus concederetur. Hae vero, quibus superior non principaliter movetur ad dispensandum sed ob quas facilius tantum dispensat, ita ut etiam sine iis in eadem forma dispensationem concederet.

Ut autem in singulis materiis causae aliquae noscuntur esse finales, ita in relaxatione impedimentorum dirimentium ex praxi et stylo Sedis Ap. specificae seu peculiares hujusmodi causae finales existunt. Quum autem totum hoc negotium ad praxim et stylum Curiae Romanae sit ordinandum, magni interest causas illas notas habere, ut simul constet quaenam ex illis pro impedimentorum diversitate sufficiat; causae enim justitia exigit ut sit proportionata gravitati impedimenti relaxandi.

Ejusmodi causarum aliae dicuntur *infamantes* (inhonestae ,

quae originem habent oratorum delictum vel in eorum infama tione nituntur; aliae *non infamantes* (honestae), quae neque delicti neque infamationis notam habent.

Is, cui dispensationis executio committitur, necessario debet, antequam dispenset, de causis cognoscere easque verificare (n. 685, 738, 745, 748); circa quaenam autem haec verificatio versari debeat, ex singularum causarum requisitis innotescit; reliqua verificationem concernentia locis modo citatis et c. 32 ac 33 indicabuntur.

§ 1. *Angustia loci.*

651. Haec causa (1) non infamans existit quando propter loci originis vel domicilii angustiam non potest ibi femina invenire virum paris conditionis cui nubat, et idcirco desiderat consanguineo vel affini nubere, ne aut innupta manere aut extra proprium locum nubere aut disparis conditionis ex proprio loco virum habere cogatur. In hac itaque causa admittenda partim considerat Ecclesia feminis inditum a natura pudorem, distantiam a familia iisdem ordinarie gravem, et disparium matrimoniorum incommoda, ex altera vero parte non vult feminam coacte manere innuptam. S. Congr. de P. F. in Instr. super dispensa-

(1) De ea cf. Corrad. l. 7, c. 2, n. 6 sqq., c. 5, n. 34, sqq., de Justis, l. 1, c. 6, n. 125 sqq., l. 3, c. 2, Reiff. n. 76 sqq. App. de disp., canonistae passim ad tit. *De matr. contracto contra interd. Eccl.*, Kugler, t. 2, part. 4, n. 288-296, 300, 403, 415, 484 sq. et q. 52 ex iis quae sunt ad calcem, Bangen, tit. 2, p. 179 sqq. coll. p. 268, tr. Mechl. n. 96, Ferrari t. 2, n. 417, Caillaud, ed. 4, n. 17-27, 230 sq. 259, 267 sub 4°, Planchard, *Disp. matr.* n. 52 sqq., 160 sqq., 240 sq., van de Burgt, *De disp.* n. 32, Gury et Baller. t. 2, n. 866, Giovine, t. 1, p. 372 sq., t. 2, p. 12, 206 sqq., secr. S. C. C. in una *Dubia circa facultates dispensandi ab impedimentis matrimonialibus* 28 junii 1873 (*Acta S. Sedis* t. 7, p. 426), S. C. C. in *Ovcten. Dubia circa dispensationes matrimoniales quoad angustiam loci* 8 jul. 16 dec. 1876 (Ib. t. 9, p. 571 sqq. coll. p. 631, *Nouv. rev. th.* t. 9, p. 23 sqq.).

tionibus matrimonialibus 9 maii 1877 (1) hanc causam sic exprimit : « *Angustia loci* sive absoluta sive relativa (ratione tantum Oratricis), cum scil. in loco originis, vel etiam domicilii cognatio feminae ita sit propagata, ut alium paris conditionis, cui nubat, invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem, patriam vero deserere sit ei durum. » Haec causa canonica valet etiamsi femina domicilium alio sit translatura (2), sed non valet pro viro.

Locus, ob cujus angustiam dispensatio peti potest, imprimis est locus originis, isque semper intelligitur quoties non dicitur agi de solo loco habitationis. Quando vir non est ex eodem loco oriundus, omnino hoc addatur, ne contrarium reperiatur expressum in literis dispensationis. Harum enim tenor, nisi in libello supplici perspicue locus indicetur, difficultatem facere potest. Ex diversi tenoris exempla : « Quod, cum dicta oratrix in dicto loco, propter illius angustiam, virum sibi non consanguineum vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, cupiunt oratores matrimonialiter invicem copulari. Sed quia, » cet. Vel : « Quod, cum dicta oratrix in loco ex quo [*vel* unde] ipsa et praedictus orator orti sunt propter illius loci angustiam virum paris conditionis invenire nequeat ; » vel alia hujusmodi verba.

Alter locus, cujus angustia sufficit, est locus domicilii seu habitationis oratricis, sed diserta ejus mentio necessaria est, ne, juxta modo dicta, a dispensante intelligendus sit locus originis (3). Si igitur locus habitationis differat a loco originis, hoc omnino exprimatur, addito praesertim an parentes quoque locum originis oratricis reliquerint, et utrum alteruter tantum an vero uterque locus sit angustus ; secus enim uterque angustus reputabitur a

(1) Ap. *Acta S. Sedis* t. 10, p. 291 sqq., *Nouv. rev. th.* t. 10, p. 24 sqq.

(2) Cf. Gury et Baller. t. 2, n. 866.

(3) Si tamen adhibita fuerit vox *degentis*, intelligitur actuale domicilium seu habitatio, juxta S. Poenit. 6 dec. 1880 : « In casu de quo agitur, sufficit verificatio angustiae loci actualis domicilii ; » ap. Planchard, p. 70 not.

dispensante, et difficultas ex tenore dispensationis orietur. Utriusque autem loci existente angustia, favorabilior haec causa est, et dici solet *angustia locorum*, atque ita in dispensatione exprimi : « Quod, cum dicta oratrix in dictis locis, etiam de uno ad alium se transferendo, propter illorum angustiam, virum sibi non consanguineum, » cet.

Necessaria quidem non est viri in eodem loco habitatio; si tamen alibi is habitet, hoc quoque exprimatur, ne in dispensationis tenore ponatur contrarium.

Ut propter angustiam loci habitationis seu domicilii petatur dispensatio, manifesto requiritur ut oratrix notabili tempore in eo jam habitaverit; opportune etiam exprimitur sitne habitatio domicilii an vero quasidomicilii, ne ulla ex voce « domicilium » in dispensatione occurrente dubietas possit oriri. Ut autem domicilium, ita praesertim quasidomicilium ad hanc causam allegandam non sufficit, nisi notabilis et satis firma habitatio sit; imo solum quasidomicilium pro hac causa adducenda profecto non sufficit, si oratrix alibi per modum domicilii habitet. Si autem jure quidem habeat alibi domicilium, ubi tamen de facto non habitat, allegari posse quasidomicilii angustiam existimamus, non tamen omissa illius domicilii mentione.

In Datariae dispensationibus, nisi in libello supplici perspicue omnia exprimantur, facile mentio erit tam utriusque loci, originis et domicilii, quam originis et domicilii oratoris.

Rursum autem favorabilior haec causa est quando simul allegatur circumstantia connexa cum causa in § 2 exponenda. Quo casu dici solet *angustia loci cum clausula Et si extra*, et in dispensationis tenore sequenti modo legitur expressa : « Quod, cum dicta mulier in dicto loco, propter illius angustiam, virum paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, et si extra dictum locum nubere cogeretur, dos, quam ipsa habet, non esset competens, neque sufficiens, ut cum ea virum, cui juxta status sui conditionem nubere posset, invenire valeret, » cet. Imo ex-

pressio nobilitatis efficit necessariam non esse clausulam *Et si extra*, ut major ille favor habeatur.

652. Angustia loci allegari nequit pro civitatibus, iis nempe quae sensu canonico ita dicuntur seu quae habent episcopum et sunt caput dioecesis; neque pro earum suburbiis, utpote ad civitatem pertinentibus, nisi circiter milliari italico seu tertia parte leucae nostrae, viginti nempe momentis, a civitate distent. Allegari tamen potest pro iis civitatibus quae non excedunt tercentum focularia; de qua re fidem facere Ordinarius debet. Hinc regula generalis traditur, angustiam loci existere pro quocumque loco non continente ultra tercentum focularia seu, juxta calculum communem, non ultra 1500 incolas. Numerus iste computatur attentis imprimis omnibus catholicis cujusvis aetatis aut sexus, etiam impiis vel incredulis. Horum quidem ratio habetur ad efformandum judicium de viris paris conditionis, non vero ad determinandam ex numero incolarum angustiam loci. Infideles, haereticos, schismaticos non comprehendi valde probabile est et a variis auctoribus traditur; alii tamen dubitant et in contrariam partem inclinant (1); praestat igitur mentionem eorum facere in libello supplici. Pro locis vero tercentum focularia vel 1500 incolas excedentibus causa canonica angustiae loci non existit; quod expresse etiam declaravit Pius IX (2). Si igitur pro locis amplioribus, non obstante hac de incolarum numero regula, propter altiores feminae qualitates, puta nobilitatem, et exiguum ejusdem conditionis virorum in loco numerum, credatur petenda dispensatio, non potest simpliciter allegari angustia loci; sed, praeter oratricis qualitatem altiorem, exprimere oportet, saltem approximative, numerum virorum ejusdem qualitatis in loco existentium. Praesertim etiam memoretur circumstantia cognationis in loco valde propagatae, quum ea incolarum numerum quoad

(1) Planchard, n. 53, *Nouv. rev. th.* t. 9, p. 22.

(2) In litt. per card. Pro-Datarium datis 30 aug. 1847, ap. Giovine t. 1, p. 373, t. 2, p. 207 (ubi assignat diem 6 sept.).

nuptiarum electionem valde restringat, et aliorum paris conditionis virorum numerum minuat.

Porro locus non praecise debet esse parochia vel civilis communitas, sed sufficit vicus seu agglomeratio habitantium, uno saltem milliari italico seu tertia leucae nostrae parte ab aliis distantium. S. C. C. in cit. *Oveten.* 16 dec. 1876 resolvit : « Angustiam loci non esse desumendam a numero focorum cujusque paroeciae, sed a numero focorum cujusque loci vel etiam plurium locorum, si non distent ad invicem ultra milliare; in reliquis provisum (1). »

653. Conditionis disparitas, propter quam mulieri tam angustus locus est, ut alium quam consanguineum vel affinem invenire nequeat, ex multiplici capite desumitur. Expedit enim matrimonium contrahi inter pares aetate, opibus, statu, educatione, moribus, genio, mente religiosa, cet. Sufficit itaque hujusmodi aliqua notabilis disparitas ut angustia loci allegetur; si de disparitatis specie dubitetur, exponatur in libello supplici. Verumtamen propter necessariam hanc conditionis disparitatem debet esse femina ex honesta familia, cui nempe nulla turpitudinis nota adhaereat; si vero infamiae aliqua ratio existeret, foret hoc exprimendum in libello supplici. Dummodo autem honestas ita intellecta non deficiat, non pro divitibus tantum sed pro pauperibus quoque et inferioris conditionis feminis angustia loci existere potest. Verificabitur honestas oratorum et familiae si constiterit eos honeste vivere, eorumque familias nullo turpitudinis vitio laborare. Quodsi in libello supplici dictum fuerit oratores esse nobiles vel ex principalibus aut principalioribus loci incolis, ita verificandum hoc est ut dicetur § 7, c. 32 § 3 sub 4°, c. 34 § 2.

Quod propter angustiam loci virum paris conditionis mulier *invenire nequeat,* id quoque recte intelligatur necesse est. « Non... tenetur ipsa oratrix per se sibi virum quaerere, cum id non pa-

(1) Ap. *Nouv. rev. th.* l. c. p 32. Causa haec ibi accuratius refertur.

tiantur illius pudor, et honestas; et sic licet in quibuscumque casibus, et dispensationibus apposita sint supradicta verba, sufficit tamen quod in verificatione narratorum, testes deponant, quod non inveniatur, vel non adsit vir, qui velit Oratricem in uxorem ducere : et hic est communis usus (1). » Nullatenus etiam requiritur ut in locis vicinis invenire alium nequeat (2).

Moraliter, ut aiunt, intelligi verba illa debent. Imprimis quidem sufficit feminam jamdiu attigisse aetatem nubilem, et nondum habuisse occasionem opportunam, acceptabilem, ineundi nuptias cum viro paris conditionis ex eodem loco. Neque impeditur haec causa si ex alio loco virum paris conditionis habere queat, vel antea occasionem nubendi in proprio loco habuerit, sed legitimo seu rationabili motivo ducta eam tunc recusaverit, imo si recusaverit quia nondum ei erat nubendi voluntas, praesertim si jam inde a notabili tempore nova nuptiarum propositio ei facta non fuerit. Si vero ex sola animi levitate paris conditionis ex proprio loco virum olim, et praesertim saepius, recusaverit, sed nunc occasio desit, non impeditur causa, imo non est inquirendum in motivum, propter quod olim recusaverit; si tamen aliunde constet nimia in recusando levitas, praestat hanc circumstantiam in libello supplici exprimere. Praecipuum est quod nunc occasio desit, unde, quod spectat ad verificationem, « si testes deponant, eo in loco, morali hominum existimatione, alios non dijudicari paris conditionis oratricis, nisi ejusdem consanguineos seu affines; id sufficit, ut inferatur, oratricem alium virum paris conditionis non consanguineum vel affinem reipsa non invenisse (3). » At si nunc paris conditionis vir ex proprio loco ei nuptias offerat, angustia loci simpliciter allegari nequit; sed in

(1) Conrad. l. 7, c. 5, n. 58. Cf. S. Poenit. 1 jul. 1859, ap. Caillaud ed. 4, n. 259.

(2) Vid. S. C. C. 28 nov. 1570, ap. Conrad. l. 7, c. 5, n. 38, Giovine, t. 2, p. 210, n. 14, p. 212, n. 6, *Nouv. rev. th.* t. 9, p. 14.

(3) Giovine, t. 2, p. 209.

libello supplici est haec circumstantia exprimenda. Sedes autem Ap. facile dispensabit, ne nuptiarum electio nimis coarctetur, ex. gr. quando erga virum illum sponsa non est bene affecta, vel quando unus tantum alterve paris conditionis vir se offert.

654. Olim propter solam angustiam loci non dispensabatur nisi in gradibus tertio et quarto; propinquiores vero, ex. gr. secundus vel tertius attingens secundum, postulabant angustiam loci cum clausula *Et si extra* vel cum nobilitate loco hujus clausulae (n. 651), vel cum alia causa concurrente. Hodie sola angustia loci passim admittitur etiam pro secundo. Quum autem ex qualitatibus familiae et personae multum pendeat angustia loci, ad eas maxime attendendum est.

Cum angustia loci similitudinem habet, cum ea tamen confundenda non est causa loci qui est *ad littus maris* et difficilis accessus, propter continuas piratarum vel hostium Religionis christianae incursiones (1).

§ 2. *Defectus vel incompetentia dotis.*

655. Ne femina aut nullam aut insufficientem dotem habens cogatur manere innupta vel disparis conditionis viro nubere, Ecclesia dispensat ut in virum habeat eum, cum quo est impedimento ligata, si propter dotis defectum vel, spectata sua conditione, insufficientiam virum aequalis conditionis invenire nequeat (2). Ex quo patet hujus causae finem non esse eum, ut

(1) Cf. Conrad. l. 7, c. 2, d. 94, de Justis, l. 3, c. 9, Reiff. cit. App. n. 96, Kugler, t. 2, part. 4, n. 291, 420, Giovine, t. 1, p. 373, t. 2, p. 210 sq.

(2) De defectu vel incompetentia dotis scribunt Conrad. l. 7, c. 2, n. 21 sqq., de Justis, l. 3, c. 3, Reiff. l. c. n. 81 sqq., canonistae passim ad tit. *De matr. contracto contra interd. Eccl.*, Kugler. t. 2, part. 4, n. 297-307, 419. et q. 53 ex iis quae sunt ad calcem. Bangen. tit. 2, p. 181 sqq. coll. 198, 206, 268, Caillaud, ed. 4, n. 31 sqq. 267 sub 2°, Planchard, n. 56 sqq., Giovine, t. 1, p. 373 sq., t. 2, p. 12 sq. 25, 211 sqq., secret. S.

oratores propter paupertatem a solita taxa solvenda sint liberi; ob solam dotis incompetentiam vel defectum non datur dispensatio in forma pauperum (c. 32 § 2). Infertur etiam non sufficere majus lucrum, et pro insufficienti haberi non posse eam dotem, quae sufficit habendo viro aequalis conditionis, sed tantum est incompetens spectatis divitiis et potentia illius cum quo impedimentum existit. Causam hanc sic exprimit cit. Instr. S. C. de P. F. a. 1877 : « *Deficientia aut incompetentia dotis,* si nempe femina non habeat actu tantam dotem, ut extraneo aequalis conditionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quae causa magis urget, si mulier penitus indotata existat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere, aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit. »

656. De verbis *invenire nequeat* dicito ut n. 653. Hic quoque circumstantiae moraliter accipi debent; sufficit etiam ut quoad ipsius loci viros causa haec adsit, eaque non impeditur, licet extra locum aequalis conditionis virum mulier possit habere; vid. S. C. C. 28 nov. 1570 (sup. p. 612 not. 2), et cit. Instr. S. C. de P. F. a. 1877. Imo haec causa non impeditur, si unus quidem alterve vel pauci ibi sint, quibus absque ampliori dote nubere possit, commodum tamen id non sit vel nuptiarum electionem nimis coarctatam tunc habeat; sed hujusmodi circumstantia est in libello supplici memoranda (n. 653 in fine). Fieri etiam potest sufficientem quidem esse dotem spectata familia oratricis, sed hujus ipsius consideratis qualitatibus, quod ex. gr. sit deformis, rixosa, diffamata, revera esse insufficientem. Ad paritatem conditionis et qualitates in hac quoque causa est attendendum (1).

657. Quid si mulier nunc quidem aut nullam aut insufficien-

C. C. in cit. *Dubia* a. 1873 (n. 651). Immerito hanc causam ut canonicam nonnulli admittunt pro viro; e contra vid. cit. Instr. S. C. de P. F. a. 1877, et cf. *Nouv. rev. th.* t. 10, p. 27.

(1) Cf. n. 653, Giovine, t. 2, p. 212, n. 5.

tem dotem, sufficientis tamen habendae spem possideat? Spes nullum juris titulum praebens adeo firmum, ut vere jam dici queat bona possideri, causam de qua agimus non excludit; ex. gr. spes quam facit promissio, institutio testamentaria, et generatim successio hereditaria quae expectatur ab aliis quam propriis genitoribus. Quapropter allegari causa poterit, etiamsi frater vel alius quivis dotare intendat, et firma quidem spes sit, nullum tamen pactum dotandi lege validum intercesserit, mulieri tribuens jus quaesitum irrevocabile, titulum juris, quo compellere ad dotem constituendam possit. Cit. Instr. S. C. de P. F. a. 1877 dicit : « non habeat actu. » Liquet tamen abstinendum esse ab hac causa alleganda, quando certum est dotem proxime constitutum iri. Etiamsi autem dotis defectum vel incompetentiam mulier patiatur, quia hereditati vel legato realiter sibi obtingenti renuntiavit, nihilominus peti posse dispensatio videtur, ita tamen ut, si eo praecise fine renuntiaverit, ut causa haec existeret, in libello supplici id exprimatur. Atque haec quidem de renuntiatione facta ante petitam dispensationem; de facta post petitam dispensationem vid. n. 659.

Pro puella vero, cujus genitores sunt in vivis et facultatibus temporalibus praediti, invocari causa nostra nequit, nisi quando parentes dotando sibi aliisque liberis subtraherent honestae sustentationi necessaria, vel uni dotem competentem constituendo pro reliquis id facere non possunt, vel quando dotare quidem tenentur sed, ut juxta Codicis nostri civilis art. 204, compelli nequeunt (1). Verum circa hujusmodi puellae conditionem discrepant auctores; quare in libello supplici circumstantiae exponantur, ut Superioris judicio res relinquatur.

658. Causa deficientis vel incompetentis dotis diversis modis existere potest, quorum alii aliis sunt favorabiliores.

Primus et ordinarius est ille qui dicitur *propter incompeten-*

(1) Cf. Giovine, t. 2, p. 213, n. 7-9.

tiam dotis, qua non obstante is cum quo impedimentum existit oratricem in uxorem ducere paratus est. In dispensationis literis ex stylo Curiae ita exprimi solet : « Quod, cum dicta oratrix dotem habeat minus competentem, juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum, vel affinem, paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, et orator illam cum dicta minus competenti dote in uxorem ducere intendat, cupiunt invicem matrimonialiter copulari, » cet.

Secundus est qui dicitur *propter dotem cum augmento*, quando nempe sive ipse orator sive alius (1) dotem insufficientem vult augere. Pro duplici hac hypothesi stylus Curiae eum solet in dispensationis literis ita exprimere, ut post verba « invenire nequeat » dicatur : « Et dictus orator illam cum dicta minus competenti dote in uxorem ducere, illiusque dotem usque ad quantitatem, secundum ipsius oratricis qualitatem, competenter augere intendat, » cet. Vel : « Et quidam oratorum consanguineus, ad id alias non obligatus, oratricis dotem, ita tamen ut oratori nubat, et non alias, usque ad quantitatem, secundum ejusdem oratricis qualitatem, competenter augere, dictusque orator illam cum dicta minus competenti dote, et illius augmento, in uxorem ducere intendat, » cet. Additur autem in utroque casu clausula : « Et postquam dictae oratricis dos competenter aucta fuerit, ut praefertur, » cet.

Tertius modus est *pro indotata*, quando nullam oratrix dotem habet et orator eam ex integro dotare est paratus; quod stylus Curiae ita exprimit in literis dispensationis : « Quod, cum dicta oratrix indotata existat, et dictus orator illam sic indotatam in uxorem ducere, ac usque ad quantitatem, secundum dictae oratricis qualitatem, competenter ex integro dotare intendat, » cet. Additur autem clausula : « Et si, ac postquam dicta oratrix ex integro dotata fuerit, ut praefertur, » cet.

(1) Quando alius quam orator dotem vult augere, vocari passim solet haec causa *Quando alius auget dotem*, sed utrumque casum putamus sub appellatione *propter dotem cum augmento* posse comprehendi.

Quartus modus est *propter dotem litibus involutam,* licet de se competentem, vel *propter lites super successione bonorum.* In priori casu dispensatio ita habet : « Quod, cum dicta oratrix dotem habeat litibus involutam, et dictus orator, qui ad eam prosequendam habilis existit, illam in uxorem ducere litesque hujusmodi in se suscipere intendat, » cet. In posteriori : « Quod, cum dicta oratrix gravem litem super successione bonorum magni momenti sustineat, et ne ob defectum viri qui litem hujusmodi prosequatur et defendat, ipsam liti hujusmodi succumbere contingat : dictusque orator illam in uxorem ducere, litemque hujusmodi in se suscipere, defendere, ac propriis expensis prosequi intendat, » cet. In cit. Instr. S. C. de P. F. a. 1877 tamquam causae finales a deficientia aut incompetentia dotis distinctae efferuntur : « *Lites super successione bonorum jam exortae,* vel *earumdem grave* aut *imminens periculum.* Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti substineat, neque adest alius, qui litem hujusmodi in se suscipiat, propriisque expensis prosequatur, praeter illum qui ipsam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet; interest enim Reipublicae, ut lites extinguantur. Huic proxime accedit alia causa, scil. *Dos litibus involuta,* cum nimirum mulier alio est destituta viro, cujus ope bona sua recuperare valeat. Verum hujusmodi causa nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit. »

659. Conditiones adhibendis singulis hisce modis necessarias eorum tenor ipse indicat, easque verificare omnino debet delegatus priusquam dispensationem sibi commissam exequatur; ex. gr. eum, qui dotem vel ejus augmentum promittit, posse promissa implere, tertium, qui promittit, non esse aliunde ad rem praestandam obligatum, oratorem esse liti sustinendae habilem propter peritiam aliamve causam, et, nisi cum ipso contrahatur matrimonium, oratrici difficile subveniri, litem verti de bonis quae, spectatis oratricis facultatibus et qualitatibus, sunt magni momenti. Haec omnia aliaque supra indicata verificare ante dis-

pensationis executionem tenetur delegatus, et praeterea ante hanc curare dotis sive integrae sive auctae modo stabili solutionem. Pro valore tamen dispensationis non refert utrum ipse orator, an vero alius, aliunde tamen non obligatus, solvat, etiamsi libellus supplex dixerit oratorem id facturum. Juxta Corradum (1) invalida est dispensatio si reperiatur mulierem habere dotem insufficientem, et se dixerit prorsus sine dote, vel vice versa; de Justis (2) dicit valere, si dolus non adfuerit; Giovine (3) indubitanter affirmat esse validam dispensationem si se dixerit sine dote et reperiatur habere dotem insufficientem. In casu quidem arduo hunc sequerer, sed extra eum opinor cum de Justis. Invalida quoque dici solet dispensatio, si fulminata fuerit absque praevia executione clausulae : « Si, ac postquam dicta oratrix ex integro dotata fuerit, » vel « Postquam dictae oratricis dos competenter aucta fuerit; » has enim clausulas strictam importare conditionem (4). Sunt tamen (5) qui praeceptum tantum eas importare docent, cujus inobservantia illicitum quidem reddat actum, minime vero invalidum; sed ex ea, qua nituntur, S. C. C. resolutione in *Neapolitana Matr.* 4 jul. 1722 id non videtur necessario deduci (6). Quodsi demum delegatus reperiat, oratricem post petitam dispensationem acquisivisse dotem sufficientem, valide exe-

(1) L. 7, c. 2, n. 50 sq.

(2) L. 3, c. 3, n. 20.

(3) T. 2, p. 214, n. 12; citat S. C. C. in *Praten. Matr.* 4 jul. 1722, cujus tamen hunc sensum esse non constat; eam vid. ap. de Justis, casu 25 in fine operis, et cum ea cf. mox citandam *Neapolitanam Matr.* ejusdem diei et anni.

(4) Cf. Corrad. l. c. n. 38, de Justis l. c. n. 11 sq. 17, 19. « Discrimen tamen explicant intercedens inter verba : augere usque ad quantitatem competentem, » et « competenter augere, » ita ut prior importet integram quantitatem qua dos fiat sufficiens, posterior vero augmentum alicujus momenti, habito respectu ad qualitatem oratricis; cf. Corrad. n. 39, 44, de Justis n. 15 sq.

(5) Cf. Kutschker, t. 5, p. 118, Giovine, t. 2, p. 216 sq., n. 18 sq.

(6) Eam vid. ap. de Justis, casu 26 in fine operis.

qui nequit, quamquam valere dicendum est matrimonium si tempore celebrationis acquisitio illa ignorabatur. De casu quo oratrix ipsa, post petitam dispensationem (1), hereditati vel legato realiter sibi obtingenti renuntiavit, diversa sentiunt auctores (2). Communior videtur esse opinio, dispensationem non posse executioni mandari, si oratrix renuntiaverit eo praecise fine, ne frustraretur dispensatione, posse vero si ob alium finem. Valde tamen se commendat doctrina eorum, qui tuentur fieri posse executionem; licet enim causa sit voluntaria, nihilominus amplius non pendet ab oratricis voluntate (§ 14 init.); praeterea cessavit tantum tempore intermedio inter mandatum Sedis Ap. et executionem, sed utroque hoc momento existit; ejusmodi autem cessatio non nocet (n. 727 sub 4°). An aliud sit dicendum si renuntiatio facta fuerit post petitam dispensationem, sed ante mandatum Pontificis, id pendet ex dicendis n. 727 sub 2°.

660. Juxta Corrad., de Justis, Giovine, alios, ob solam hanc causam primo vel quarto modo existentem dispensari non solet nisi in gradu quarto sive aequali sive mixto cum tertio, secundo autem vel tertio modo existens admittitur etiam pro gradu tertio sive aequali sive mixto cum secundo consanguinitatis vel affinitatis, primo honestatis publicae, compaternitate, tertio demum modo existens admittitur etiam in secundo aequali vel mixto cum primo, praesertim pro nobilibus. Eadem de re haec scribit Bangen, tit. 2, p. 183 sq. : « Propter dotis incompetentiam, si alia non concurrit causa, dispensari solet in gradibus remotioribus tantum, puta in quarto consanguinitatis et affinitatis, uti canonistae tradunt. Attamen juxta praxim nostram ob eandem causam dispensatio etiam concedi solet super quarto attingente tertium, imo super tertio aequali, dummodo dos vel nulla adsit, vel nimis exigua, et oratrix aliis auxiliis destituta solum ex eo, quod inten-

(1) De renuntiatione antea facta vid. n. 657.

(2) Cf. Corrad. l. c. n. 25 sq., de Justis, l. c. n. 59 sqq., Kugler, q. 45 ex iis quae sunt ad calcem, Carr. t. 1, n. 1118.

dit, matrimonio spem habeat sese decenter enutriendi : imprimis cum agitur de hominibus ruricolis, qui plerumque non tam amore, quam spe fortunae ad ineundas nuptias ducuntur. Quoties vero accedit, quod dos aut ab oratore, aut ab alio augeatur; ex causis... [secundo et tertio modo constitutis] dispensatio impetrari solet super tertio aequali, nec non super tertio attingente secundum, et super impedimento publicae honestatis. Imo si pro muliere penitus indotata aliae etiam causae concurrunt, v. gr. angustia loci et simul aetas superadulta, tum non semel dispensatio concessa est super secundo gradu aequali, imprimis super secundo affinitatis. » S. C.-de P. F. cit. Instr. a. 1877 quartum modum dispescit in duas partes, et de sola causa *Dos litibus involuta* dicit : « Verum hujusmodi causa nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit. » Satis igitur insinuat se primum, secundum, tertium modum, et quarti modi a se indicatam priorem causam non excludere, etiamsi non sit gradûs remotior, scil. tertius vel quartus, sed propinquior, puta secundus.

Quae de defectu vel incompetentia dotis dicta fuerunt, ea regimen, ut vocant, dotale potissime respiciunt; opinamur autem majori favori, quem haec causa meretur quando fit augmentum dotis vel integra dotatio, facile etiam esse locum quando vir locupletioris fortunae vult mulierem, pro qua ceteroqui allegari haec causa possit, ducere in uxorem sub regimine communitatis bonorum; quae tamen circumstantia in libello supplici exprimatur.

§ 3. *Bonum pacis.*

661. Quum maximi, imo publici boni sit cessatio litium et inimicitiarum et pax familiarum, propter bonum pacis dispensatio conceditur (1). Hanc causam sic exprimit cit. Instr. S. C.

(1) De hac causa scribunt Corrad. l. 7, c. 2, n. 62 sqq. 93, de Justis, l. 3, c. 4-6, Reiff. cit. App. n. 72 sqq., canonistae passim ad tit. *De matr. contracto contra interd. Eccl.*, Kugler, t. 2, part. 4, n. 278-280, 422,

de P. F. a. 1877 : « *Bonum pacis,* quo nomine veniunt nedum foedera inter regna, et principes, sed etiam extinctio gravium inimicitiarum, rixarum, et odiorum civilium. Haec causa adducitur vel ad extinguendas graves inimicitias, quae inter contrahentium consanguineos vel affines ortae sint, quaeque matrimonii celebratione omnino componerentur; vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiae graves viguerint, et, licet pax inter ipsos inita jam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem maxime conduceret. »

Ac primo quidem *propter lites* stylus Curiae eam causam ita exprimit : « Quod, cum inter dictos oratores seu eorum parentes, consanguineos, vel affines, graves lites et controversiae, super rebus magni momenti, ortae jam sint, et ad praesens vigeant, aliunde tamen, quam ex causa matrimonii, inter dictos oratores contrahendi, provenientes, et ante illius tractatum exortae, certumque sit quod si oratores ipsi invicem matrimonialiter copularentur, lites et controversiae hujusmodi omnino componerentur, pro illis igitur componendis, et pro bono pacis, cupiunt invicem matrimonialiter copulari, » cet. Additur clausula : « Facta prius litium hujusmodi hinc inde cessione, seu compositione. »

Sive inter ipsos oratores sive inter eorum consanguineos et affines lites existant, causa haec admittitur, dummodo tamen sint graves et de rebus magni momenti, juxta exequentis prudens arbitrium, nec solum metuendae (1) sed jam exortae, aliunde tamen quam ex causa matrimonii inter oratores contrahendi; si enim hoc ipsum litibus causam praeberet, retraheretur potius Pontifex a dispensando. Ortae esse debent antequam de matrimonio inter oratores contrahendo tractaretur, non studiose ad hunc finem quaesitae, adhuc non compositae, certo autem per hocce matrimonium componendae. Delegatus exequi dispensationem nequit

Caillaud, ed. 4, n. 38, Bangen, tit. 2, p. 185 sq., Giovine, t. 1, p. 370 sq. 375, t. 2, p. 11 sq., 222 sqq., Planchard, n. 59 sq.

(1) Vid. rescr. a. 1837, ap. Caillaud, n. 38.

nisi ea omnia fuerint verificata, et litium compositio locum habuerit vel certo habitura sit. Interdum haec causa vocatur *extinctio magnae litis*.

Secundo *propter inimicitias* : « Quod, cum inter oratorum parentes, et consanguineos, vel affines, graves inimicitiae ortae jam sint, et de praesenti vigeant, aliunde tamen, quam ex causa matrimonii inter eos contrahendi, provenientes, et ante illius tractatum exortae, certumque sit, quod si oratores ipsi invicem matrimonialiter copularentur, inimicitiae hujusmodi omnino componerentur, pro illis igitur componendis, ac pro bono pacis, cupiunt oratores praedicti invicem matrimonialiter copulari, » cet. Conditiones a delegato verificandas iste tenor indicat, neque executioni mandabitur dispensatio nisi sopitis vel certo sopiendis inimicitiis, de quarum praeterea gravitate seu qualitate et causis delegatus judicabit ex circumstantiis personarum, ut videat an tales sint quales Pontifici narratae fuerunt.

Tertio *pro confirmatione pacis* dispensatur, ut, pace licet inita, animorum sedatio sit securior, ac suspiciones aliique recens sopitarum inimicitiarum effectus melius avertantur. In stylo Curiae ita effertur : « Quod, cum inter oratorem ipsum, et oratricem, necnon parentes, consanguineos, vel affines eorum, graves inimicitiae viguerint, aliunde tamen, quam ex causa matrimonii inter eos contrahendi exortae, et licet inter eos pax de recenti inita fuerit, nihilominus pro illius confirmatione cupiunt oratores praedicti invicem matrimonialiter copulari, » cet. Conditiones verificandas ipsa haec verba indicant.

662. Juxta Corradum aliosque propter bonum pacis uno e tribus supra dictis modis existens per se non dispensatur nisi in gradibus remotioribus, in secundo vero sive aequali sive tangente primum nonnisi concurrente una ex aliis causis quae pro remotioribus gradibus sufficiunt; si vero praeter modum graves lites vel inimicitiae sint, praesertim cum periculo vitae (1), etiam in

(1) Sed de periculo vitae vid inf. n. 679 vs. *Citari*.

secundo tangente primum. Bangen, tit. 2, p. 186, scribit propter singulas ex tribus supra indicatis hypothesibus in gradibus etiam propinquioribus dispensari, « puta super secundo aequali consanguinitatis, ac super primo affinitatis; imo si causae canonicae alias pro remotioribus gradibus tantum sufficientes concurrant, etiam super secundo consanguinitatis attingente primum. » Idem fere Knopp, p. 455. Propinquioribus dispensandis multo magis haec causa sufficit, quando agitur de familiis quarum pax publico etiam bono prospicit.

§ 4. *Vidua filiis gravata.*

663. Per causam hanc (1), quae existit pro vidua ex legitimo matrimonio prolem habente nondum adultam nec rebus gerendis aptam, tum matri tum proli succurritur, ut et illa sublevetur et haec pro vitae sustentatione rectaque educatione vitricum meliorem habeat.

Stylus Curiae solet ita habere : « Quod, cum dicta oratrix vidua, et quinque [ex. gr.] filiis, ex alio viro procreatis, gravata existat, et dictus orator illam in uxorem ducere, dictosque ejus filios alere, et gubernare intendat, cupiunt, » cet. Additur clausula : « Et postquam dictus orator idonee caverit, se dictis filiis alimenta praestiturum. » Delegatus autem debet ante dispensationis executionem verificare allegata, eamque non exequi nisi postquam orator cautione idonea, id est titulo juris quo per juris remedia cogi possit, prolis oratricis alimenta seu conditionem in tuto posuerit; in quam rem rursus videtur regimen communitatis bonorum favorem aliquem habere.

Tempore Corradi ob hanc causam, non tamen ita passim, dis-

(1) De ea cfr. Corrad, l. 7, c. 2, n. 80 sq., de Justis, l. 3, c. 7, canonistae passim ad tit. *De matr. contracto contra interd. Eccl.*, Kugler, t. 2, part. 4, n. 307, 419, Bangen, tit. 2, p. 186 sqq., Caillaud, n. 34, Giovine, t. 1, p. 376, t. 2, p. 14. Causa haec canonica non existit pro viduo.

pensabatur a Sede Ap., sed non per Datariam. De Justis dicit eam esse parum in usu et non solere propter eam dispensari nisi in gradibus remotioribus. Bangen vero scribit juxta hodiernam praxim dispensari in consanguinitatis et affinitatis gradu tertio, etiam attingente secundum, si vidua sit indigens ac plures habeat liberos, qui suapte industria victum quaerere ac matrem juvare nondum valeant. Addit autem : « Attamen de moribus nostris vix contingit, ut causa illa praefatis terminis exprimatur. Plerumque enim sic formatur : *a)* oratrix gravata est liberis (enumerandi sunt cum expressione aetatis), ob quorum nutritionem atque educationem denuo matrimonium necessario inire debet ; *b)* cum vero valde sit indigens (parvum solummodo praedium rusticum possideat; difficile omnino est, ut alium, cui nubat, virum inveniat ; *c)* orator autem consanguineus (affinis) eandem nihilominus ducere intendit ; isque omnino par est, ut (vel opibus, vel manuum industria) liberos praefatos sufficienter alat atque enutriat etc. Ex causa ita formata saepius dispensatio super primo affinitatis gradu conceditur, maxime inter agrestes homines atque ruricolas, imprimis si accedat, quod orator jus habeat vel permanendi sub eodem tecto cum oratrice, vel si discedere voluerit, exigendi aliquam bonorum partem, quam tamen exsolvens oratrix nimium gravaretur. Causa ita expressa pro nostris rerum conditionibus sane frequentissima est. » Revera ordinarie concurrunt aliae circumstantiae, per quas crescit dispensandi ratio, ex. gr. quia vidua est indigens vel infirma vel junior vel orbata parentibus, vel orator prae ceteris potest rebus temporalibus oratricis providere. Quoad prolem non omittatur expressio numeri et minoris aetatis. In cit. Instr. S. C. de P. F. causa sic indicatur : « *Paupertas viduae*, quae numerosa prole sit onerata, et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduae ea tantum de causa, quod junior sit, atque in periculo incontinentiae versetur. »

§ 5. *Aetas oratricis.*

664. Haec causa (1) dici solet *propter aetatem* vel *'pro oratrice excedente vigesimum quartum annum;* admittitur autem ne femina hujusmodi coacte et cum incontinentiae periculo innupta manere debeat vel disparis conditionis viro nubere. Viduis eam non prodesse liquet ex stylo Curiae : « Quod, cum dicta oratrix vigesimum quartum annum et ultra suae aetatis agens hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit, cupiunt, » cet. Item ex cit. Instr. S. C. de P. F. a. 1877, quae haec habet : « *Aetas feminae superaduita*, si scil. 24^{um} aetatis annum jam egressa hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. Haec vero causa haud suffragatur viduae, quae ad alias nuptias convolare cupiat. »

Debet autem oratrix attigisse annum 25 seu de momento ad momentum completum habere 24; quicumque autem sit ultra eum terminum aetatis excessus, sufficit exprimere oratricem 24 annos excessisse; si tamen velit veram aetatem exprimere, favorabilius id ei erit. Sufficit etiam ut eousque vixerit innupta, licet nulla praecesserit virum inquirendi diligentia; quod enim n. 655 et 656 diximus de morali hujus rei acceptione, id multo magis hic verum est, quum ne adhibeantur quidem illa « invenire nequeat, » sed *non invenit*. Etiamsi autem ex alio loco virum paris conditionis habere olim potuerit vel nunc possit, causam hanc nihilominus vere allegare potest (2); et quoad ipsum locum non

(1) Cfr. Corrad. l. 7, c. 2, n. 82 sqq., de Justis, l. 3, c. 8, canonistae passim ad tit. *De matr. contracto contra interd. Eccl.*, Kugler, t. 2, part. 4, n. 309-312, 331, Bangen, tit 2, p. 188 sq., 198, 206, coll. p. 268, Caillaud, n. 28-30, Giovine, t. 1, p. 375 sq., t. 2, p. 13. 224 sqq., secr. S. C. C. in cit. *Dubia* a. 1873 (n. 651), Téphany n. 85, 419 sqq., Planchard, n. 55, 160 sqq.

(2) Hic quoque cf. S. C. C. 28 nov. 1570 (sup. p. 612 not. 2), et S. Poenit. 1 jul. 1859 (sup. p. 612 not. 1).

existit hic restrictio excessus tercentum foculariorum seu 1500 incolarum (n. 652), ut expresse declaravit Paulus V, illius restrictionis auctor pro causa angustiae loci.

Si vero paris conditionis ex suo loco virum habere jam potuerit sed noluerit, universim observa dicta n. 653. Nimis severe ad hanc causam verificandam requirit Bangen, ut inde ab aetate nubili oblata non fuerit occasio nubendi viro paris conditionis. Quamquam enim Corradus etiam refragatur huic causae si constet, sive ex oratrice ipsa sive aliunde, eam hucusque nubere noluisse, non tamen dicit in hoc esse iuquirendum; imo scribit : « Causa eadem tamquam pia et favorabilis, praeter assertum 24 annorum excessum, non ita rigide quoad reliqua narrata scrutanda esse videtur (l. 7, c. 2, n. 93); » et ib. paulo post de verificatione dicit, quod oratrix allegans excessum 24 annorum « ultra hujusmodi excessum aliud non tenetur probare, prout tenent etiam antiqui et practici curiales... semperque in ipsa Curia tentum extitit, ultra hujusmodi excessum, aliud non debere per oratricem probari, » in quam rem Corradus citat duo Datarii rescripta. Pro casu etiam quo absque inquisitione constet oratricem hucusque nubere noluisse, Corrado contradicit de Justis; si quod hujusmodi dubium occurrat, exprimatur in libello supplici, praesertim si eo praecise fine viro paris conditionis nubere noluisset, ut, aetate adveniente, ob hanc impetraret dispensationem ad nubendum consanguineo vel affini.

665. « Haec causa, ait Corradus, passim admittitur pro obtinenda dispensatione in quibuscunque gradibus, nec tamen sola sufficit super aliquo ex proximioribus, puta secundo, seu primo, et secundo; et eo magis admittitur, cum magis tempus effluxerit ab aetate oratricis ad contrahendum matrimonium (l. c. n. 83). » Et n. 93 : « Astruit hic insuper hujus praxis observantia, ut in petitione dispensationis super secundo, et tertio gradibus, a communi stipite provenientibus, non sufficiat una sola causa allegata, nisi aliquid illi adjiciatur : nimirum, si allegetur dotis compe-

tentis defectus, tenetur profecto oratricis dotem praedictam competenter augere; et quatenus penitus existat indotata, illam ex integro dotare. Si loci angustia, additur omnino clausula *Et si extra*. At vero secus, ubi sequentes tam piae, ac urgentes allegentur causae, scil. propter inimicitias, aut pro confirmatione pacis, tum demum excessus 24 annorum aetatis oratricis : quandoquidem, cum quaelibet ex his causis sola sufficiat, nil ultra requiritur : quinimmo minor compositio exigitur, quam in aliis primo dictis causis, ut notum est omnibus curialibus. » De Justis, l. 3, c. 8, n. 33, scribit « hanc causam admitti in omnibus gradibus non valde propinquis, nempe in secundo et tertio a communi stipite, in ipso tertio et in aliis remotioribus, quamvis etiam ex diversis, et multiplicatis stipitibus impedimenta proveniant, ut notum est, et dicit Pyrrh. Corrad. d. cap. 2. » De gradibus igitur in quibus ob hanc causam dispensatur nimis rigide scribit Bangen, tit. 2, p. 188. Juxta Caillaud, n. 30, olim sola non sufficiebat pro secundo et primo gradibus, hodie vero est ex iis quae pro omnibus gradibus solae sufficiunt. In tr. Mechl. n. 96 dicitur eam juxta Corradum olim non suffecisse solam in gradibus propinquioribus; hodie vero etiam in his admitti.

Affirmat de Justis l. c. n. 11, in remotioribus, « nempe in tertio, et quarto a communi stipite, vel in simplici quarto, sive ex uno communi, sive ex pluribus, et diversis stipitibus impedimenta proveniant, » dispensationem a Pontifice concedi etiamsi mulier solum attingat annos viginti quatuor « ut notum est, et sciunt omnes practici curiales. » At quum istud non comprehendatur sub causa canonica, quam exposuimus, sed peculiaris sit benignitatis pontificiae effectus, inter ordinarias dispensandi causas referri nequit (1).

Verificatio aetatis a delegato fieri facile potest ex libro baptizatorum vel fide baptismatis inde a parocho desumpta.

(1) Cf. *Nouv. rev. th.* t. 10, p. 26, not. 1.

§ 6. *Periculum fidei* (1).

666. Quia olim in nonnullis regionibus nova sentientes saepe non poterant sufficienter a catholicis discerni, periculum erat ne cum parte haeretica matrimonium iniretur, imo periculum fidei parti catholicae immineret. Quae quidem ratio sufficiebat relaxando impedimento inter duas partes catholicas existenti. Spectatis ejusmodi praecipuis regionibus, causa haec olim dicebatur *pro Belgis* vel *pro Germanis*. Pro his quidem in stylo Curiae ita exprimebatur : « Quod, cum oratores praedicti noverint se fidei orthodoxae cultores, ac Deo dante sub obedientia sanctae Romanae Ecclesiae vivere et mori intendant, et in illis partibus non satis tutum sit, cum quibusvis personis matrimonium contrahere, ipsique oratores pares Religione existant, cupiunt, » cet. Pro illis vero : « Quod, cum dicti oratores orthodoxae fidei cultores existant, ac Deo dante sub obedientia sanctae Romanae Ecclesiae vivere et mori intendant, et in illis partibus, in quibus multi adsunt haeretici, non possint animos singulorum explorare, et qui catholicam Religionem vere profitentur internoscere, ac propterea, ne contingat eos cum haereticis matrimonium contrahere, cupiunt » cet.

Quum haeretici jam sint noti et separati a catholicis, haec causa non potest hodie allegari ut olim, sed necesse est propter circumstantias particulares vere existat in individuo casu periculum fidei vel matrimonii mixti ineundi. Commune periculum, ex majori acatholicorum alicubi numero exsurgens, causae quidem impulsivae locum habere posset, sed causa finalis peculiare periculum postulat.

(1) Cf. n. 567, Corrad. l. 7, c. 2, n. 95 sqq., de Justis, l. 3, c. 10 sq., canonistae passim ad tit. *De matr. contracto contra interd. Eccl.*, Bangen, tit. 2, p. 189, 195 sq., Caillaud, n. 36 sq., Giovine, t. 1, p. 376 sq., t. 2, p. 14 sq., 211.

Si autem hoc ex sola perversa personae voluntate oriatur, et nihilominus videatur petenda dispensatio, haec erit peculiaris benignitatis pontificiae effectus. Utraque vero parte pervicacibus defectionis a fide vel matrimonii mixti minis ad dispensationem concedendam cogere volente, recurrendum non est. Affirmat Kutschker, t. 5, p. 222, Greg. XVI constanter denegasse dispensationem iis qui minabantur se defecturos a fide nisi concederetur. Conforme id est regulae supra hic illic indicatae de non dispensando cum iis, qui uterque perversae sunt voluntatis et quorum neutrum nunc poenitet. Aliter vero dicendum est quando non ea, quam indicavimus, est prava partium voluntas ut cogant, sed ex earum debiliori fide et parum pia dispositione periculum merito est timendum; in quo tamen in supplicatione exprimendo magna prudentia opus est. At minorem in isto casu severitatem permittunt verba quibus cit. Instr. S. C. de P. F. hanc causam exprimit : « *Periculum matrimonii mixti,* vel *coram acatholico ministro celebrandi.* Quando periculum adest, quod volentes matrimonium in aliquo etiam ex majoribus gradibus contrahere, ex denegatione dispensationis ad Ministrum acatholicum accedant pro nuptiis celebrandis spreta Ecclesiae auctoritate, justa invenitur dispensandi causa; quia adest non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis, et defectionis a fide taliter agentium, et matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus, ubi haereses impune grassantur. Id docuit haec S. C. in Instr. die 17 Apr. 1820 ad Archiep. Quebecensem data. Pariter cum Vic. Ap. Bosniae postulasset utrum dispensationem elargiri posset iis catholicis, qui nullum aliud praetexunt motivum, quam vesanum amorem, et simul praevidetur, dispensatione denegata, eos coram judice infideli conjugium fore inituros, S. C. S. Off. in Fer. IV, 14 Aug. 1822, decrevit : = Respondendum Oratori, quod in exposito casu utatur facultatibus sibi in Form. II commissis, prout in Domino expedire judicaverit. = Tantumdem dicendum de periculo quod pars catholica cum acatholico matrimonium celebrare audeat. »

Quando periculum fidei vel matrimonii mixti non oritur ex ipsa dispositione oratorum, juxta Bangen, tit. 2, p. 189, « in gradibus remotioribus impetrari solet gratia dispensationis; si vero valde arduum est et aliae insuper accedunt causae licet minus graves, dispensatio etiam super proximioribus quandoque conceditur. » Quando vero periculum defectionis a fide oritur ex oratorum dispositione, juxta Knopp, p. 465, et Bangen l. c. p. 196, haec causa in gradibus etiam valde propinquis, maxime etiam in primo affinitatis, solet valere, Universe de propinquioribus gradibus vid. cit. Instr. S. C. de P. F. a. 1877.

§ 7. *Ex certis rationabilibus causis.*

667. Quando oratores causam aliam ex canonicis aut non habent aut non allegare cupiunt, interdum obtinent dispensationem allegando suam qualitatem, et generatim dicendo se ex certis rationabilibus causis animum suum moventibus cupere matrimonialiter copulari (1). Dispensatio ejusmodi dicitur *sine causa*, nempe sine aliqua ex causis specificis ordinariis; nam causa ita dispensandi habetur in bono publico Ecclesiae, quod promovetur per majorem, quam vocant, compositionem, quae a Sede Ap. in pios usus expenditur. Compositionis hujusmodi justitiam vindicabimus n. 690. Non potest tamen dispensatio ita peti a S. Poenitentiaria, neque ab episcopo, etiamsi delegatis facultatibus munito.

Exprimi debet qualitas familiae oratorum; familiarum autem diversitas in praxi Sedis Ap. observatur ut sequitur. Honesta

(1) Cf. Corrad. l. 7, c. 2, n. 111 sqq., de Justis, l. 3, c. 2, n. 114 sq. et c. 13, Reiff. cit. App. n. 98, 328 sqq., canonistae passim ad tit. *De matr. contracto contra interd. Eccl.*, Kugler, t. 2, part. 4, n. 329, coll. n. 269 sqq., 421, Caillaud, n. 41 sq., Giovine, t. 1, p. 371 sq., t. 2, p. 25 sq., 226 sqq., 230. Haec causa non memoratur in cit. Instr. S. C. de P. F. a. 1877, sed animadverte in hac, ut ipsa dicit, tantum indicari communiores potioresque causas, quae adduci solent.

familia est quae honeste vivit, nullo turpitudinis vitio laborat, non est diffamata (n. 653). Nobiles dicuntur qui nobiliter vivunt et abstinent ab iis quae populares exercere consueverunt, adeoque nobilitas universim intelligitur non tantum ea quae est generis, sed ea quoque quae ex honoribus vel rerum temporalium copia consideratur; quoties tamen nobilitas allegatur ut pars causae finalis, et non est nobilitas generis, id exprimere oportet. De nobili genere procreati dicuntur ii, quorum progenitores proprie dicta nobilitate fulgent. Ex his autem rursus sunt qui vocantur illustres, quorum genus splendet jurisdictione et imperio, ut duces, comites, cet. Principales vel ex principalibus seu principalioribus loci dicuntur qui sunt potentes et valde divites, atque ita haec appellatio fere in idem recidit cum nobilitate quae non est ex genere.

668. Delegatus non debet nec potest verificare causas illas rationabiles animum moventes eorum, qui ex hac causa dispensationem petunt (1); an et quomodo verificanda sit qualitas oratorum dicetur n. 701, 721, 738 vs. *Objecta*.

Non valde frequenter petitur dispensatio ob causam, de qua nunc agimus. Juxta Corradum autem propter eam saepius dispensatur super gradibus non ita propinquis, sed aliquantulum remotis, super propinquioribus etiam, ex gr. primo affinitatis, cum vere de nobili genere procreatis.

Dispensatio haec « ex certis rationabilibus causis » non est confundenda (2) cum ea, quam similibus verbis varii auctores enuntiant, si nempe non petatur ob causam aliquam ex canonicis

(1) Ea, quae hic dicuntur, non sunt confundenda cum diverso illo casu, quo oratores causam aliam ex canonicis allegarunt, et nihilominus Dataria hanc non repetit, sed utitur verbis « ex certis peculiaribus (rationabilibus) causis animum eorum moventibus et Nobis expositis. » An tunc causae verificatio fieri debeat notabitur numeris initio hujus numeri citatis.

(2) Confusionem hanc vid. ap. Bangen, tit. 2, p. 190 sqq., ubi nonnulla ex Corrado in hanc rem immerito citantur.

proprie dictis, sed ob plura motiva simul sumpta, quae dispensationem esse concedendam suadeant. Peti quidem ita dispensatio interdum poterit, et Sedes Ap. consequenter aliqua tunc hujusmodi locutione uti debebit; nihilominus non erit talis dispensatio, qualis proprie per locutionem illam designatur.

§ 8. *Praerogativa dignitatis regiae* vel *principalis*. — *Conservatio illustris familiae*. — *Conservatio bonorum in familia* (1).

669. Quando agitur de principibus supremis eorumque familia, propter solam hanc qualitatem seu *praerogativam regiam* vel *principalem* (2) dispensatur etiam in gradibus propinquioribus. Ob hanc tamen causam sola Sedes Ap. dispensat, numquam vero episcopus, licet delegatis facultatibus munitus; ejusmodi enim negotium propter ipsam personae qualitatem est Sedi Ap. reservatum (n. 586).

670. Quum boni publici intersit, ut familia illustris non extinguatur sed in eodem sanguine conservetur, propter *conservationem illustris familiae* (3), dummodo tamen omnino peculiares sint circumstantiae, dispensatur in propinquioribus etiam gradibus, ex. gr. secundo, sive aequali sive tangente primum, consanguinitatis vel affinitatis, imo etiam primo affinitatis. Debet tamen esse familia adeo nobilis ut inter illustres proprie dictas locum habeat (n. 667), nec inferior nobilitas pro hac causa per se sumpta sufficit. Exprimi de stylo Curiae ita solet : « Quod, cum ipsi oratores de illustri familia, videlicet N. existant, valdeque expediat, pro illius conservatione, ut oratrix oratori, et non alteri nubat, cupiunt, » cet.

(1) Hae causae non indicantur in cit. Instr. S. C. de P. F. a. 1877, sed cf. sup. p. 630 not.

(2) Cf. Trid. sess. 24, c. 5 de ref. matr., Giovine, t. 1, p. 363 sq. 368, t. 2, p. 11.

(3) Cfr. Corrad. l. 7, c. 2, n. 106 sqq., de Justis, l. 3, c. 15, canonistae passim ad tit. *De matr. contracto contra interd. Eccl.*, Kugler, t. 2, part. 4, n. 276, 421 sq., Bangen, tit. 2, p. 190, Giovine, t, 1, p. 368 sq., t. 2, p. 11.

671. Bono etiam publico inservit, ut nobiles et locupletes familiae a statu suo non decidant; quare eodem fere modo, ut propter causam praecedentem, dispensari solet ob *conservationem bonorum in familia* (1), dummodo agatur de nobilitate generis, vel (quod tamen exprimendum est) de magna nobilitate ratione honorum et opum. Causa haec potest existere sive quando linea sine masculo haerede decedens solas feminas relinquit haeredes, sive quando ad conservandam in sua nobilitate familiam nobilis instituitur haeres ea conditione, ut alicui ex familia nubat.

§ 9. *Excellentia meritorum.*

672. Singulari dignus est favore qui aut ipse aut in suis progenitoribus de publico Ecclesiae bono optime meruit; imo interdum dispensat Sedes Ap. cum aliis ad instantiam eorum, quorum excellentia in Ecclesiam merita sunt. « Multiplicis autem generis ejusmodi merita esse possunt, v. gr. liberalitas in Ecclesiam et pias causas; dimicatio contra Ecclesiae hostes; merita ex doctrina vere catholica et scriptis pro Ecclesia editis acquisita etc.; nec non merita ex operibus comparata, quae ad bonum commune conducunt (2). » In cit. Instr. S. C. de P. F. a. 1877 legitur : « *Excellentia meritorum*, cum aliquis aut contra fidei catholicae hostes dimicatione aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute, aliove modo de Religione sit optime meritus. » Magna tamen merita esse debent, eorumque species est indicanda; quo majora sunt merita, eo favorabilior causa est et in propinquiori-

(1) Cfr. Conrad. l. c. n. 100 sqq., de Justis, l. 3, c. 14, Reiff. cit. App. n. 70, canonistae passim ad tit. cit., Kugler l. c. n. 277, 421 sq., Knopp, p. 458 sq., Bangen, tit. 2, p. 198 sq., Caillaud, n. 42, Giovine, t. 1, p. 369, t. 2, p. 11.

(2) Bangen, tit. 2, p. 190. De hac causa cfr. etiam Conrad. l. 7, c. 2, n. 109 sq., de Justis, l. 3, c. 12, Reiff. cit. App. n. 71, canonistae passim ad tit. cit., Kugler l. c. n. 275, 421, Caillaud, n. 41, Giovine, t. 1, p. 369 sq., t. 2, p. 11, 228, *Nouv. rev. th.* t. 10, p. 36 sq.

bus dispensatur. Quum autem excellentia meritorum causam finalem constituat, non est ex iis dotibus universe, quae verificari non debent et per quarum falsitatem non vitiatur dispensatio, ex. gr. quando Pontifex dicit : « Vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus apud Nos fide digno commendaris testimonio, Nos inducunt. » ; cf. n. 701 vs. *Probitatis*. Sed necessaria est excellentiae meritorum verificatio, ita ut saltem per testes de hujusmodi communi existimatione vere constet. Facile in eodem casu concurrunt causae in hac et praecedenti paragrapho expositae.

§ 10. *Infamia mulieris et scandala timenda ex nimia familiaritate.*

673. Causae, quas in hac et duabus sequentibus paragraphis exponimus, solent comprehendi generali locutione « ob scandala vitanda. » Imo sunt qui scribant (1) in triplici illa hypothesi non esse nisi unicam causam finalem removendi scandala et subveniendi oratrici diffamatae, et tres ejusmodi facti species non esse nisi unicae illius causae finalis causas impulsivas. E contra existimamus debere eas haberi pro distinctis causis canonicis dispensandi, quamquam finem communem habent, idque per textum Instr. S. C. de P. F. a. 1877 firmari mox videbimus. Ac primo quidem quando inter oratores copula non intercessit, ejus tamen suspicio, ideoque oratricis diffamatio, orta est ex nimia inter eos familiaritate, dispensat S. Sedes ne mulier aut manere innupta aut disparis conditionis viro nubere cogatur. Diversimode haec causa (2) appellatur, ex. gr. « nimia familiaritas, » « infamia sine

(1) Cf. de Justis, l. 1, c. 4, n. 266, 322-329, c. 7, n. 28-30, 40, 46 sqq., Giovine, t. 2, p. 218 sqq. Is tamen ipse t. 1, p. 378 sqq. eas tamquam tres causas distinctas proponit, et insuper ib. p. 377 evitationem quoque scandali separatim exhibet.

(2) De ea scribunt Conrad. l. 7, c. 3, n. 7-12, 22, l. 8, c. 2, n. 1 sqq., de Justis, l. 1, c. 7, n. 18 sqq., l. 3, c. 17, n. 1 sqq., Reiff. cit. App.

copula, » « ob scandala vitanda. » Diffamatio ipsa affert scandali rationem, quae augeretur si non contraheretur matrimonium; interdum etiam augetur per incontinentiae vel jurgiorum seu inimicitiarum periculum; quod tamen peculiariter est exprimendum.

Debet diffamatio esse gravis et niti in suspicione copulae carnalis, quae tamen revera locum non habuit; facta autem, quibus nititur et in quibus nimia familiaritas consistit, debent esse publica et talia dici in libello supplici. In casu ipso individuo existat necesse est probabilitas vel periculum ne innupta oratrix maneat vel disparis conditionis viro nubere debeat. Omnino etiam requiritur ut nimiam familiaritatem non habuerint intentione dispensationem facilius obtinendi, quare in literis dispensationis occurrunt verba : « non quidem peccandi data opera, ut crimine admisso haec causa foret Nos et Sedem Ap. ad misericordiam et gratiam erga ipsos faciliores reddendi. » Ejusmodi igitur intentio est necessario exprimenda (1), etiamsi ab una tantum parte extiterit, dummodo vere talis fuerit intentio, et non tantum ex. gr. cogendi parentes.

Speciminis gratia sit haec petitionis ad Sedem Ap. formula : « Quod ipsi scientes se quarto consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, non quidem peccandi data opera, ut crimine admisso haec causa foret S. V. et Sedem Ap. ad misericordiam et gratiam erga ipsos faciliores reddendi [casu occurrente, fit e contra mentio hujus intentionis], insimul conversati sunt [indicatur hic publice nota conversationis qualitas], carnali tamen copula inter eos minime subsecuta : et nihilominus orta est suspicio, licet falsa, quod ipsi oratores se carnaliter cognoverint. Cum autem, Beatissime Pater, praemissa publica existant, et nisi matrimonium inter eos contrahatur, dicta oratrix graviter diffamata

n. 95, 347 sqq., canonistae passim ad tit. cit., Kugler l. c. n. 282, 284 sqq. 423, Caillaud, n. 44, Bangen, tit. 2. p. 193 sq., 197, 205 sq., Giovine, t. 1, p. 378 sq. coll. p. 377, t. 2, p. 14, 218 sq., 220 sq.

(1) Immerito ap. *Nouv. rev. th.* t. 10, p. 31, not. 3, contrarium colligitur ex silentio cit. Instr. S. C. de P. F. a. 1877.

et innupta remaneret, gravioraque exinde scandala possent verisimiliter exoriri, cupiunt propterea, » cet. Scandalorum tamen mentio haec peculiaris tunc tantum addatur, quando revera possunt timeri; ceterum mutatio hic illic in praefata supplicatione juxta casus circumstantias est facienda, ex. gr. propter consanguinitatis ignorationem.

674. Delegatus per testes verificabit publicam esse copulae suspicionem, et satis divulgatam vel divulgandam ut prudenter possit timeri, ne oratrix maneat innupta vel disparis conditionis viro nubere debeat; idem dicito de aliorum, si quae sint, scandalorum periculis; ad verificandam malitiosae intentionis absentiam sufficit emissum a partibus juramentum, nisi contraria indicia habeantur.

Regulariter haec causa infamans sola non sufficit nisi pro gradibus remotioribus; in propinquioribus tamen admittitur quando peculiaris est circumstantiarum gravitas vel alia concurrunt motiva.

De iis qui jam in eadem domo cohabitant, vide n. 675 vs. *Tam in hac* coll. n. 7 cit. Instr. S. C. de P. F. a. 1877. Haec autem sic effert diversas causas finales ad eam, quam exposuimus, pertinentes. « 7. *Nimia, suspecta, periculosa familiaritas,* nec non *cohabitatio* sub eodem tecto, quae facile impediri non possit... 9. *Infamia mulieris,* ex suspicione orta, quod illa suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa, cum nempe nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata, vel innupta remaneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur... 14. *Remotio gravium scandalorum.* »

§ 11. *Infamia mulieris et scandala timenda ex copula habita.*

675. Diversimode haec causa infamans (1) appellatur, ex. gr. « cum copula scienter, de contrahendo, » « infamia cum copula, »

(1) De ea cfr. Corrad. l. 7, c. 3, n. 1 sqq., l. 8, c. 1 sq., de Justis,

« ob scandala vitanda; » in memoriam autem revocamus ea, quae scripsimus initio n. 675. Iisdem porro motivis, quibus praecedens, causa haec nititur; quum tamen graviora hic sint, per se sola propinquioribus etiam gradibus, ex. gr. secundo, dispensandis sufficiunt. Ex motivis colligitur copulam inter oratores habitam intelligi talem, quae sit nota seu divulgata vel proxime divulganda. Conditiones requisitas manifestant eae quae in § 10 fuerunt expositae, et specimen formulae in qua a Sede Ap. dispensatio peti posset; ex. gr. : « Quod, ipsis alias scientibus se tertio consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, orator praedictus, non quidem peccandi data opera, ut crimine admisso haec causa foret S. V. et Sedem Ap. ad misericordiam et gratiam erga ipsos faciliores reddendi, sed solum vesana libidine victus, oratricem cognovit. Cum autem, Beatissime Pater, nisi matrimonium inter dictos oratores contrahatur, dicta mulier diffamata et innupta remaneret, graviaque exinde scandala possent verisimiliter exoriri, cupiunt, » cet. Praesertim notanda est intentio facilius obtinendi dispensationem, etiamsi ab una tantum parte existens, et reliqua quoque pro circumstantiarum diversitate sunt mutanda, ex. gr. si ignoraverint se esse consanguineos.

Copula habita inter ligatos consanguinitate vel affinitate peculiari nomine « incestus » dicitur; « quasi incestus » vocatur copula habita inter ligatos cognatione spirituali, cognatione legali, publica honestate (n. 708).

Gravior redditur haec causa si oratrix est impraegnata et praesertim proles jam nata; hujusmodi circumstantia in libello supplici notetur.

Quando copula non est publice nota nec praevidetur divulganda, non existit haec causa in sensu exposito, quum desint dif-

l. 1, c. 7, n. 18 sqq., l. 3. c. 17, n. 1 sqq., Reiff. cit. App. n. 94, 347 sqq., canonistae passim ad tit. cit., Kugler l. c. n. 282 sqq. 423, Caillaud, n. 43, 76 sq., Bangen, tit. 2. p. 194 sq. 205, tr. Mechl. n. 96, Giovine, t. 1, p. 378 coll. 377, t. 2, p. 13 sq. 218 sqq.

famatio et scandala; dispensatio tamen interdum obtineri poterit, ex. gr. propter ulteriora incontinentiae pericula, vel quia aliunde mulieris interest ut nubat ei cum quo copulam habuit; sed tunc non agitur de ea praecise causa canonica, quae per hujus paragraphi inscriptionem indicatur.

Tam in hac quam in praecedenti paragrapho ponitur oratores non in eadem domo habitare; secus enim separata habitatio est ante petitam dispensationem postulanda; si autem fieri nequeat vel non obtineatur, necessario id est exprimendum in libello supplici.

676. Ex iis quae praecedunt, collatis etiam dictis n. 674, innotescit quid verificandum habeat delegatus. Si copula falso fuerit exposita, allegando tamen mulieris diffamationem et scandala ob causam § 10 expositam, valere dispensationem in casu bonae fidei affirmant ii, qui sustinent agi tantum de causa impulsiva, finalem autem manere veram (1). Aliter quidem nobis persuasum est (n. 673), sed eam doctrinam practice non posse adhiberi nequaquam affirmamus. Ceterum merito scribit Giovine (2). « Constito autem, quod rem secum habuerint, cum in casu agatur de copula satis notoria, ex hoc absque dubio arguitur, veram esse causam allegatam, nimirum quod mulier graviter infamata et innupta maneret, nec alia probatione opus habet. Tantum autem dubitare quis posset de veritate causae, si cognitum sit, mulierem illam alias rem habuisse cum tertio, adeo ut diffamata et innupta mansisset, etiamsi non fuisset postmodum carnaliter cognita a consanguineo vel affine, qui eam sibi nubere

(1) Inter quos de Justis, l. 1, c. 7, n. 46 sqq., Giovine, t. 2, p. 221; cf. quae diximus initio n. 673. Notandum tamen est, praefatos auctores validitatem tantum tueri pro casu quo saltem allegata fuerit causa § 10 exposita; invaliditatem vero affirmare si, absque mulieris ob causam § 10 diffamatione, copula fuerit falso allegata, vel absque ejus circumstantiis integrantibus, tamquam causa finalis, cf. de Justis l. c. n. 56, Giovine, l. c. p. 219.

(2) Ib. p. 219.

intendit. Attamen adhuc veram esse in casu causam allegatam arbitramur, immo a nemine inficiatur; quia propter incestum istud magis magisque infamata evadit, et certius innupta maneret. » Ejusmodi tamen circumstantiam in supplicatione exprimere praestat.

In cit. S. C. de P. F. Instr. a. 1877 legitur : « 8. *Copula* cum consanguinea vel affine vel alia persona impedimento laborante praehabita, et *Praegnantia, ideoque legitimatio prolis*, ut nempe consulatur bono prolis ipsius, et honori mulieris, quae secus innupta maneret. Haec profecto una est ex urgentioribus causis, ob quam etiam plebeis dari solet dispensatio, dummodo copula patrata non fuerit sub spe facilioris dispensationis : quae circumstantia in supplicatione foret exprimenda... 14. *Remotio gravium scandalorum.* »

§ 12. *Matrimonium invalide contractum.*

677. Haec quoque causa dici solet « ob scandala vitanda, » et inter infamantes recensetur. Ejus enim etiam ratio est ut vitentur scandala et gravia incommoda ex separatione oritura, praesertim consummato jam matrimonio, maxime vero prole jam nata. Civiliter etiam contracti matrimonii circumstantia hodie multum urget, ideoque non omittatur in libello supplici; an autem necessario debeat exprimi, mox dicetur.

Favorabilior hypothesis est quando matrimonium fuit contractum ab ignorantibus impedimentum, et putativum dicitur (1). Eam S. C. de P. F. Instr. a. 1877 sic exprimit : « *Revalidatio matrimonii*, quod bona fide et publice, servata Tridentini forma, contractum est : quia ejus dissolutio vix fieri potest sine publico

(1) Cfr. Conrad. l. 7, c. 3, n. 5 sq., l. 8, c. 4, de Justis, l, 3, c. 16; Reiff. cit. App. n. 97, 157 sqq., canonistae psssim ad tit. cit., Kugler, l. c. n. 313 sqq., 423, Bangen, tit. 2, p. 196 sq., Caillaud, n. 135 sqq., Giovine, t. 1, p. 379 sq., t. 2, p. 70 sqq., 186 sqq.

scandalo, et gravi damno, praesertum foeminae, c. 7 *de consanguin.* At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Concilio Trid. sess. XXIV, cap. 5, *de Reform. matr.* » Sed 1° ad hoc requiritur ut matrimonium fuerit contractum praemissis vel saltem absque fraude dispensatis proclamationibus, et observatis solemnitatibus praescriptis, etiamsi agatur de loco ubi decretum *Tametsi* non obligat (1). Exprimendum igitur id est in supplicatione. 2° Exprimi debet utrum uterque an vero alteruter tantum bonae fidei fuerit seu ignoraverit impedimentum; in eum enim, qui malae fidei fuit, cadunt animadversiones mox indicandae ubi de matrimonio invalido scienter contracto. Bona fides hic accipitur pro credulitate probabili vel ignorantia juris aut facti excludente dolum n. 598 : hinc in hujusmodi dispensationibus adjicitur clausula « dummodo ignorantia probabilis fuerit, » quam verificabit delegatus per juramentum a partibus emittendum, nisi malae fidei indicia habeantur vel juris praesumptio sit contra oratores, ex. gr. ob copulam habitam post notum impedimentum. Si ignorantia fuerit crassa, non adeo tamen ut temeritati et praesumptioni aequivaleat, monent auctores expedire, ut oratores non allegent simpliciter suam ignorantiam, sed dicant se nec scienter nec malitiose contraxisse, vel ignorantiae suae modum candide patefaciant. Porro addendum est, an mala fide contrahens ita egerit spe facilius obtinendi dispensationem. Si vero impedimenti nunc conscius contraxerit bona fide, sed de altero nihil possit sciri, ex. gr. quia nullitas ei manifestari nequit, id quoque in supplicatione notetur. 3° Necesse est exprimere an post cognitum ab utroque vel alterutro impedimentum consummaverint, et an id fecerint uterque vel alteruter spe facilius obtinendi dispensationem: tunc enim, et praesertim in posteriori casu, peculiares in

(1) Vid. n. 189, 264 sub 1°, 594, 634 sub 2°, et Conc. Trid. sess. 24, c. 5 de ref. matr.

dispensatione ponuntur clausulae de incestu, poenitentia, interdum etiam de eleemosyna cet. Nihilominus per hujusmodi consummationem, post notum impedimentum factam ab iis qui ignoranter contraxerunt, non incurrebatur umquam poena excommunicationis, de qua diximus n. 369, 381. Quodsi copulam falso, sed absque dolo, allegaverint, dispensationem valere affirmant varii auctores, juxta quos expressio consummationis est tantum causa impulsiva, finalis autem, quae vera manet, est reparatio damnorum et evitatio scandali (1). De hujus quidem doctrinae veritate persuasum nobis non est; ejus tamen in praxi applicationem non excludimus (n. 676). Juxta Corradum (2) exprimi etiam debet consummatio, licet uterque tunc ignoraverit impedimentum; alii vero id communius merito negant vel negandum esse supponunt; vid. n. 708, 710, et S. C. de P. F. Instr. a. 1877 in secunda parte, n. 6. In isto casu non potest ob reticentiam dispensatio haberi pro invalida; oportet tamen consummationem exprimere ad vitandas difficultates circa legitimationem prolis n. 740). 4° Sitne necessario exprimendum civiliter jam esse initum matrimonium, vide num. sq.

Specimen petitionis ob matrimonium bona utriusque fide contractum ad Sedem Ap. missae hoc sit : « Quod ipsi alias ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominus possent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium inter se per verba de praesenti publice, factis proclamationibus, nulloque detecto seu denuntiato impedimento, contraxerunt, illudque in facie Ecclesiae solemnizarunt, et carnali copula consummarunt. Postmodum vero ad eorum pervenit notitiam eos tertio consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos; propter quod a carnali copula hujusmodi abstinuerunt [vel : et nihilominus in eadem

(1) Cf. de Justis, l. 1, c. 7, n. 55 sq., Giovine, t. 2, p. 222. Iidem tamen docent reticentiam consummationis matrimonii invalide contracti, quae exprimi debuerit, causare dispensationis invaliditatem.

(2) L. 8, c. 4, n. 29 sq.

carnali copula perstiterunt]. Cum autem, Beatissime Pater, oratores praedicti in hujusmodi matrimonio remanere non possint absque Sedis Ap. dispensatione, et si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala possent verisimiliter exoriri, supplicant, » cet.

678. Matrimonio ab utraque parte scienter contracto (1), difficilius quidem ex Trid. l. c. obtinetur dispensatio (n. 369 sub 2°, 381), hodie tamen facilius quam olim impetratur, spectatis temporum circumstantiis, praesertim prole jam nata et civiliter contracto matrimonio. Exprimi autem debet 1° mala fides. Consanguinei vel affines olim incurrebant in excommunicationem (n. 369 sub 1°, 381). Indicari etiam debet sive utriusque sive alterutrius intentio facilius obtinendi dispensationem. 2° Fueritne contractum praemissis vel absque fraude dispensatis proclamationibus, et servatis solemnitatibus. 3° An consummaverint (Trid. l. c.), et an intuitu facilius obtinendi dispensationem. De casu quo copula fuerit falso, non tamen ex dolo, allegata, vid. num. prace. sub 3°. 4° Matrimonii, ut vocant, civilis *qua talis* mentio necessaria non est, neque malitiosae etiam intentionis in ejus praecise qua *civilis*, ut vocant, matrimonii celebratione habitae (n. 680, 718).

Matrimonio invalido scienter inito, graviores ponuntur clausulae circa incestum, separationem, poenitentiam, interdum circa eleemosynam, cet.; nonnumquam etiam clausula prohibens novum post conjugis mortem matrimonium, ex. gr. « Volumus autem, quod contrahentium praefatorum alter alteri supervivens perpetuo absque spe conjugii remaneat. » Utebantur saepius olim Pontifices, rarius hodie utuntur hac clausula, quando im-

(1) De hoc casu cfr. Conrad. l. 7, c. 3, n. 3 sq., l. 8, c. 3, Caillaud, n. 135, 185, Giovine, t. 1, p. 332 sq., 356 sqq., 379 sq., 401 sqq., 415, t. 2, p. 68 sqq., 186 sqq., 192 sq., 193 sq., 218 sq., 221 sq. Videri posset hanc hypothesim excludi a causis canonicis in Instr. S. C. de P. F. a. 1877, sed revera non excluditur, ut patet tum ex sensu verborum Tridentinorum (n. 369 sub 2°, 381), tum ex ipsius Instr. secunda parte, n. 6.

pedimento irretiti carnalem copulam admiserunt intuitu facilius obtinendi dispensationem, vel cum scientia impedimenti matrimonium inierunt; si ex una tantum parte existat alterutra circumstantia, ei soli clausula ponitur, quae tamen solam concernit liceitatem (1).

Specimen petitionis ad Sedem Ap. missae hoc sit : « Quod ipsi alias scientes se tertio consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, non quidem peccandi data opera, ut crimine admisso haec causa foret S. V. et Sedem Ap. ad misericordiam et gratiam erga ipsos faciliores reddendi, matrimonium inter se per verba de praesenti publice, factis proclamationibus, in facie Ecclesiae contraxerunt, et carnali copula consummarunt. Cum autem, Beatissime Pater, oratores praefati in hujusmodi matrimonio remanere non possint absque Sedis Ap. dispensatione, et si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala possent verisimiliter exoriri, supplicant, » cet.

§ 13. *Aliae causae vel concurrentia saltem motiva.*

679. Causae finales quas explicavimus sunt frequentiores et a Sede Ap. jamdiu approbatae ut canonicae. Ex S. C. de P. F. Instr. a. 1877 alias citavimus p. 624, 629, 636, et in eadem sequentes etiam referuntur ut finales : « 12. *Periculum incestuosi concubinatus.* Ex superius memorata instructione an. 1822 [vid. p. 629] elucet, dispensationis remedium, ne quis in concubinatu insordescat cum publico scandalo, atque evidenti aeternae salutis discrimine, adhibendum esse. 13. *Periculum matrimonii civilis.* Ex dictis consequitur, probabile periculum quod illi, qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium dumtaxat *civile,* ut aiunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam... 15. *Cessatio publici concubinatus.* » Et post omnes a se indicatas

(1) Plura vid. n. 369 sub 3°, 381, 548 sq., et ap. Rigant. n. 104 sqq. in reg. 49 Canc.

causas finales addit S. C. : « Hae sunt communiores, potioresque causae, quae ad matrimoniales dispensationes impetrandas adduci solent. » Possunt aliae quoque existere et allegari, dummodo secundum aequitatem licitae, secundum honestatem convenientes, secundum utilitatem expedientes, praesertim quando plures concurrunt n. 668). Talis ex. gr. est causa pro oratrice parentibus vel patre orbata, quae tempore Corradi (l. 7, c. 4, n. 13) numquam aut raro sola, et nihilominus in propinquioribus gradibus admittebatur aliis aggregata. Magno favore habetur a Caillaud, n. 55, ubi memorat etiam puellam, quae matrimonium contrahendo posset parentibus suis pauperibus vel infirmis subvenire.

Inter motiva quae aut causarum vim augent aut, si plura sint, simul sumpta causam constituere possunt (n. 668), locum habent pro viro angustia loci vel patrimonii insufficientia vel proles ex alio matrimonio, aetas superadulta pro vidua juniore, magnae difficultates circa res temporales, infirmitas, deformitas, familiae infamatio ex cessione bonorum vel sententia judiciali, infamatio ex nimia familiaritate absque suspicione copulae (imo inter causas finales refertur a S. C. de P. F.; cf. sup. p. 636), metus litium vel inimicitiarum, legitimatio prolis (quae etiam inter causas finales ponitur a S. C. de P. F.; cf. sup. p. 639), locus difficilis accessus.

Variis modis existere potest praesertim exigentia salutis animarum, ex. gr. paupertas puellae, periculum seductionis vel incontinentiae (1), difficultas a familiari conversatione retrahendi, actus graviter peccaminosi saepe intercedentes seu periculum perseverantiae in peccatis propter occasionem difficile removibilem, periculum scandalorum. Hodie praesertim allegari potest matrimonium civiliter tantum contractum, quae ratio urgentissima est, vel timor ne ineatur; imo ejus periculum ponitur inter causas

(1) Cf. secret. S. C. C. in cit. *Dubia* cet. 28 junii 1873 (n. 651), et S. C. de P. F. Instr. a. 1877, sup. p. 624.

finales in S. C. de P. F. cit. Instr.; exprimatur tamen utrum timor iste nitatur animo a partibus manifestato an vero solius parochi judicio; secus enim difficultas orietur ex poenitentia in dispensationis literis imposita, cui partes fortasse se non subjicient; addatur etiam an timor iste sit fundatus, an graviter fundatus (1). Dispensatio gubernii in civili impedimento jam obtenta inter motiva locum habere potest (2).

Citari etiam solet periculum vitae, quod tamen specialiter esse verificandum nec nimis cito allegandum monent Ben. XIV cit. const. *Ad Apostolicae* § 2 (n. 649) et Greg. XVI litt. 22 nov. 1836 ad Prodatarium (3).

Scandalorum periculum magnam meretur considerationem; de eo scribit de Justis, l. 3, c. 17, n. 10 sqq. (4) : « Si impedimenta sint occulta, et proinde pro foro conscientiae petita sit dispensatio, gravia scandala erunt, si oratores... non possint absque scandalo separari, eo quod vel prolem habeant, quae parentibus destituta non possit commode educari, vel si alter ex conjugibus solus impedimentum novit, et cum occultum sit, probare non potest, vel illud absque famae jactura detegere; vel si uterque conjux impedimenti conscius sit, cum tamen probari non possit, nequeunt absque scandalo separari, nec eis permittitur aliud matrimonium inire, unde maximo incontinentiae periculo expositi erunt... His addi potest probabile periculum, ut impediti in concubinatu remaneant, dum destituti remedio dispensationis obtinendae, se cognoscant; vel timeant, ut si impedimentum detegatur, fama cum honoris dedecore jactetur, vel foemina a consanguineis suis, vel a viro... affligatur... At si super publicis

(1) Cf. n. 718, Caillaud, n. 49, Planchard, n. 66.

(2) Cf. n. 719, Caillaud, n. 51, Téphany, n. 118, 427, Planchard, n. 29.

(3) Cf. n. 682, Giovine, t. 2, p. 61 sqq., 221 sq., qui priori loco exhibet etiam textum italicum litt. Ben. XIV 30 mart. 1742 ad card. Pro-Datarium, quae non extant in Bull. Ben. XIV.

(4) Cf. etiam Giovine, t. 1, p. 377.

impedimentis petatur dispensatio ad contrahendum, scandala gravia sunt, si matrimonium non contrahatur inter oratores, qui copulam carnalem inter se habuerunt, vel cum suspicione ejusdem conversati sunt ; vel si matrimonium ex aliqua causa nulliter contractum sit, et nisi dispensetur super impedimento divortium fiet... Item gravia scandala erunt, quando adest probabilis timor inimicitiarum, et jurgiorum ; vel quoties timetur fornicationis periculum ratione juventutis contrahentium... Scandala gravia insuper intelliguntur pericula peccatorum incontinentiae, fornicationis, et similia... Haec autem scandala non requiritur de necessitate ut certa sint, vel certo immineant, sed sufficit si probabiliter timeantur, nisi dispensatio sequeretur. » Scandalorum periculum gravius hodie reddunt civiles de matrimonio leges. Contra vero ne potest quidem dispensationem exequi delegatus, si ex ea ipsa scandala sint oritura (1).

Passim constitit qualitatis oratorum rationem ab Ecclesia haberi in suis dispensationibus. In quo nihil est reprehendendum, nam, ut dicit S. Thomas 1. 2. q. 97 art. 4 ad 2 : « Non est acceptio personarum, si non serventur aequalia in personis inaequalibus. Unde quando conditio alicujus personae requirit rationabiliter, ut in ea aliquid specialiter observetur, non est personarum acceptio, si sibi aliqua specialis gratia fiat. » Et 2. 2. q. 65, art. 2 ad 2 : « Dispensatio matrimonii contrahendi principaliter fieri consuevit propter foedus pacis firmandum. Quod quidem magis est necessarium communi utilitati circa personas excellentes. Et ideo cum eis facilius dispensatur absque peccato acceptionis personarum. » Praeterea concurrere solet piorum operum utilitas.

(1) Cf. c. 34 § 1 et 2, Corrad. l. 8, c. 2, n. 6, c. 6, n. 63 sqq., de Justis, l. 1, c. 7, n. 68, 231 sqq., Bangen, tit. 2, p. 227, Giovine, t. 1, p. 125 sqq. 180 sq.

§ 14. *Observationes practicae de causis dispensandi, impedimentorum propter eas dispensabilitate, earumque verificatione.*

680. Quantum fieri potest, causa finalis ex canonicis allegetur, non omissis impulsivis vel motivis et circumstantiis quibus illa roboretur, omniaque nitide ac sincere exponantur.

Causae dispensandi canonicae fere semper sumuntur a parte oratricis. Quamquam autem earum aliquae sunt infamantes et cum delicto connexae, non ideo tamen Ecclesia delinquentibus potius quam insontibus favet, sed fragilium ac miserorum saluti providet, et scandalis praeveniendis vel tollendis intendit. Poenitentiam etiam imponit, exigit ut exprimatur intentio facilius obtinendi dispensationem, et interdum postulat juratam ab oratoribus fidem, se numquam deinceps talia commissuros neque committentibus praestituros auxilium, consilium vel favorem (1). Ecclesiae hac in re sollicitudinem manifestant diversae clausulae, quae dispensationibus apponi consueverunt.

Causa voluntaria (2) et adhuc pendens ab oratorum voluntate stricte loquendo insufficiens est (n. 635); at ordinarie eae erunt circumstantiae ut revera integra res non sit, et sive ob pericula sive propter alias rationes consulenda sit dispensatio. Notanda tamen est circumstantia voluntarii, simul cum adjunctis dispensationem consulentibus (n. 633 in fine, 656, 664). Causa vero voluntaria, sed amplius non pendens ab oratorum voluntate, dispensationi petendae sufficit. Si agatur de causa honesta, non videtur necessario exprimenda circumstantia voluntarii nec in eam inquirendum, utiliter tamen exprimitur si aliunde de ea constet (n. 633, 656, 664). At si agatur de causa voluntaria peccaminosa, licet amplius non pendente a voluntate oratorum, certo debet

(1) Cf. Caillaud, n. 43, 301.

(2) De causa voluntaria cf. Kugler, t. 2, q. 45 ex iis quae sunt ad calcem, Carr. n. 1118, Caillaud, n. 16, 45, 47, 231, 233, 265, 354.

exprimi pro valore intentio facilius obtinendi dispensationem, quando ut causa allegatur nimia familiaritas vel copula habita vel matrimonium invalide contractum (n. 675, 675, 677 sq.). Idem facile diceres de civili praecise celebratione matrimonii; sed contrarium desumitur ex S. Poenit. 18 apr. 1851 ad vic. gen. Nivernensem (1). Dubio enim proposito : « Utrum in supplicibus libellis pro dispensatione impedimentorum dirimentium, pro iis qui civiliter jam contraxerint, necesse sit antea inquirere, ac consequenter declarare an oratores talia patrarint ad dispensationem facilius obtinendam, » responsum fuit : « S. Poenitentiaria, perlectis expositis ac serio consideratis, supra proposito dubio, supra dicto vicario generali officiali respondendum censuit, prout respondet negative. Nam illa intentio oratorum, licet mala, non tamen irritat dispensationem, et idcirco debent oratores quidem peccatum confiteri, si reapse mala fide hoc fecerunt, non est tamen necessarium in eamdem inquirere, quod attinet ad forum externum. » Illa autem aliquorum assertio, qua dicunt debere civile, ut vocant, matrimonium exprimi, quando ex contemptu matrimonii canonici illud fuit pro legitimo habitum, eo sensu accipiatur, ut exprimendi necessitas non concernat civile, ut vocant, matrimonium qua tale, sed matrimonium clandestine initum (2).

681. Non omnibus impedimentis eadem causa sufficit, sed quo gravius est impedimentum, quo propinquior gradus, quo plura impedimenta, eo gravior causa vel plurium concursus postulatur (3); quod tamen non mathematice sed morali judicio pro circumstantiis temporum, personarum, locorum est ponderandum. Ex causis autem supra expositis alias pro solo foro externo, alias pro solo foro conscientiae, plerasque tam pro hoc quam pro illo

(1) Ap. Caillaud, n. 45.

(2) Plura de exprimendo necne praefato actu civili, et malitiosa in eo ponendo intentione, vid. n. 718, coll. n. 678.

(3) Cf. Giovine, t. 1, p. 110 sq., 183 sq.

valere, ipsa earum natura indicat. De diversorum impedimentorum gravitate, dispensabilitate, vel cum diversis causis et circumstantiis connexione (1), hic illic aliqua notavimus, pauca quaedam restant animadvertenda.

682. *Consanguinitas, et affinitas ex copula licita.* Numquam dispensavit nec dispensabit Sedes Ap. in ullo gradu consanguinitatis lineae rectae, neque in consanguinitatis gradu primo lineae transversae, neque in affinitatis legitimae gradu primo lineae rectae; sed haec impedimenta sive jure naturae sive ex voluntate Sedis Ap. indispensabilia sunt (2). Testantur etiam auctores (3), S. Poenitentiariam ne in aliis quidem gradibus legitimae affinitatis lineae rectae dispensare.

De secundo gradu consanguinitatis lineae transversae, et affinitatis legitimae gradu secundo, dicit Trid. sess. 24, c. 5 de ref. matr. : « In secundo gradu numquam dispensetur, nisi inter magnos principes, et ob publicam causam, » quae tamen verba disjunctive, non copulative esse sumenda declaravit S. C. C. (4). Quamquam autem post Trid. minori severitate utitur Sedes Ap., nihilominus in tam propinquis gradibus aegre tantum et ex gravissima causa dispensari exoptat. In remotioribus quidem gradibus sufficiunt non ita graves causae, imo Dataria vix solet causae insistere pro quarto gradu; sed in propinquioribus, nempe secundo aequali, et praesertim secundo mixto cum primo seu tangente primum, consanguinitatis vel affinitatis legitimae, et in affinitatis legitimae gradu primo, rarius dispensatur et ob gravia scandala aliamve causam gravissimam vel plures causas graves

(1) De his generaliter vid. de Justis, l. 3, c. 1, n. 92 sqq.. Reiff. cit. App. n. 99 sqq., Kugler, t. 2, part. 4, n. 268, 330 sqq., Giovine, t. 1, p. 110 sq., t. 2, p. 87, Kutschker, t. 5, p. 126 sqq.

(2) Vid. n. 366, 379, Caillaud. n. 15. Giovine, t. 1, p. 360 sqq., 562 sq., t. 2, p. 80 sq., *Acta S. Sedis*, t. 2, p. 127 sq.

(3) Cf. *Acta S. Sedis*, l. c., Giovine, t. 2, p. 81.

(4) Ap. Fagn. n. 11 in c. *Quia circa*, 6 *De cons. et aff.*, Giovine, t. 1, p. 364.

concurrentes. S. Poenitentiaria autem, ut supra dictum est, in nullo gradu legitimae affinitatis lineae rectae dispensat.

Quamquam consansanguinitas, ceteris paribus, est impedimentum gravius affinitate, nihilominus facilius dispensatur in lineae transversae secundo gradu consanguinitatis, quam in primo affinitatis legitimae (1). Quum magno numero peterentur dispensationes in primo gradu affinitatis et in secundo tangente primum consanguinitatis vel affinitatis, et crimina etiam, quae pro causis allegabantur, essent frequentia, Greg. XVI pro conscientiae suae quiete et sacrae disciplinae incolumitate dedit literas 22 nov. 1836 ad Prodatarium cardinalem Pacca (2), ab hoc communicandas Ordinariis Italiae, officialibus Datariae, aliisque quibus opportunum visum fuisset. Scribit autem Pontifex se pro gradibus supra dictis non admissurum nisi causas ex sacris canonibus et constanti vetustaque Sedis Ap. praxi legitimas, pro talibus vero non habiturum eas, quibus absque impedimentorum relaxatione provideri posset. Nec minas mortis seu periculum vitae nec crimina per potestatem publicam coercenda facile esse admittenda. Ordinarios debere officium suum interponere pro obtinendis ex causa canonica dispensationibus ejusmodi, sed ita ut per se ipsos, si fieri possit, specialibus literis, nec solitis tantum testimonialibus, exprimant causam canonicam una cum circumstantiis ex eorum judicio dispensationem necessariam reddentibus, ac periculo vitae vere existente nec nisi per matrimonium vitando. In

(1) De causis dispensandi in consanguinitate vel affinitate ex copula licita, praesertim etiam in gradibus propinquioribus, cf. passim supra ubi de singulis dispensandi causis. Corrad. l. 7, c. 3, n. 17 sqq., Rigant. n. 35 sqq., in reg. 49 Canc., de Justis, l. 3, c. 1, n. 110 sqq., l. 2, c. 7, n. 60, 96 sqq., Bouvier, de matr. c. 4, art. 5 § 2, Heiss, p. 206 sqq., 211 sqq., Giovine, t. 1, p. 363 sqq., 380 sqq., 564-568, et vid. secr. S. C. C. in *Gadicen. Disp.* 11 sept. 1762 (*Thes. S. C. C.* t. 31), *Constantien. Disp.* 23 apr. 1768 (Ib. t. 37).

(2) Cf. *Anal. jur. Pont.* ser. 1, p. 701 sqq., Heiss, p. 213 sq., Giovine, t. 1, p. 363 sqq., 566 sq., qui ipsum textum italicum refert.

memoriam etiam revocat exposita verificandi et poenitentiam ac pia opera imponendi necessitatem, innovatque varias Praedecessorum suorum constitutiones. Praecipue vero innovat et confirmat Ben. XIV const. *Ad Apostolicae*, cum cujus § 4 iterum praecipit « omnibus negotiorum gestoribus, et expeditoribus literarum Apostolicarum, ut cum supplices preces pro aliqua matrimoniali dispensatione porrecturi sint... facti speciem nitide ac sincere exponant, caveantque diligenter, ne illam aliquatenus in rebus substantialibus alterent, immutent, corrumpant, sed stricte adhaereant iis, quae ab oratoribus exposita fuerunt, et multo magis abstineant, ne quid falsi aut ficti proprio ingenio inventum vel excogitatum ad gratiam dispensationis facilius obtinendam in precibus obtrudant. » Quod si fecerint, juxta S. Pii V const. *Sicut accepimus* 5 dec. 1566 et cit. const. Ben. XIV § 5, « poenam ipsi falsi incurrerent, et ea puniri omnino deberent, sine praejudicio obligationis refundendi expensas oratoribus, qui ob illorum culpam ejusmodi dispensationes, quae executioni demandari nequeunt, obtinuerint. » Similia ex repetitis Pontificum, praesertim Innoc. XII 4 junii 1692 et Clem. XIII 15 apr. 1758, decretis eos etiam incurrere, « qui ubi primam Congregationem... contrariam habuerunt, vel habere suspicantur, studiose tentant alteram adire Congregationem, ut tamquam minus informata ipsis concedat, quod altera vel denegavit, vel denegasset. » Extra Italiam quidem Sedes Ap. majori indulgentia utitur, ex allatis tamen liquet non esse nimia facilitate procedendum ad petendam dispensationem in gradibus a Greg. XVI indicatis, et iis praecipue esse applicanda quae in fine n. 649 monuimus (1).

Affinitas ex copula illicita. De ea non loquitur Trid. l. c., et in ea dispensatur (2) ex gravi causa, interdum etiam, sed non sine difficultate, et causa, praesertim casu publico, gravissima, in

(1) Cf. etiam n. 605, 614, 623, 634 sub 6° et 7°, 635, 681, et Giovine, t. 1, p. 566.

(2) Cf. n. 379, 608, 620, 623, Corrad. l. 7, c. 3, n. 23 sqq., Heiss, p. 211 sq., *Acta S Sedis*, t. 2, p. 190 sqq., Giovine, t. 1, p. 563 sq., 568.

gradu primo lineae rectae. In isto autem casu peculiares apponuntur cautelae, nempe ut si affinitas proveniat ex copula habita cum matre sponsae, omnino debeat hujus nativitas praefatam copulam praecessisse, utque, si affinitas proveniat ex copula, quam quis habuit cum persona invalido, civili ex. gr., ut vocant, matrimonio sibi juncta, prius adhibeantur remedia opportuna, ne videri possit dispensari in lineae rectae gradu primo affinitatis legitimae (1).

683. *Publica honestas* (2). De ea non loquitur Trid. l. c. (3). Ut, ceteris paribus, affinitas est levior consanguinitate, affinitas illegitima levior legitima, ita publica honestas est levior affinitate, orta autem ex sponsalibus levior ea quae ex matrimonio. Ad dispensationem in gradu primo honestatis publicae ex matrimonio urgentior requiritur causa (4).

Cognatio spiritualis (5). « In paternitate seu maternitate spirituali vix, aut raro, et cum maxima difficultate, et non sine urgentissima causa dispensatur, et tunc regulatur prout in primo affinitatis, vel in primo et secundo, vel secundo consanguinitatis, vel affinitatis : at in compaternitate longe facilius dispensatur, et tunc sufficiunt causae leviores (6). »

(1) Cf. Perron. *De matr. christ.*, ed. Rom. t. 2, p. 153, Giovine, t. 1. p. 564.

(2) Cf. n. 386 sq., Giovine, t. 1. p. 537-540, *Acta S. Sedis*, t. 2, p. 257 sq., 381 sqq., et ex causis S. C. C. vid. *Leodien. Disp.* 10 maii 1755 (*Thes. S. C. C. t.* 24), *Leodien. Disp.* 8 et 22 maii 1762 (Ib. t. 31), *Gadicen. Disp.* 12 junii. 11 et 25 sept. 1762 (Ib.), *Constantien. Disp.* 23 apr. 1768 (Ib. t. 37). *Anicien. Disp.* 8 et 29 jul. 1769 (Ib. t. 38), *Acheruntina Disp.* 16 junii 1770, 8 junii 1771 (Ib. t. 39 et 40), *Mindonen. Disp.* 3 et 31 aug. 1771 (Ib. t. 40), *Uritana Disp.* 7 junii 1777 (Ib. t. 46), *Colonien. Disp.* 15 maii. 5 junii 1779 (Ib. t. 48). *Visen. Disp.* 24 nov. 1787 (Ib. t. 56).

(3) Vid. S. C. C. in *Cajetana*, l. 12 decr. p. I. allata in cit. *Constantien.*

(4) Praeterea cf. Giovine, t. 1, p. 538.

(5) Cf. n. 615, 623, de Justis, l. 3, c. 1, n. 108 sq., Giovine, t. 1, p. 391 sq.

(6) De Justis, l. c.

Cognatio legalis (1) est impedimentum levius cognatione spirituali; « raro super ea dispensatio conceditur; non quia dispensatio necessaria non esset ad matrimonium contrahendum, vel quia a Pontifice concedi non possit, sed quia in linea recta Papa difficillime, et nonnisi ex causa gravi dispensat; in transversali vero raro recurritur ad Pontificem, cum alias per emancipationem dissolvatur... et sic possit absque dispensatione iniri matrimonium (2). »

684. *Crimen* (3). In impedimento criminis, utroque vel alterutro machinante, numquam dispensatur quando machinatio publica est; sed quando est occulta, raro et ex causa gravissima dispensatur pro foro conscientiae per S. Poenit., quae dispensationem committit confessario, qui ab adulterio, homicidio, cet. absolvat, injunctis pro modo culpae gravi et longa poenitentia, orationibus, eleemosynis, Missis pro anima occisi celebrandis, sacramentalis Confessionis frequentia, restitutione caute facienda haeredibus aliisve damnum passis. Quum autem ordinarie jam sit invalide contractum matrimonium, requirit etiam S. Poenit. ut separari sine scandalo nequeant, et ex cohabitatione oriatur incontinentiae periculum. Multo difficilius dispensatur quando uterque fuit machinatus, praesertim veneno.

Neutro machinante, dispensatio etiam pro foro externo ex gravi causa conceditur, praesertim contracto jam matrimonio, maxime vero ad vitanda scandala, sub clausulis respicientibus poenitentiam, cet.

Disparitas cultus (4). Super hoc impedimento non dispensatur

(1) Cf. n. 430, de Justis, l. 2, c. 6. n. 86 sq., Giovine, t. 1, p. 400 sq.

(2) De Justis, l. c.

(3) Cf. n. 608, 615, 621. 623. Ben. XIV § 15 litt. *Aestas anni* (n. 379), *Inst. eccl.* 87, n. 21. decr. card. Caprara 25 apr. 1803 (ap. Moser, App. n. 16, p. 193). Conrad. l. 8, c. 9, n. 6 sqq., de Justis, l. 1, c. 4, n. 75, 188 sqq., c. 8, n. 45 sqq., l. 2. c. 16, n. 64 sqq.. Giovine, t. 1, p. 412 sqq., t. 2, p. 83, de Angelis, t. 3, part. 1, p. 190 sqq.

(4) Cf. n. 460. 623, Perron. *De matr. christ.* ed. Rom. t. 2, p. 333

in regionibus christianis pro matrimonio contrahendo; pro validando autem contracto nonnisi raro et in gravissimis circumstantiis, ex. gr. ut matrimonium civiliter jam initum validetur et fidelis saluti consulatur, et positis cautelis praesertim concernentibus partis catholicae et prolis spiritualem salutem. In regionibus vero infidelium dispensatio conceditur etiam pro matrimonio contrahendo, gravibus tamen de causis et sub conditionibus praesertim respicientibus salutem partis fidelis et prolis. Quando autem in aliqua regione plurimi sunt qui Baptismum negligunt, facile occurrit de contrahendi vel contracti matrimonii valore dubium, quia non constat de partis acatholicae Baptismo, vel quia adjuncta defectui hujus Baptismi favent. Pro ejusmodi regione S. Sedes interdum episcopis concedit facultatem dispensandi in disparitate cultus (1).

Clandestinitas (2). Pro matrimonio contrahendo numquam dispensatur, pro contracto autem nonnisi rarissime et per sanationem in radice.

Ordo sacer vel *Professio Religiosa* (3). Dispensationem in impedimento Ordinis sacri vel Professionis solemnis non concedit S. Sedes nisi ob causam gravissimam et publicam. Sic Jul. III

sqq., *Anal. jur. Pont.* ser. 2, col. 1811 sq., Heiss, p. 216, Caillaud, n. 15, Giovine, t. 1, p. 416, 418-425, de Angelis, t. 3, part. 1, p. 67, Planchard, ap. *Nouv. rev. th.* t. 15, p. 407 (411) sqq., *Collectanea... ad usum operariorum Ap.* n. 885-891, 893-896, 898-900, 957 quaes. 2.

(1) Cf. n. 460, 623, Kenrick, tr. 21, n. 162, coll. 48, Heiss, p. 133.

(2) Cf. n. 623, 625, 634 sub 6°, c. 35 § 3, Caillaud, n. 15, 141, 143, 368 sq. 378, Giovine, t. 1, p. 587 sq.

(3) Cf. p. 536 sq., S. C. C. in *Osnabrugen. Disp.* 15 dec. 1764, 1 jan. 1765, 24 januar. 14 mart. 1767 (*Thes. S. C. C.* t. 33, 34, 36). *Colonien. Disp.* 4 apr. 16 maii 1767 (Ib. t. 36), *Romana seu Bononien. Null. prof.* 18 sept. 18 dec. 1802 (Ib. t, 68), S. C. Ep. et Reg. in *Januen. seu Albinganen. Restit. in integrum et null. prof.* 8 jul. 1853 (ap. Bizzarri, *Collectanea*, p. 676 sqq.), *Anal. jur. Pont.* ser. 5, col. 778 sq., ser. 8, col. 1897, Caillaud, n. 15, 369, 378, Giovine, t. 1, p. 426 sq., 428-435, 438-450, t. 2, p. 160 sqq.

cardinali Polo facultatem dedit dispensandi cum clericis saecularibus subdiaconis, diaconis, presbyteris, qui tempore schismatis anglicani matrimonium attentaverant, et Pius VII eadem potestate usus est cum multis saecularibus et regularibus constitutis in sacris, qui idem commiserant tempore turbarum gallicarum. Interdum, sed rarissime, dispensatio in casu particulari propter gravissimam et publicam causam data fuit, ex. gr. ob publicum bonum alicujus regni vel provinciae, numquam tamen episcopo, vix umquam presbytero. In votis simplicibus per dimissionem non solutis interdum S. Sedes ex gravi causa dispensat (p. 518).

Aetas (1). In ea episcopus ex urgentissima etiam causa dispensare nequit, sed tantum potest declarare existentiam malitiae supplentis aetatem. Pontifex vero nonnisi ex publica causa et rarissime dispensat.

De *impedimentis impedientibus* supra diximus (2).

685. Ex his omnibus lux affertur iis quae passim tetigimus de impedimentis indispensabilibus, quia in iis dispensatio aut dari nequit aut non datur, et de impedimentis in quibus Sedes Ap. sive ex gravi sive ex gravissima causa dispensare consuevit. Episcopus autem, sive expresse delegata sive quasi ordinaria potestate utens, eamdem circa causas normam sequi tenetur, quam servat S. Sedes. Dispensare quidem potest si prudenti et morali, ut vocant, judicio causa ei, juxta normam illam, videatur sufficiens, nequaquam vero propter causam quam novit a Sedis Ap. praxi rejici, vel propter quam haec ipsa oratoribus dispensationem concedere noluit (3).

(1) Cf. n. 531, 533, 536, Giovine, t. 1, p. 541 sqq., coll. Ballerin. ad Gury, t. 2, n. 835.

(2) De *Ecclesiae vetito* et *tempore feriato* vid. n. 604, 613; de *sponsalibus*, n. 557, 604, 613, 634 sub 7°, 649, de *voto simplici*, n. 604, 613, 649, cf. etiam Giovine ll. ibi citt. et t. 2, p. 163 sqq., 228 sqq., de *mixta Religione*, n. 568, 604, 613, 634 sub 7°, 649, Planchard ap. *Nouv. rev. th.* t. 15, p. 521 (525) sqq., 573 (577) sqq.

(3) Cf. n. 636 vs. *Si constet*, 649 init., 719 sub 11°, Caillaud, n. 367, Giovine, t. 1, p. 110, 112.

De causarum verificatione in foro externo facienda a delegato plura toto hoc capite animadvertimus, alia notabimus c. 32-34 (1); pro foro conscientiae fit verificatio a confessario ex testimonio poenitentis.

CAPUT XXXII.

DE SUPPLICATIONE, DIVERSA DISPENSATIONIS FORMA EXPENSISQUE NECESSARIIS, ET DE EXPRIMENDIS IN LIBELLO SUPPLICI.

§ 1. *De supplicatione.*

686. Hodie rarissime ipsi oratores directe ad S. Sedem recurrunt, sed intermedio Ordinario dispensatio petitur, et nonnisi propter occultum impedimentum infamans, vel circumstantiam infamantem occultam, directe ad S. Poenitentiariam recurritur, si timeatur ne oratores apud Ordinarium infamentur. Pro obtinenda dispensatione in foro conscientiae confessarii solet opera adhiberi, quum impedimentum ejusmodi dispensationem requirens ordinarie in confessionali detegatur. Pro foro externo recurri solet per parochum, ad quem semper debet confessarius dirigere quando ejusmodi dispensatione opus est (n. 274) (2).

Quum dispensationis pro foro conscientiae executio confessario ab oratoribus eligendo vel ab ipsis determinato committatur, casu impedimenti utrique communis parum refert quisnam confessarius libellum supplicem conficiat; ordinarie tamen praestare videtur per sponsae confessarium fieri, si haec impedimenti notitiam habeat. Dispensatio impedimenti utrique communis pro foro externo est petenda per parochum sponsae, et si propter causas extraordinarias aliter fiat, indicandum id est in supplicatione. Maxime vero illud observetur necesse est quando ad diversam

(1) Cf. Téphany, n. 399 sqq., Planchard. n. 187 sqq., 282 sqq.
(2) Cf. *Acta S. Sedis* t. 2, p. 382.

dioecesim oratores pertinent, quo casu praeterea utiliter notabitur, utrum dioecesis, quam nunc oratrix inhabitat, originis etiam an vero solius domicilii seu habitationis dioecesis sit. Consuevit enim Sedes Ap. dispensationis executionem committere Ordinario sponsae, et, si directe ad ipsam recurratur, Ordinario quidem originis; quamquam autem hodie Ordinario domicilii est dispensationem commissura, si per eum recurratur (1), non inutiliter tamen exprimitur dioecesum originis et domicilii diversitas, ut eo certius omnis difficultas praeveniatur.

Quod de parocho sponsae diximus, observandum etiam est si ab ipsius episcopi sive expresse delegata sive quasi ordinaria potestate dispensatio expetatur, nisi agatur de impedimento soli oratori proprio (n. 628, 638 sub 2°). Quando pro oratoribus ad diversas dioeceses pertinentibus recurritur ad utrumque episcopum, uterque parochus pro suo parochiano recurrit; an tamen necessario sit uterque episcopus adeundus, vid. n. 638 sub 2°.

Parochus pro foro externo numquam, confessarius pro foro conscientiae in solo casu initio hujus numeri indicato directe Romam scribere solet, sed omnia nitide exponere Ordinario, qui deinde aut ex iis quae exposita fuerunt formulam extendit et Sedem Ap. adit, aut ipse vi facultatum dispensat. Varius est hac in re variarum dioecesum usus; in paucis quibusdam debet parochus vel confessarius, licet supplicationem ad Ordinarium transmittens, formulam extendere qualis ad Sedem Ap. dirigitur, quam deinde Ordinarius testimonio suo commendat et auctoritate munit; in plerisque Ordinarius formulam extendit, postquam ipsi negotium fuit expositum aut adhibita certa quadam formula in dioecesi praescripta, aut formula a parocho vel confessario libere eligenda. Interdum parochus propter graviorem difficultatem oratorem vel oratores pro pleniori examine et meliori negotii instructione ad Ordinarium dirigit.

(1) Cf. Caillaud, n. 224.

Ipsius formulae extensio nullum sibi praestitutum habet peculiarem tenorem; quae enim supra passim dedimus supplicationis exempla, ea posita fuerunt ad sensum causarum melius intelligendum. Qui verborum in stylo Curiae occurrentium vim rite perspectam habet, iis optime utitur; secus autem prudentius utitur aliis negotium clare exhibentibus. Specimina formularum, quibus sive a Sede Ap. sive ab Ordinario dispensatio peti potest, varii auctores exhibent, simpliciora vero recentiores (1).

687. Quantum fieri potest, non est petenda dispensatio inscitis partibus, nisi postea tantum, parata prius dispensatione, videatur matrimonii nullitas communicanda (n. 598 sq.). Semper autem requiri dispensationis obtentae acceptationem saltem ab una parte, videbimus n. 745 sub *c*.

Supplicatio fit nomine oratorum, utriusque quidem quando uterque est catholicus et impedimentum commune seu correlativum, unius tantum quando alter non est catholicus vel impedimentum est uni proprium independenter ab altero; si tamen uterque proprium ejusmodi impedimentum habeant et ejusdem sint dioecesis, utriusque nomine peti dispensatio potest (n. 628, 658 sub 2°, 686). Narratur factum ut vere se habet, expressis impedimentis, causis aliisque quae exprimi debent. Iis autem quae partes exposuerunt nihil imprudenter causas supplendi et au-

(1) De iis quae hoc numero exposuimus cf. Caillaud, t. 1, n. 1-5, 164 sq. 208, 217, 220 sqq., Bangen, tit. 2, p. 197 sq. 205-209, 214 sqq., 265 sqq.. Heiss, p. 233 sq. 396 sqq.. Aichner, § 184. Kips. *Formularium parochiale*. ed. Leod. 1843, tit. 7, § 7 sqq., Knopp, p. 464 sq. 581 sqq., Scavin. t. 4, n. 701, tr. Mechl. n. 98 in fine, 99 in fine, et App. n. 1, Kutschker, t. 5, § 331 sq., Giovine, t. 1, p. 643-646, t. 2 passim, praesertim vero p. 74 sqq. 90-101, Téphany, n. 198 sqq., 543 sqq., Planchard, n. 86 sqq.. 140 sqq.. 434 sqq. De procuratoribus seu *Agentibus* cf. n. 688 et § 2, *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 126, 382 sqq., *Anal. jur. Pont.* ser. 12, col. 769 sq., Giovine, t. 2, p. 76 sq. 101. Caillaud, n. 68, 164, 225, 239, Bangen. *Die Roemische Curie*. Monast. 1854, p. 71 sq. 453, 460, Téphany, n. 220, Planchard, n. 66, not. 1, 76, 79 sq.

gendi gratia addatur, nihil quod infamet nisi de partium consensu exponatur, ne valor dispensationis periclitetur, oratores rem aegre ferant, vel ex clausulis difficultates oriantur (1). Supplicatur dein pro dispensatione propter causas expositas obtinenda; pro foro conscientiae, nisi mediante Ordinario recurratur, additur locus quo, et nomen illius ad quem dispensatio est dirigenda. Supplicatio autem expeditur soluta expensa postali, ubi haec exigitur, et si propter longiorem moram iterum scribatur, priorum literarum fit mentio.

Parochus vel confessarius monebit oratores (2), ante obtentam dispensationem proclamari matrimonium non posse; pro circumstantiis etiam eos monebit de nondum ponendo actu civili, vitandis illicitis, opportune instituenda Confessione; item de tempore obtinendae dispensationi necessario. Solet hoc pro recursu ad S. Sedem esse sex circiter hebdomadarum, sed attendendum praeterea ad ferias pro Dataria vigentibus, quarum praecipuae sunt a die 4 oct. ad 15 nov., a Vigilia Nativitatis Domini ad Epiphaniam, a feria 3ª Sexagesimae ad diem Cinerum, a feria 3ª Hebdomadae sanctae ad Dominicam in Albis, a Vigilia Pentecostes ad festum SS. Trinitatis (3). Attamen dispensatio, servatis servandis, per Ordinarium pro foro externo obtineri potest a Majori Poenitentiario, si ob gravia, quae timentur, mala expectari nequeat finis vacationum Datariae (n. 688). S. Poenitentiaria ejusmodi vacationum tempora non habet (4).

Ut dispensationis executio et hanc praecedens expositorum verificatio postea facilius fiant, et omne falsitatis et invaliditatis

(1) Cf. n. 679, Ben. XIV et Greg. XVI sup. n. 682, Ben. XIV, *Inst. eccl.* 87, n. 23 sqq., Caillaud, n. 49 sq., 230, 289.

(2) Cf. Caillaud, n. 84 sqq. 168, tr. Mechl. App. n. 1, Giovine, t. 2, p. 76, 85 sqq. 101.

(3) Cf. Caillaud, n. 85, tr. Mechl. App. n. 1, Planchard, n. 118. Aliquantum longiores vacationes indicat Giovine, t. 2, p. 76.

(4) Cf. Giovine, t. 2, p. 101, *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 126.

periculum vitetur, magni momenti est et in multis dioecesibus praescriptum, ut in causarum aliorumque, quae exprimi debent, veritatem parochus inquirat, et supplicationi addat testimonium de expositorum veritate; quod quidem testimonium non transmittitur Romam, sed apud Ordinarium asservatur. Pro dispensationibus fori conscientiae non additur ejusmodi testimonium, et ex solius poenitentis declaratione negotium in supplicatione describitur (1).

688. Si dispensatio petatur a S. Sede, pro foro externo, seu pro relaxatione impedimenti aliis publici vel mox futuri publici, vel natura tantum sua publici (n. 85 sqq.), regulariter adeunda est Dataria. Hodie tamen ad S. Poenitentiariam quoque recurri potest ad obtinendam in iisdem dispensationem pro pauperibus, quorum paupertatem Ordinarius authentice attestetur (n. 610, 695). Idem fieri potest in extrordinariis quibusdam casibus, sed in his debet Ordinarius peculiares exponere rationes adeundi S. Poenitentiariam, et observare ea quae p. 515 sq. allegata fuerunt. « Hujusmodi causae, ut ex praxi praefatae S. C. deprehendimus, praeter recensitae paupertatis casum, esse poterunt ex. gr. 1° si ad removenda scandala necessarium sit, ut vir sibi nubat consanguineam vel affinem vere pauperem, quam defloravit : et licet vir pauper non sit, tamen dispensationem a Dataria impetrare detrectat sub obtentu Componendae vel taxae pro officialium labore debitae, quam persolvere recusat. 2° Si tempore vacationum S. Datariae expectari nequeat, quin gravia probabiliter sequantur mala. 3° Si licet impedimentum sit occultum, tamen necessaria sit dispensatio pro foro quoque externo valitura, cum maxima tamen reservatione elargita, ad praecavenda gravissima mala, quae enascerentur, si forte elapsu temporis illud detegeretur, et in foro externo probari non posset matri-

(1) Cf. c. 34 § 2, Caillaud, n. 5 sqq. 134 sqq. 162 sqq., Bangen, tit. 2, p. 174, 200 sq. 214, 216 sq. 269, tr. Mechl. n. 98 in fine.

monii validitas. 4° Si demum casus mixti fori contingat ob gravissimas circumstantias nimis implexus (1). »

Ad S. Poenitentiariam recurritur pro dispensatione in foro conscientiae, seu quando impedimentum est aliis occultum (n. 85 sqq.), etiamsi natura sua publicum, dummodo in isto casu sit ex iis impedimentis natura sua publicis, super quibus dispensandi facultatem Major Poenitentiarius habet (n. 604 sqq). Pro foro conscientiae directe potest adiri per literas, hodie tamen soluta taxa postali mittendas. Secretum est rigorose servandum (2).

Supplicatio transmittenda ad Datariam concipi debet latine, et alloquendo ipsum Rom. Pontificem; ad S. Poenitentiariam supplicatio fit alloquendo Majorem Poenitentiarium, et melius concipitur latine, non tamen necessario (3); si autem latine fiat, caven-

(1) Giovine, t. 2, p. 99; cf. eumdem p. 76. *Acta S. Sedis* sup. n. 610, coll. ib. initio, et inf. n. 695.

(2) Huc spectat Monitum interdum a S. Poenitentiaria transmissum : « Quamvis praxis et prudentia doceant, casus occultos ad Forum Conscientiae pertinentes, S. Poenitentiariae, literis obsignatis, ad Emum D. Card. Poenitentiarium Majorem missis ac nominibus reticitis, esse proponendos, tamen aliquis sive ex confessariis, sive ex animarum pastoribus ab hujusmodi praxi declinans, casus ipsos literis apertis ac per Procuratores etiam laicos, non solum exponere, sed et iisdem Procuratoribus illos narrare, ad hoc, ut super ipsis supplices conficiant libellos S. Poenitentiariae exhibendos, interdum non abhorret. Quod quidem quantum dedecoat et quantum praeseferat scandali nemo est qui non videt. Quare S. Poenitentiaria, hanc omnino reprobandam agendi rationem e medio tollere cupiens, omnes et singulos Confessarios et animarum Pastores graviter monet, ut a praedicto recurrendi modo prorsus abstineant. Ceterum, si opera alicujus Procuratoris in alma Urbe uti velint, literas obsignatas praelaudato Card. Poenitentiario Majori tradendas, suppressis nominibus ad ipsum Procuratorem transmittere quidem poterunt, ast memoratos casus S. Poenitentiariae proponendos nunquam et nullimode narrare seu manifestare audeant; » ap. *Acta S. Sedis*, t. 7, p. 208 sq.

(3) Hic tamen animadvertendum est, S. C. de Prop. Fide litt. 29 sept. 1868 hortatam esse Ordinarios, ut documenta ad Sedem Ap. transmittenda non quibusvis passim idiomatibus conscribantur; gallicum quidem vix ullam difficultatem facessere, sed, quantum fieri possit, latino vel italico,

dum ne in supplicatione pro foro conscientiae nomen loci, quo dirigenda petitur dispensatio, solo latino idiomate scribatur, sed etiam vernaculo, et addita, quatenus opus sit, dioecesi ac provincia, in qua locus existit; quamquam dioecesis ipsorum oratorum mentio non fit in supplicatione ad S. Poenit. pro foro conscientiae n. 699 in fine). Si solo latino idiomate locus indicaretur, fieri posset in S. Poenitentiaria nesciri quo literae sint dirigendae (1).

In regionibus S. Congr. de Prop. Fide subjectis solent hae intermedia dispensationes a Sede Ap. obtineri, alloquendo Pontificem tum pro foro externo tum pro foro conscientiae; pro hoc tamen foro directe scribi potest ad S. Poenitentiariam, alloquendo Poenitentiarium Majorem.

Sub poena nullitatis prohibitum est post aditam unam S. Congregationem adire aliam; nec evitaretur nullitas, etiamsi Pontifex rei ignarus ad aliam negotium transmitteret (2).

689. Quando cum impedimento publico concurrit impedimentum occultum vel circumstantia occulta necessario exprimenda, possunt quidem oratores consentire ut rei occultae fiat mentio in supplicatione pro foro externo; sed ordinarie id non videtur expedire, et saltem oportet tunc addere id fieri ad petitionem seu de consensu oratorum (n. 713 sub *c*). Si eorum consensus non detur vel peti nequeat vel non videatur petendus, duplex fit supplicatio, altera pro foro externo ad Datariam vel Poenitentiariam, nulla facta rei occultae mentione, altera pro foro conscientiae ad Poenitentiariam, cui pro valore debet etiam exprimi impedimentum publicum, memorando recursum pro hoc factum in foro externo, puta ad Datariam. Huc spectant S. Poenit. facultates n. 607

praesertim vero latino, esse utendum; ap. *Acta S. Sedis*, t. 4, p. 278 sq. Haec epistola praecipue quidem ipsam S. Congr. de Propaganda Fide respicit, sed generaliter etiam loquitur de communicatione cum S. Sede.

(1) Cf. *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 126, Giovine, t. 2, p. 91.

(2) Cf. n. 682, Caillaud, t. 2, n. 224.

indicatae. Sunt qui putent (1) necessario esse prius obtinendam dispensationem Datariae, et deinde recurrendum ad Poenitentiariam, huic igitur exprimendo obtentam jam esse Datariae dispensationem. Communiter tamen cum Corrado traditur (2) non referre uter recursus praecedat, dummodo Poenitentiariae exprimatur, dispensationem Datariae esse petitam vel obtentam; hanc sententiam exprimunt etiam responsiones privatae Roma datae a. 1868 ad ep. S. Hippolyti ab aliquo praxi S. Poenitentiariae assueto (3); rationes autem, quae pro priori opinione afferuntur, non difficili negotio solvi posse existimamus, et Marcus Paulus Leo non potest certo dici contrarius. Plura de duplici recursu praefato dicentur n. 715 sub *b* et *c*, 720 sqq., speciatim etiam quoad dispensationes quae petuntur ab episcopo; ibi videbimus propter copulam habitam vel malitiosam intentionem sive ad episcopum sive ad S. Poenit. posse pro foro conscientiae recurri, quando episcopus dispensat pro foro externo, ad episcopum vero non posse pro foro conscientiae recurri, quando S. Sedes dispensat pro foro externo, sed solo suo convalidandi indulto episcopum deinde uti posse intra limites ei assignatos. An ad episcopum possit recurri propter impedimentum impediens quod concurrit cum dirimente pro quo ad S. Sedem recurritur, vid. n. 707.

§ 2. *De diversa dispensationis forma et necessariis expensis.*

690. Dispensatio dicitur concedi *in forma gratiosa*, quando directe dispensatur; in *forma* vero *commissoria*, quando aliis

(1) Cf. Ferrari, t. 2, n 422, Giovine, t. 2, p. 17 sqq. (ubi citatur etiam Marcus Paulus Leo, *Praxis*, part. 2, c. 6, n. 9 in fine), et p. 259.

(2) Cf. Sanchez, *De sancto matr. Sacr.* l. 8, disp. 23. n. 7. Corrad. l. 7, c. 6, n. 79, de Justis, l. 1, c. 4, n. 106, Reiff. cit. App. n. 153, Kugler, t. 2, part. 4. n. 398, Carr. n. 1131, *Comp.* n. 234, van de Burgt, *De disp.* p. 50, Caillaud, n. 226, tr. Mechl. n. 99: imo juxta Carr. et tr. Mechl. praestat prius recurrere ad Poenitentiariam, ne forte, si haec dispensationem negaverit, frustra sint factae expensae: sed hoc equidem non dixerim.

(3) Ap. Vering, *Archiv* t. 24, p. 3.

datur mandatum dispensandi, id est, committitur dispensationis executio seu, ut dicitur, fulminatio. Posteriori hac forma hodie uti solet S. Sedes, et dispensationem pro foro externo committere Ordinario vel alteri habenti jurisdictionem fori externi, confessario pro foro conscientiae.

Ratione Componendae solvendae occasione dispensationis in consanguinitate vel legitima affinitate, Dataria aliam formae diversitatem observat, et dispensat aut *in forma nobilium* aut *in forma communi* seu *ordinaria* aut *in forma pauperum*. Forma nobilium et forma communis seu ordinaria id tantum sub hoc respectu differunt, quod in priori major solvatur Componenda quam in posteriori, unde a multis non immerito promiscue appellantur nomine formae ordinariae. Sed maximum est discrimen inter generaliter sic dictam formam ordinariam seu communem et formam pauperum. Hoc ipso ducimur ad necessarias expensas, et diversam simul Datariae et Poenitentiariae in his rebus praxim.

Dataria dispensans in consanguinitate vel legitima affinitate, in forma ordinaria id facere dicitur, quando solvenda est certa quaedam taxa seu mulcta, quae *Compositio* vel *Componenda* vocatur. Quae quidem nullatenus adversatur Concilio Trid. sess. 24, c. 5 de ref. matr. volenti dispensari gratis; nam hujus sensus est dispensari debere absque lucro concedentium; id autem servatur, quum compositiones non solum in pios usus impendantur, sed nec confundantur cum reliqua aerarii Apostolici pecunia, verum deponantur in Monte pietatis, inde non abstrahendae nisi quando mandato pontificio in pia opera distribuuntur. Imo justissima de causa mulctae illae tamquam eleemosynae in pia opera elargiendae exiguntur, quum simul inserviant aliquatenus resarciendo vulneri disciplinae inflicto, et rarioribus reddendis matrimoniis inter consanguineos et affines, praesertim in gradibus primo et secundo, in quibus major compositio imponitur. Multo etiam minor est, quam credi solet, copia pecuniae, quae ex mul-

ctis illis conflatur (1). Ultra proprie dictam Componendam solvitur levior aliqua taxa pro stipendio officialium Datariae, quia aliud non habent, et pro Datariae expensis; quae quidem taxa et ipsa justissima est, quum aequum sit eos, qui favores et legum relaxationem obtinent, partem ferre onerum quae Sedes Ap. pro toto orbe sola ferre omnino nequit (2). In aliis autem quam consanguinitatis et legitimae affinitatis dispensationibus sola haec taxa solvitur, nec est locus distinctioni inter formam ordinariam et formam pauperum (3). Componenda tamen exigitur quoties dispensatur ob causam, quae dicitur « ex certis rationabilibus causis » (n. 667 sq.).

In forma pauperum dispensat Dataria, quando in consanguinitate vel legitima affinitate dispensat cum vere pauperibus absque ulla compositione, vel cum fere pauperibus leviori tantum injuncta compositione, praeter id quod pro Datariae expensis ejusque officialium stipendio solvitur. Postremum hoc etiam vere pauperes solvunt (4), nisi ob magnam paupertatem a leviori quo-

(1) Cf. Pii VII breve 17 febr. 1809 ad epp. et vicarios capitulares Galliarum (ap. Moser, App. n. 17), Ben. XIV litt. 27 apr. 1743 et 14 januar. 1747 ad card. ep. Vratislaviensem (ap. Theiner, *Zustaende der kath. Kirche in Schlesien*, t. 2, Ratisb. 1852, App. docum. n. 44, 63). *Inst. eccl.* 87, n. 14 sq., Conrad. l. 7, c. 3, n. 12, l. 8, c. 5, n. 33 sqq., Scavin. t. 4, n. 700, Carr. n. 1128, *Comp.* n. 234, Bangen, *Die Roemische Curie*, § 128, Caillaud. n. 67 sqq., 235 sqq., Giovine, t. 2, p. 102 sqq., 109, 116.

(2) Cf. tr. Mechl. n. 98, Giovine, t. 2, p. 103, 112 sq. 114 sqq., *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 383 sq.

(3) Tr. Mechl. l. c. p. 513 haec habet : « Ubi affinitas orta est ex copula illicita, non exigitur componenda; neque exigitur in matrimoniis mixtis ratione fortunae partis acatholicae; neque etiam in dispensationibus super aliis impedimentis, ut cognationis spiritualis, publicae honestatis, voti, criminis, mixtae religionis. In his omnibus itaque non habetur ratio fortunae, quam necesse non est declarare; sed tantum solvendae sunt expensae postae, agentiae, expeditionis per officiales Datariae; et aliquando imponitur etiam eleemosyna facienda pauperibus, aut poenitentia praestanda. » Cf. etiam *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 382.

(4) Cf. tr. Mechl. App. p. 564 sq. 567.

que illa taxa liberentur, quo casu per S. Poenit. solet dispensatio dari. Olim Dataria in forma pauperum non dispensabat nisi ob causam infamantem, nempe ob copulam habitam ejusve suspicionem; hodie vero formam illam adhibet etiam in dispensationibus quae ob alias causas petuntur. Nihilominus stricte seu proprie loquendo dispensationes in forma pauperum, quibus peculiares nonnullae clausulae propriae sunt, illae sunt quas Dataria concedit ob copulam habitam ejusve suspicionem (1). Proprio enim et stricto sensu ita non dicuntur dispensationes, quae hodie in aliis etiam casibus conceduntur a Dataria cum exemptione, saltem ex parte, a taxa propter oratorum paupertatem (2), neque etiam S. Poenitentiariae dispensationes cum pauperibus (3); his enim omnibus non sunt propriae clausulae, quae in stricte dicta forma pauperum apponuntur, nec hujus in omnibus regulas sequuntur.

691. Dispensationem in forma pauperum tamquam vere pauperes illi soli ex Urb. VIII praescripto obtinent, qui pauperes et miserabiles existunt atque ex suis labore et industria tantum vivunt, id est qui, licet forsitan bona aliqua habentes, nihilominus ex his vivere nequeunt, sed ad vitam sustentandam labore quoque suo et industria indigent (4). Recentiori tempore Pii VI rescriptum a. 1788 ad archiep. Turonensem hanc normam praebuit : « Vere autem pauperes non utique alii aestimantur quam qui adeo miserabiles sunt ut labore manuum et industria tantum vivant; quo fit ut dispensatio in forma pauperum non aliter a Sede Ap. concedatur, quam si de paupertate dispensandorum

(1) Cf. *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 446, Ferrari, t. 2, n. 423, secr. S. C. C. in cit. *Dubia* cet. 28 junii 1873 (n. 651), Bangen, tit. 2, p. 213, Giovine, t. 2, p. 56 sq.

(2) Cf. Giovine, t. 2, p. 57, *Acta S. Sedis* l. c.

(3) Cf. n. 610, 695, *Acta S. Sedis* l. c. p. 447.

(4) Cf. Corrad. l. 8, c. 5, n. 4 sqq., de Justis, l. 1, c. 7, n. 85, Reiff. cit. App. n. 376, Kugler, t. 2. part. 4, n. 490 sqq., Caillaud, n. 270, Ferrari, t. 2, n. 423, tr. Mechl. n 98, ed. a. 1872, p. 510 sq.

constet ex proprii episcopi attestatione et ea quidem quae exarata sit juxta decretum Urbani VIII, quod nimirum oratores pauperes et miserabiles existant et ex suis laboribus et industria tantum vivant. Quia tamen illi etiam ita pauperes merito dici possunt qui aliqua possident bona, hinc non denegatur a S. Sede dispensatio in forma pauperum, etiamsi oratores bona in capitali possideant valoris scutorum 300 monetae romanae [aliquantum ultra 1500 fr.], si ipsa citra montes degunt, vel si ultra montes, valoris ducatorum auri de camera 300, summam attingentium scutorum 525 dictae monetae [aliquantum ultra 3000 fr.]. Quod si bona habeant ad quantitatem usque scutorum vel respective ducatorum mille auri de camera [aliquantum ultra 10,000 fr.], dispensatio nihilominus in forma pauperum conceditur, soluta tamen eleemosyna, quae vulgo componenda dicitur, scutorum quatuor pro quolibet centenario, quae S. D. N. memorat et vult vel eroganda esse in subsidium pauperum, vel ipsis dispensandis eleemosynae titulo remittenda, si nihilominus, eorum conditione inspecta, pauperes esse videantur. Amplius vero possidentibus dispensatio in forma pauperum non conceditur, sed sub altera forma. » Consona his est declaratio a. 1841 facta ill. Bouvier a rectoribus Datariae, juxta quam ultra montes ii reputandi sunt *vere pauperes*, quorum fortuna circiter 3000 fr. non excedit, ii vero quorum fortuna 10,000 fr. valorem non excedit, dicuntur *fere pauperes* (1).

Non sufficit alterutrum oratorem esse pauperem vel fere pauperem, sed uterque talis esse debet, et summae praedictae computantur simul consideratis utriusque partis facultatibus; excepto tamen casu mixtae Religionis, nam fortunae partis acatholicae nulla ratio habetur. Requiritur etiam Ordinarii de paupertate testimonium, non ad meram assertionem oratorum conficiendum. Summae autem praedictae intelliguntur de capitali liquide possesso, non gravato aere alieno vel hypotheca.

(1) Cf. Téphany n. 124.

Quamquam post Pium VI nulla nova norma prodiit, nihilominus hodie obtineri potest dispensatio in forma pauperum, licet oratores plus possideant quam pro fere pauperibus expressit Pius VI; non raro etiam cum talibus S. Poenitentiaria dispensat. Dubio hujusmodi existente, parochus statum fortunae approximative exponet Ordinario, ut is aut ex nota sibi praxi procedat aut et ipse statum exponat (1).

692. Quando oratores juxta normam supra indicatam *vere pauperes* sunt, sufficit dicere eos esse pauperes et miserabiles ac de labore manuum et industria tantum vivere. In Dataria autem tales non solvunt nisi leviorem taxam quae est pro illius officialibus et expensis, nisi ab ea quoque eximantur (2).

Quoad dispensationem in forma ordinaria pro plerisque regionibus non existit certa Componendae determinatio, praeter illam quae solvitur ob incestum in primo vel secundo gradu, quo praeterea casu, si malitiosa quoque intentio adfuerit, major compositio definienda est a Pro-Datario juxta vires supplicantium (3). In reliquis casibus Componenda ordinatur juxta circumstantias, maxime vero quando adhibetur forma nobilium, vel dispensatio petitur ob causam, quae vocatur « ex certis rationabilibus causis (4). » In non paucis dioecesibus offerri solet Componendae in

(1) Cf. Carr. n. 1129, Caillaud, n. 64, 66, 232 sqq., tr. Mechl. n. 98, ed. 1872 p. 511 sq., et supra n. 689 cit. responsio privata viri docti Romani praxi S. Poenit. assueti ad ep. S. Hippolyti a. 1868, ap. Vering, *Archiv*, t. 24, p. 5.

(2) Cf. Caillaud, n. 67 sq. 73, 232, 239 sub 3° et 4°, tr. Mechl. l. c. p. 510, App. p. 564 sq. 567. Sed in eodem tractatu, p. 510, de iis vere pauperibus qui in regionibus transalpinis ambo simul, deducto aere alieno et oneribus, non possident *in capitali* seu in re mobili et immobili tria millia francorum, haec leguntur : « His conceditur dispensatio apud nos per sacram Poenitentiariam gratis sine ulla componenda. Quare non aliae habentur expensae praeter id quod solvendum est pro posta et salario agentis, et summam 12 francorum non excedit pro nostra Dioecesi. »

(3) Cf. n. 607, Giovine, t. 2, p. 103 sq.

(4) Cf. n. 667 sq., Giovine, l. c. p. 104.

Dataria solvendae quantitas aut certo sufficiens aut ex judicio Ordinarii vel officialis, cui rerum status fuit expositus (1).

Forma pauperum pro *fere pauperibus* certam Componendae determinationem habet in cit. Pii VI rescripto; sed hodie determinari et offerri solet modo paulo supra indicato, nisi ex nota Datariae pro dioecesi praxi quantitas aliqua determinata existat, ab Ordinario vel officiali offerenda; parochus autem rerum statum huic exponit (2).

(1) Cf. Caillaud, t. 1, n. 67 sqq., 70, 223, 225, 239 sub 2°. tr. Mechl. l. c. p. 510 sq., App. p. 564.

(2) Cf. Caillaud, n. 69, 73, 232 sqq., 239 sub 3°. tr. Mechl. n. 98, p. 511 sq. App. p. 564, resp. Romana privata a. 1868 ad ep. S. Hippolyti, p. 5 (n. 689). In tr. Mechl. n. 98, p. 511, de fere pauperibus legitur: « Quando oratores non sunt ita pauperes, exigitur seu offertur aliqua componenda, quae olim per scutata (*écus romains*) computabatur, hodie vero per libellas (*livres, francs*) determinatur. Minima quae offerri possit in Dataria, est 20 libellarum pro dispensationibus secundi gradus, 25 libellarum pro dispensationibus primi et secundi gradus inaequalis, et 30 libellarum pro dispensationibus primi gradus: quibus addendo postae et agentiae expensas, hae simul assurgunt respective ad summam 32, 37 et 42 circiter francorum. Si haec solvere non valeant oratores, petitur dispensatio a S. Poenitentiaria cum minore componenda, ad Datariam ... transmittenda: attamen minima componenda quae in nostra Dioecesi offerri solet in hoc casu erat olim 3 scutatorum, nunc vero 16 libellarum: unde et tunc omnes expensae simul constituunt summam 28 circiter francorum. — Juxta memoratam Pii VI instructionem sic conceditur dispensatio in forma pauperum, sed cum aliqua componenda, iis qui possident ultra tria millia usque ad decem millia francorum, et *fere pauperes* dici solent. — Imo juxta instructionem Datariae anni 1842, Officiales in omnibus supplicis, in quibus pro componenda offerunt infra 15 scutata seu 81 circiter francos, semper utuntur formula *pauperes et miserabiles existunt*. Attamen si patratus non fuit incestus, datur dispensatio in forma ordinaria: si patratus fuit, datur in forma pauperum cum aliqua poenitentia et injunctione separationis, ultra componendam. Raro olim quando offerebatur ultra 15, numquam quando offerebatur ultra 18 scutata injungebatur alia poenitentia aut separatio, etiamsi incestus fuisset commissus: nunc autem in hoc casu illa imponi constat ex supra dictis. » Ib. p. 512 de Componenda seu taxa haec notantur: « Olim multo major taxa exigebatur, quam hodie. In instructione Pii VI pro fere pauperibus qui habent

695. Quum non solum pro forma ordinaria, sed et pro forma pauperum quando de fere pauperibus agitur, ex circumstantiis Componenda determinetur, imo interdum dubitetur an qui olim fere pauperes habebantur, nunc non possint merito vere pauperes haberi, status fortunae approximative est exponendus. In quo quidem, quamquam de capitali loquitur Pius VI, ratio est habenda annuorum quoque reddituum qui ex industria vel munere percipiuntur, observato discrimine quod est inter munera irrevocabilia et revocabilia. Ratio etiam aliqua habeatur necesse est eorum quorum possessio certo speratur; praesertim vero nequeunt simpliciter haberi pauperes vel fere pauperes ii, quorum genitores sunt in vivis et rerum copia gaudent (1). Nec imprudens

ultra 3000 francos, determinatur eleemosyna solvenda 4 scutatorum, seu 21 francorum cum dimidio pro singulo centenario, id est, quoad regiones transalpinas, pro centenario aureorum seu 1000 circiter francis; adeoque possidentes 4000 circiter francos solvebant 16 scutata, seu 86 circiter francos, quae tamen ipsis dispensandis remitti poterant titulo eleemosynae, si, ut dicit Pontifex, *eorum conditione inspecta, pauperes esse videantur*. Nunc vero iidem apud nos solvunt tantum, ultra expensas, 16 libellas, et pro singulis millenis francis, quos ultra habent, circiter 2 francos cum dimidio. »

(1) Cf. n. 657, Giovine, t. 2, p. 59 sqq., 65 sq., responsio Romana privata a. 1868 ad ep. S. Hippolyti, q. 3 (n. 689), tr. Mechl. p. 512, ubi haec habentur : « Etsi in instructione Pii VI tantum mentio fiat de iis quae oratores *in capitali* possident, aequitas postulat, ut in determinatione fortunae non solum habeatur ratio capitalis, quod quis actu possidet, sed etiam emolumentorum quae ex locupleti industria aut ex officio indies acquirit, si nimirum ingentia illa sint, et necessariam sustentationem multum excedant; uti contingere potest in belli ducibus, regiis ministris, advocatis, medicis etc. Etiam habenda est aliqua ratio fortunae, quam quis non *in re*, sed *in spe* habet : si nimirum illam certo expectet ex haereditate patris, avi etc. Haec sane non tanti aestimanda est, ac si in re haberetur, sed penitus negligi non debet : filius enim patris praedivitis pauper reputari non potest. » De expositione status fortunae vid. etiam Carr. n. 1129, Caillaud, t. 1, n. 3, 5, 10, 54-62, 64-66, 223, 225, 232-234, 273, tr. Mechl. n. 99, p. 519, App. p. 564, 566, Kutschker, t. 5 § 320, 328, 342, Bangen, tit. 2, p. 209 sqq.

ter nec scrupulose nec odiosa investigatione procedendum est, sed approximative ex morali certitudine habita saltem per notorietatem vel idoneos testes.

Praefatae proprie dictae Componendae accedit, juxta passim notata, aliquid solvendum pro Datariae officialibus ejusque expensis (1); accedunt insuper expensae non respicientes ipsam Datariam, nempe postales et pro agente Romae adhibito; sed iis, qui nec eas ferre possunt, solent parochi et Ordinarii succurrere (2). Utrum unus tantum an vero uterque orator ferre expensas debeat, ex circumstantiis pendet (3). Quae autem de solutione facienda in hac paragrapho dicimus, ea dicuntur independenter ab eleemosyna in literis dispensationis interdum injuncta.

694. Hactenus de Dataria. In S. Poenitentiaria omnia expediuntur gratis absque ulla Componenda vel expensarum taxa, ejusque officiales nihil, licet sponte oblatum, accipere possunt et jurejurando se ad hoc obligant (4).

Quando itaque pro foro conscientiae dispensat S. Poenit., aliae non habentur expensae nisi postales et Agentis Romae forsitan adhibiti, quae in dioecesi Mechliniensi ad 12 circiter francos ascendunt (5). Si tamen ad S. Poenit. recurratur propter occul-

(1) Quomodo et quandonam solvantur componendae et expensae in Dataria faciendae, vid. ap. Caillaud, n. 3. 72, 243 sq., tr. Mechl. App. p. 564 sq. 567.

(2) De his expensis vid. passim supra. Caillaud, n. 68, 73. 225. 239 sub 4°. 241 sub 1°. 242, Giovine, t. 2, p. 104, 115. tr. Mechl. n. 98 passim. De aliis nonnullis expensis agit Caillaud, n. 236 sq. 240 sq. 244, sed quaedam ibi habentur quibus consentire non possumus, et circa quae consule potius S. C. Ep. et Reg. in *Gerunden.* 25 oct. 1588, S. C. C. in *Vicen.* 8 mart. 1602 (ap. Fagn. in c. *In ordinando,* De Simonia), S. C. C. in una *Dubia super executione dispensationum matrimonialium* 16 dec. 1786, 20 januar. 1787 (*Thes. S. C. C.* t. 55 et 56).

(3) Cf. Corrad. l. 7, c. 5, n. 103 sqq., de Justis, l. 1, c. 3, n. 70 sqq., Carr. n. 1159, Caillaud. n. 72, 244 in fine, Giovine, t. 2, p. 107 sqq.

(4) Cf. Ben. XIV. *Inst. eccl.* 87, n. 30, *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 127, 382 sqq., tr. Mechl. n. 98, Giovine, t. 2, p. 105 sq.

(5) Cf. tr. Mechl. n. 98, p. 508, 510. De his expensis cf. etiam Cail-

tum incestum vel occultam malitiosam intentionem, cujus mentio facta non fuit in supplicatione ad Datariam (n. 689) pro dispensatione in primo vel secundo gradu, et Datariae dispensatio sit in forma ordinaria, S. Poenit. injungit taxam indicatam n. 607, ne Dataria, ad quam illa transmittitur, defraudetur (1). Quoties pro foro externo cum pauperibus dispensat S. Poenit., ob eamdem rationem injungit levem, quam ad Datariam transmittit, taxam, a qua tamen oratores vere pauperes saepe eximuntur, quod de hisce regionibus supra fuit notatum (2). Taxa etiam injungitur in casibus extraordinariis, in quibus a S. Poenit. dispensatur (3). De expensis postalibus et Agentis Romae adhibiti passim supra diximus (4).

Post haec omnia de taxis exposita animadvertendum est, in locis S. C. de Prop. Fide subjectis solere dispensationes, inter media hac S. C., absque taxis a S. Sede largiri (5).

695. Sive a Dataria sive a Poenitentiaria petatur dispensatio, peccant qui fictam paupertatem allegant vel destinato consilio errorem committunt in expositione fortunae vel taxae designatione; sed de dispensationis validitate auctores diversa sentiunt (6). Imprimis observandum est in hac quaestione separatim

laud, n. 164 in fine, 239 in fine, 241 sub 1°, 396. *Acta S. Sedis* l. c. p. 126 sqq. 382 sqq.; saepe feruntur ab Ordinario.

(1) Cf. inf. § 3 sub 8°, Ben. XIV, *Inst. eccl.* 87, n. 14-19, Giovine, t. 2, p. 37 sq. 81, 82 sq. 88 sq. 105 sq.

(2) Cf. n. 692, *Acta S. Sedis* l. c. p. 382 sqq., Caillaud, n. 244, Giovine, t. 2. p. 99, 104 sq., responsio Romana privata a. 1868 ad ep. S. Hippolyti, p. 5 (n. 689), tr. Mechl. n. 98 passim.

(3) Cf. n. 610, Giovine, t. 2, p. 99.

(4) De Agentibus forte adhibitis penis S. Poenit. omnino merentur consuli *Acta S. Sedis* l. c. p. 382 sqq., Giovine, t. 2, p. 101, 104-106. De aliis nonnullis expensis, quas exigi permittit Caillaud. n. 240, 241 sub 2°, 242, recole quae diximus p. 671 not. 2.

(5) Cf. van de Burgt. *De disp.* n. 55, 65, et *Responsa ad quaestiones conferentiarum Buscoducensium a.* 1873, Gestel S. Michaelis, p. 386.

(6) Cf. Corrad. l. 8, c. 6, n. 68 sqq., de Justis, l. 1, c. 7, n. 72 sqq.,

esse considerandas dispensationes, quas Poenitentiarius Major vi hodiernarum facultatum pauperibus concedit in foro externo (n. 610), et alias fori externi dispensationes.

Quod ad has attinet, communissima hodie doctrina est, diversis etiam nixa S. Sedis ejusve officialium declarationibus, supplendum quidem esse, sed valere dispensationem, sive concessam in forma ordinaria, de qua ita responderunt officiales Datariae 7 mart. 1851 (1), sive in forma pauperum tam stricte ac proprie quam latius ita dicta (n. 690), ut colligitur ex S. C. C. in una *Dubium legitimationis* 9 sept. 1679 (2), S. Poenit. 7 aug. 1852,

Kugler, t. 2, part. 4, n. 494 sqq., S. Alph. *Hom. Ap.* tr. 18, n. 87, Scavini, t. 4, n. 700, Gousset, t. 2, n. 866, Carr. n. 1129, *Comp.* n. 245, de Saint-Exupéry, p. 26 sqq., Caillaud, n. 271-275, Bangen, tit. 2, p. 212 sqq., van de Burgt, *De disp.* n. 95, tr. Mechl. n. 99, p. 520, Gury ed. Ballerin. t. 2, n. 879, Giovine, t. 1, p. 175 sq., t. 2, p. 181 sqq., secr. S. C. C. in cit. *Dubia* cet. 28 junii 1873 (n. 651), *Nouv. rev. théol.* t. 5, p. 463 sqq., *Anal. jur. Pont.* ser. 6, col. 2193 sqq.

(1) Ap. Caillaud, n. 271.

(2) L. 30 decr. fol. 407, ap. secr S. C. C. in *Granaten. Vis. SS. LL. seu Dubium validitatis dispensationis matrimonialis* 18 apr. 1863 (*Thes. S. C. C.* t. 122), qui textum refert, secr. S. C. C. in cit. *Dubia* etc. 28 junii 1873 (n. 651), Monacelli, *Formul. leg. pract.* t. 2, tit. 16, form. 2, n. 33. Textus a. 1679 is est : «*Dubium legitimationis.* Coram judice laico in regno Neapolis pendet controversia super quadam successione seu fideicommisso pro cujus terminatione praedecidenda sunt duo infrascripta dubia. Ann. 1617 F. C. publico instrumento contraxit sponsalia cum consanguinea in secundo gradu ex latere paterno, constituta dote ducator. sept. mill. in tot censibus ex pecuniis, facta etiam donatione propter nuptias ipsi F. C. sponso ab ejus patre in summa ducatorum decem mil. ac insuper obligatione solvendi quantum fuisset necessarium ad obtinendam Apostolicam dispensationem. Postmodum ipsi sponsi filios incestuoso concubitu genuerunt et anno 1632 dispensationem cum prolis legitimatione a Sede Apostolica obtinuerunt in forma pauperum, immo allegata paupertate pro causa dispensationis. Cum hac dispensatione matrimonium fuit contractum, firma eadem dote ac etiam donatione propter nuptias realiter habitis ac potius excessivis quam modicis pro qualitate personarum et loci. Defunctis jam conjugibus et exorta lite supradicta, Didacus Cavalli supplicat declarari. — I. An in eo casu expresso Apostolica dispensatio et prolis

3 dec. 1852 (1). Difficultates, quae moveri possunt ex responsis S. Poenit. 4 jul. 1834, 24 febr. 1836, 13 jul. 1853, 23 apr. 1854, opinatur Caillaud (2) non probare invaliditatem. Major quidem difficultas est, si dispensationi inserta legantur verba : « Dummodo ipsi pauperes ac miserabiles existant, » vel : « Dummodo ipsi praeter supradicta bona nihil aliud habeant, neque sperare possint, » quae pro fere pauperibus saepe adhibentur. Invalidam isto casu dispensationem dicit Caillaud (3), et antiquiores quoque auctores dicere solebant, sed alii recentiores (4) tuentur validitatem, quia paupertas neque est causa finalis neque impulsiva dispensationis, sed tantum ratio ob quam remittitur Componenda, et clausulae illae ponuntur tamquam praeceptum ad tutanda jura Datariae datum delegato, qui exequi licite nequit si, verificatione facta, falsitatem detexerit, sed debet, tempore suppetente, denuo recurrere, vel, si id fieri nequeat, saltem exigere debitam solutionem. Quamdiu S. Sedes hanc controversiam non decidit, existimamus contractum jam matrimonium posse haberi pro valido, eoque nondum contracto dispensationem pro valida posse haberi, si tempus contrahendi urgeat. At ante executionem verificari debent exposita (c. 34 § 2), et, falsitate notabili detecta, differri executio ac, tempore suppetente, denuo recurri, vel certe, si id fieri nequeat, debita exigi solutio. Semper enim pro viribus est

legitimatio fuerit valida, ut in forma pauperum et ex causa paupertatis falso narrata. II. An sub eadem hypothesi allegabilis sit bona fides matrimonii recte contracti ut proles praecedenter suscepta censenda sit legitimata — Et Sac. Congregatio censuit rescribendum — Dispensationem fuisse validam, et prolem legitimam —. » In cit. *Granaten.* ad dubium : « An Apostolica dispensatio in forma pauperum obtenta censenda sit valida in casu, » respondit S. C. : « Dilata » ; causa autem non fuit reproposita.

(1) Ap. Caillaud n. 274 sq., qui n. 274 memorat etiam alicujus officialis Datariae testimonium a. 1854.

(2) N. 274; cf. *Acta S. Sedis*, t. 5, p. 27 sq., t. 7, p. 429.

(3) N. 273 sub 2°.

(4) Inter quos Giovine, t. 2, p. 181 sq.; cf. etiam *Acta S. Sedis* ll. cc.

supplendum, quando notabilis differentia est; quod pariter, si fieri possit, faciendum est, quando inter supplicationem et fulminationem magnum fortunae incrementum accessit.

A dispensationibus hucusque consideratis magnopere differunt illae, quas hodie Major Poenitentiarius vere pauperibus concedere potest pro foro externo; in iis enim non mere agitur de quadam forma dispensationum, quae in alia quoque forma potuissent a concedente largiri; sed de determinata classe personarum, cum quibus solis dispensare Major Poenitentiarius potest; id est, non agitur de quaestione formae, sed de quaestione facultatis (1). Verissimum quidem est (2) ea, quae supra dicta fuerunt de indultis interdum concessis Ordinariis dispensandi tantum cum pauperibus (n. 632 sub *b*), confundi non posse cum facultatibus Majoris Poenitentiarii, quum sciri nequeat an is manum non ampliaverit ex ipsius Pontificis concessione, ideoque numquam posse praesumi dispensationes ex parte Majoris Poenitentiarii esse nullas. Ex parte vero oratorum id sive bona sive mala fide contingere potest, et licet, ut nulla sit dispensatio, ex eorum parte « intervenire debeat certa et substantialis obreptio et subreptio (3), » si tamen certo haec adsit, dispensatio videtur invalida defectu facultatis in Majori Poenitentiario (4), haecque conclusio videtur conformis causae S. C. C. in saepius cit. *Dubia* cet. 28 junii 1873 (n. 651), et praxi S. Poenit. in ea expositae.

696. Quodsi episcopus sive ex indulto sive quasi ordinaria potestate dispenset pro foro conscientiae, dispensationem ejusmodi absque ulla taxa esse concedendam passim notant omnes (5). Facultates autem quinquennales fori externi debent exer-

(1) Cf. secr. S. C. C. in cit. *Dubia* cet. 28 junii 1873 (n. 651).

(2) Cf. *Acta S. Sedis*, t. 7, p. 430 sq.

(3) *Acta S. Sedis* l. c.

(4) Cf. Caillaud, n. 273 sub 1°, *Nouv. rev. théol.* t. 5, p. 465 sqq.

(5) Cf. Caillaud, n. 164 sub 4°, 398, van de Burgt, *De disp.* n. 65, qui aliquam adhibet restrictionem.

ceri « gratis, et sine ulla mercede (n. 618), » similisque clausula in aliis pro foro externo indultis legi solet; quapropter imprimis quidem certo excluditur quaevis solutio in commodum dispensantis, idque de dispensationibus etiam quasi ordinaria potestate concessis affirmandum est (1). Etiamsi autem episcopus in consanguinitate vel legitima affinitate cum non pauperibus, sive ex indulto sive quasi ordinaria potestate, dispenset, formae tamen ordinariae et pauperum diversitas non existit pro dispensationibus episcopalibus, nec locus est proprie dictae Componendae nec taxae pro officialibus Datariae (2). Sunt nihilominus auctores, qui docent posse Ordinarium taxam aliquam imponere, non in suum suorumve favorem, sed piis operibus impendendam. Diversa etiam est dioecesum praxis; in aliis ab omni hujusmodi taxa abstinetur, sed levis aliqua fit solutio pro cancellariae episcopalis expensis; in aliis occasione consanguinitatis et legitimae affinitatis solvitur taxa comprehendens modo dictas expensas et reliquam partem piis operibus adhibendam; in aliis ea solvitur in omnibus fori externi dispensationibus matrimonialibus; imo in variis ex secundo et tertio loco memoratis dioecesibus solet status fortunae approximative exponi (3). At nullam saltem posse recipi Componendam seu taxam, etiamsi piis operibus impendendam, pluries Sedes Ap. declaravit (4); opus igitur foret Ap. indulto.

(1) De executione dispensationis Ap. vid. n. 737.

(2) Notari hic meretur discrimen inter facultatem revalidandi concessam episcopis (n. 622, 623, p. 536) et concessam Majori Poenitentiario (n. 607, 694).

(3) Varie de his omnibus scribitur; cf. S. Alph. de primo praec. decal. n. 96, Caillaud, n. 68, 70-73, 341, argumento invalido hic illic utens. tr. Mechl. n. 98, p. 513, App. p. 560, van de Burgt, *De disp.* n. 55; cfr. etiam quae allegavimus p. 671, not. 2, et praesertim ibi citatae resolutiones SS. Congregationum Romanarum.

(4) Vid. S. Off. 6 apr. 1669, ap. *Anal. jur. Pont.* ser. 2, col. 1814. Giovine, t. 2, p. 107, quem cf. ib. p. 106 sq. 112; vid. etiam Ben. XIV const. *Cum Venerabilis* 27 januar. 1757 (*Bull. Ben. XIV*, t. 4. const. 66, ed. Mechl. vol. 12, p. 121), qua confirmavit decr. S. Off. 29 jul. 1756. S. C.

Quae hucusque diximus, ea non excludunt eleemosynam interdum ab episcopo ex tenore indulti vel praxi Sedis Ap. imponendam; videri quidem potest etiam extra hos casus eleemosynam directe ab ipsis oratoribus erogandam posse ab episcopo imponi, sed id quoque esse negandum colligitur ex S. C. de P. F. literis a. 1868 ad episcopos Americae septemtrionalis paulo supra citatis, et ex S. C. de P. F. 8 dec. 1869 (1).

§ 3. *De exprimendis in libello supplici.*

697. De iis, quae exponi debent a parte causarum, de forma supplicationis juxta eas concipienda, et de parochi testimonio supra diximus (2). Alia multa, licet causam non concernentia, sunt jubente sive jure communi sive stylo et praxi Sedis Ap. exprimenda, discrimine tamen observato inter Datariae vel Poenit. dispensationes fori externi, et Poenit. pro foro conscientiae dispensationes. Quum autem episcopus vel alius vi indulti dispensans teneatur servare non solum ea quae jus commune, sed ea quoque quae Sedis Ap. stylus et praxis observat, ejusmodi dispensationi applicantur quae de Dataria et Poenitentiaria dicentur. Die 1 maii 1858 proposita S. Poenitentiariae fuerunt dubia quae

de Prop. Fide in Instr. II, seu speciali, 24 januar. 1868, circa quaedam decreta conc. plenarii Baltimoren. II a. 1866, sub 3° haec scripsit : « Cum vero EE. PP. animadverterint, non obstantibus expressis Ap. Sedis prohibitionibus in formulis facultatum contentis, disputatum fuisse inter Concilii Patres, an in concedendis dispensationibus matrimonialibus aliquae taxae exigi valeant, et praesertim cum putent easdem alicubi de facto exigi solere, mandarunt ut omnibus Episcopis istarum regionum inculcetur memoratae praescriptionis observantia, qua pro dispensationibus ab impedimentis matrimonii pecuniam nullo omnino titulo accipiendam esse jubetur; iis tantum exceptis casibus, in quibus Ap. Sedes eleemosynam oratoribus injungendam monet, in pium aliquod opus impendendam. »

(1) Ap. *Collectanea... ad usum operariorum Ap.* n. 1026.

(2) Vid. c. 31, c. 32, § 1; cf. Giovine, t. 2, p. 10 sqq. 74 sqq. 86 sq. 90 sqq.

sequuntur (1) : « N. officialis dioecesis N. humillime Eminentiae Vestrae exponit in sua illa dioecesi omnes fere parochos arbitrari non necessario observandas esse regulas Curiae Romanae, quando episcopus, vi indulti cujusdam Apostolici, in impedimentis matrimonium dirimentibus dispensat, neque etiam tunc sub poena nullitatis exprimendam esse copulam incestuosam ab oratoribus admissam. Ea praxis plurimum angit dictum officialem. Quare humillime etiam atque etiam supplicat Eminentiae Vestrae, ut explicito S. Poenitentiariae responso sequentia duo dubia quam primum e medio tollere dignetur. Petitur ergo : I. An episcopus, quando, vi specialis cujusdam indulti Apostolici, in aliquo impedimento matrimonium dirimente dispensat, necessario, et ad valorem dispensationis, sequi debet easdem illas regulas quas in Curia Romana observant ubi ipse Summus Pontifex in eodem impedimento, iisdemque impedimenti gradibus, dispensat? II. An copula incestuosa, quae inter dispensandos consanguineos aut affines in tertio vel quarto gradu tantum, vel etiam inter cognatione spirituali conjunctos, intercessit, necessario et ad valorem dispensationis est exprimenda, quando in iis consanguinitatis, affinitatis vel cognationis spiritualis impedimentis non ipse Summus Pontifex immediate, sed episcopus vi specialis cujusdam indulti, quod a Summo Pontifice est adeptus, dispensationem impertitur? Si affirmativa detur ad utrumque dubium responsio, supplicat humillime praefatus officialis Beatissimo Patri, ut omnia matrimonia quae ob duplicem illum defectum, in supradicta dioecesi invalide forent contracta, plenitudine Ap. suae potestatis in radice sanare dignetur. » Die 1 junii 1858 : « S. Poenit., mature perpensis expositis, ad utrumque propositum dubium respondet, affirmative. Ad matrimonia autem quod attinet, quae vigore dispensationis sic uti praefertur impertitae contracta fuerunt, eadem

(1) Ap. *Rev. cath.* t. 16, p. 748. Vid. etiam Instr. S. C. de P. F. a. 1877 in fine.

S. Poenit., de speciali et expressa Ap. auctoritate, dilecto in Christo officiali oratori facultatem concedit eadem matrimonia in radice sanandi et consolidandi, prolesque, sive susceptas, sive suscipiendas, legitimas decernendi et renunciandi. Praesentes autem litterae, cum attestatione impertitae executionis, in cancellaria episcopali caute ac diligenter pro quocumque eventu futuro custodiantur. Contrariis quibuscumque non obstantibus. » Ad Componendam tamen et formae pauperum ab ordinaria diversitatem praedicta non referuntur (1).

Quoties vero episcopus dispensat potestate quasi ordinaria, communiter tradunt auctores praestare quidem ut stylum et praxim Sedis Ap. sequatur, necessarium tamen non esse, sed sufficere ut ea quae jure communi praescribuntur observet, ideoque haec sola debere exprimi, nisi alia quoque ipse episcopus pro valore exprimenda statuerit. Jure autem communi exprimi necessario debere quae negotii gravitatem planam faciunt, impedimenti naturam et multiplicitatem, causam obtinendae dispensationis, varias circumstantias eam difficiliorem reddentes. Hoc tamen ipso quoad pleraque reducimur ad ea quae Sedis Ap. stylus et praxis continent, et patet imprimis quidem consulendum omnino esse ut haec serventur etiam pro potestate quasi ordinaria, atque in supplicatione exprimantur, eo vel magis quod circa nonnulla sit difficillimum determinare sintne Curiae Romanae stylo et praxi tantum an vero etiam jure communi praescripta. Praeterea difficile concipitur episcopum vi indulti dispensantem teneri observare stylum et praxim S. Sedis, non vero quando ex tacito Rom. Pontificis consensu dispensat (2).

698. 1° Pro dispensatione fori externi, tam in Poenitentiaria quam in Dataria, exprimi debent nomina et cognomina orato-

(1) Erronee ex praefata regula deducit Caill., n. 341, episcopum posse exigere Componendam.

(2) Cf. Giovine, t. 1, p. 645 sq. 653.

rum (1), quae scribantur clare et literis consequentibus, non abbreviata nec truncata nec diminutiva. Instr. S. C. de P. F. a. 1877 dicit : « *Nomen et cognomen* Oratorum, utrumque distincte, ac nitide ac sine ulla litterarum abbreviatione scribendum. » Error autem in nomine vel cognomine non vitiat, si est error literae vel syllabae vel nominum transpositio vel unius tantum nominis expressio. Sunt qui dicant etiam extra hujusmodi aliquem casum errorem ex ipso quoque stylo Curiae non vitiare, nisi de personis non habeatur certitudo (2); indulta autem convalidandi quae episcopis interdum conceduntur satis explicari per casum incertitudinis personarum, necessitatem etiam novi recursus et obtinendi literas *Perinde valere* non probare nullitatem rescripti, sed ex praxi Datariae requiri ad praecavendas fraudes (3). Plerique vero docent errorem vitiare etiamsi de personis constet, idque non quidem jure communi sed ex stylo Curiae; his favere videntur supradicta indulta (4) et certo favet cit. Instr. S. C. de P. F. a. 1877. Detecto errore, recurrendum est pro convalidatione; episcopus autem, munitus convalidandi facultate, casu erroris ex parte oratorum culpabilis imponet culpabili ea, quae indultum imponenda praescribit (5). Si error nominis vel cognominis in sola Ordinarii

(1) Cf. Corrad. l. 2, c. 2, n. 11 sqq., l. 7, c. 5, n. 2-23, Reiff. cit. App. n. 210-212, Carr. n. 1169, *Comp.* n. 259, Caillaud, n. 93, 121, 125, 253, 348, de Saint-Exupéry, p. 21, van de Burgt, *De disp.* n. 90, Bangen, tit. 2, p. 201 sq., tr. Mechl. n. 99 init., Gury ed. Ballerin. t. 2, n. 875, *Casus* ed. 1866, t. 2, n. 1058, Giovine, t. 2, p. 5 sqq. 88, 200 sq. Téphany, n. 179, 388, Planchard, n. 156.

(2) De Justis, l. 1, c. 4, n. 54 sqq., c. 6, n. 107, cum nonnullis aliis propugnat nominum et cognominum expressionem non requiri ad valorem nisi pro forma pauperum.

(3) Cf. hac de re exposita ap. *Acta S. Sedis*, t. 5, p. 27, t. 7, p. 429.

(4) Exempla habes sup. p. 536 sq., et ap. Bangen, tit. 2, p. 162, Giovine, t. 2, p. 6. Inter recentiores auctores invaliditatem praesertim tuetur Giovine ll. cc., imo dicit « indubitanter affirmamus. » Cf. etiam *Nouv. rev. th.* t. 10, p. 37 sq.

(5) Cf. indulta citata in nota praecedente, Caillaud, n. 348 sub 6°.

fulminatione occurrat, et de personis constet, valet dispensatio; scribatur tamen pro correctione.

Pro Poenit. dispensante in foro conscientiae tacentur nomina et cognomina (p. 664 not. 2), ponunturque aut nomina ficta aut litera N., et hoc quoque servandum quando episcopus pro foro conscientiae dispensat.

699. 2° Pro foro externo, tam in Poenit. quam in Dataria, exprimi debet nomen dioecesis vel dioecesum oratorum (1). Ratio est in praxi S. Sedis dispensationem committendi Ordinario oratricis, praesertim Ordinario originis; quamquam autem hodie intermedio Ordinario recurritur, ideoque non debet necessario exponi dioecesum originis et domicilii vel quasidomicilii diversitas, utiliter tamen additur (n. 686). Si expositum fuisset oratricem esse dioecesis N., et haec non esset dioecesis originis sed actualis domicilii, exequi posset Officialis dioecesis N., potius tamen exprimatur non esse dioecesim originis, sed actualis domicilii (2). Error substantialis in nomine dioecesis, licet non in supplicatione sed in literis Apostolicis occurrens, generaliter vitiat dispensationem; nam per errorem tunc committitur Ordinario cui Sedes Ap. eam revera committere non intendit; quae tamen nullitas hodie rarius contingit, quia intermedio Ordinario recurritur (n. 686); hinc etiam intelligitur multo severior antiquorum auctorum loquendi modus. In S. C. de P. F. Instr. a. 1877 inter alia pro valore exprimenda dicitur : « *Dioecesis originis* vel *actualis domicilii*. Quando Oratores habent domicilium extra dioecesim

(1) Variam auctorum doctrinam vid. ap. Corrad. l. 7, c. 5, n. 24 sqq., de Justis, l. 1, c. 4, n. 66 sqq., c. 6, n. 114 sqq., Reiff. cit. App. n. 213, Carr. n. 1163, *Comp.* n. 254 sq., van de Burgt, *De disp.* n. 90, Bangen, tit. 2, p. 201 sq., tr. Mechl. n. 99 init., Caillaud, n. 2, 122, 125, 224, 255, ubi plures casus distinguit, Giovine, t. 2, p. 8 sq. 88, 200 sq., Téphany n. 390, Planchard, n. 157 sq., 179 sq., 296.

(2) Vid. Planchard n. 182 sq. ubi citatur responsio correctoris Datariae a. 1878, et S. Poenit. 6 dec. 1880.

originis, possunt, si velint, petere, ut dispensatio mittatur ad Ordinarium dioecesis, in qua nunc habitant. »

Circa errorem in ipso rescripto occurrentem plures casus distingui possunt cum Caillaud (1). *a*. Si literae Datariae in ipsa inscriptione, ex. gr. « Dilecto filio officiali ven. fratris Nostri episcopi N., » veram dioecesim non exprimunt, etiamsi expressam in supplicatione, exequi dispensationem nequit officialis qui supplicationem Romam transmisit, si merito possit judicare Sedem Ap. destinato consilio aliam dioecesim memorasse, ex. gr. dioecesim vicinam sede episcopali vacante, vel dioecesim oratricis; in ejusmodi casu fieri potest executio ab eo cui in altera dioecesi dispensatio committitur. Si vero ita judicandi ratio non existat, sed per merum curialium errorem alia dioecesis expressa credi debeat, non potest ab eo cui literae committuntur earum fieri executio, etiamsi sit officialis oratoris. Sunt tamen qui putent exequi posse officialem qui supplicationem Romam transmisit, dummodo oratorum identitas dubia non sit. Horum opinioni manifesto favet Caillaud, immerito tamen, nisi in casu evidentissimi in scribendo erroris, ut si pro dioecesi Bituricensi poneretur Burgensis. *b*. Quando literae Datariae errorem in dioecesi habent in narrativa supplicationis, ex. gr. « Oblata Nobis pro parte dilectorum filiorum N. et N. dioecesis N., » tradit Caillaud non vitiari dispensationem, si falsa indicatio non provenit ab oratoribus sed a parocho vel officiali vel agente vel curialibus, dummodo constet de identitate oratorum. Verumtamen, ut hoc admittatur, necesse est in inscriptione vera oratricis dioecesis exprimatur; secus enim deest Pontificis committentis voluntas. Errore autem proveniente ab oratoribus, iterum distinguit Caillaud. Si expresserunt veram oratricis sed falsam oratoris dioecesim, sive bona sive mala fide egerint, valida est dispensatio; si

(1) N. 255. Generaliter de errore non proveniente ab oratoribus cf. inf. c. 33. coll. n. 702.

falsam dioecesim oratricis, invalida est dispensatio licet bona fide egerint, idque non tantum multo probabilius dicatur cum eodem auctore, sed certum. Si in utriusque dioecesi errorem commiserunt, rursus propter eamdem rationem non probabiliter tantum sed certo invalidae literae sunt. Quum in his omnibus ratio habeatur necesse sit dioecesis in literarum inscriptione expressae, revera videtur ad hanc potius quaestio reduci, et quum hodie mittatur dispensatio ad ipsum Officialem cet., huic revera executio committitur si vera dioecesis fuit expressa in inscriptione. Quare praefatae hypotheses et distinctiones potius videntur pertinere ad olim servatum modum dispensandi seu dispensationem transmittendi.

Pro literis S. Poenit. fori externi nullam posse hujusmodi difficultatem oriri tradit Caillaud, quum non habeant inscriptionem, et dioecesis non memoretur nisi in supplicatione initio rescripti relata, commissio autem fiat simpliciter « proprio oratorum Ordinario. » Etiamsi itaque detegatur falsa in libello supplici expressa oratricis dioecesis, sufficere ut Ordinarius, quo intermedio transmissa fuit supplicatio, literas pro executione ad verum Ordinarium dirigat. Equidem opinor pro valore literarum debere oratricis Ordinarium esse eum, cujus dioecesis in supplicatione refertur; nihil tamen interest utrum sit Ordinarius originis an vero domicilii (cf. n. 731 et 732 sub *a*).

Dioecesis oratorum mentio non fit in supplicatione ad S. Poenit. pro foro conscientiae; fit tantum expressio dioecesis ad quam petitur mitti dispensationem.

700. 3° Loci originis vel domicilii oratricis vel oratorum indicatio necessaria non est, nisi quando in foro externo recurritur propter angustiam loci vel locorum, vel propter locum *Ad littus maris*, vel propter periculum fidei in loco ubi multi sunt haeretici; tunc autem est necessaria quia causam finalem respicit (1).

(1) Cf. n. 651 sqq. 666, Conrad. l. 7, c. 5, n. 30 sqq., de Justis, l. 1, c. 4, n. 60 sqq., c. 6, n. 125 sqq., Giovine, t. 2. p. 10, 88, 201, 206 sqq.

Parochus tamen Ordinario supplicationem exponens semper testatur oratricem vel oratores esse suos parochianos, ut Ordinarius sciat recursum fieri per parochum sponsae vel cur aliter fiat.

701. 4° Quod spectat ad oratorum qualitates, imprimis quidem uterque intelligitur catholicus (1), quod igitur praestat quidem, necesse tamen non est exprimere; sed uno existente acatholico, necessario id exprimi debet et solius catholici nomine supplicatio instituitur (n. 687).

Aetatis indicatio non requiritur nisi quando est causa finalis, et tunc etiam sufficit exprimere oratricem 24 annos completos habere seu 25 attigisse (n. 664). In nonnullis tamen dioecesibus aetas semper solet exprimi. Scribunt nonnulli (2) Datariam exigere mentionem aetatis quando dispensatio petitur in consanguinitatis vel legitimae affinitatis gradu secundo tangente primum, vel in cognatione spirituali inter levantem et levatam et vice versa. Imo fertur (3) Dataria a. 1858 plures officiales monuisse utriusque oratoris aetatem esse exprimendam, quando a Dataria petitur dispensatio ob quamcumque causam honestam; quod tamen non potest dici pro valore requiri. Aetatis mentionem non requirit Instr. S. C. de P. F. a. 1877, nisi quando affertur causa aetatis superadultae. Error in aetate eo casu irritat, quo in causam adducta revera non excedit 24 annos completos, etiamsi bona fide actum fuerit (4).

Viduitatis mentio necessaria non est, nisi quando allegatur causa pro oratrice filiis gravata (n. 663); in quibusdam tamen dioecesibus in aliis quoque casibus fieri solet.

Probitatis expressio non requiritur; imo si expressa fuerit vel in literis Apostolicis memoretur, et revera non existat, valori nihil detrahitur (5).

(1) Cf. Giovine, t. 1, p. 296 sq., t. 2, p. 10.
(2) Cf. Caillaud, n. 11, 226 sub 2°, Téphany, n. 203, Planchard, n. 141
(3) Cf. tr. Mechl. n. 99 init.
(4) Cf. Caillaud, n. 267 sub 1°.
(5) Cf. n. 672, de Justis, l. 3, c. 12, n. 10 sq., Giovine, t. 2, p 227 sq.

Expressio qualitatis familiae (1), sintne nempe oratores ex honestis familiis vel nobiles vel de nobili genere procreati vel illustres vel ex principalibus seu principalioribus loci, necessaria non est nisi quando allegatur in causam finalem (ex. gr. n. 669 sqq.), et, ut cum pluribus opinamur, quando dispensatio petitur ex causa quae dicitur « ex certis rationabilibus causis (n. 667 sq.). » Qualitatis tamen expressio fieri potest, et cum non minimo interdum effectu, ex. gr. in causa angustiae loci ad effugiendam clausulam *Et si extra* (n. 651, 654), imo generatim tum in causa angustiae loci tum in aliis causis, et pro dispensatione in gradibus propinquioribus (n. 653 sq. 656, 660, 662, 679). Quod vero spectat ad necessitatem verificandi ante executionem, et dispensationis casu falsitatis sive bona sive mala fide commissae nullitatem, affirmandae illae sunt tum si qualitas fuit allegata tamquam causa finalis (n. 669 sqq.), tum si allegata fuit tamquam causae finalis partem constituens seu, ut dicitur, tamquam concausa; hoc autem fit in qualitate allegata una cum angustia loci ad effugiendam clausulam *Et si extra*, item quoties sive in angustia loci sive in alia causa praecise allegata fuit qualitas ex. gr. nobilitatis, praesertim ad obtinendam dispensationem in gradibus propinquioribus. Undenam autem innotescet qualitatem a Pontifice considerari ut causam finalem vel hujus partem? Primo si qualitas sola pro causa ponatur; secundo, si cum alia quidem causa allegetur, sed Pontifex in corpore narrativae supplicationis non simpliciter eam memoret, vel impersonali locutione dicat asseri, verum utatur verbis ipsorum oratorum assertionem indicantibus, ex. gr. eos esse ex honestis familiis, vel nobiles cet, « ut asserunt » vel « asserentes. » Idipsum applicandum etiam videtur (2) praefatae dispen-

(1) Cf. n. 667, Corrad. l. 7, c. 2, n. 13 sqq. 114 sqq., de Justis, l. 1, c. 4, n. 73, l. 3, c. 2, n. 112 sqq., c. 12, n. 3 sq., Reiff. cit. App. n. 328 sqq., Kugler. t. 2, part. 4, n. 329, 384, Wiestner. n. 89 *De matr. contracto contra interd. Eccl.*, Caillaud, n. 94, 122, 254, 267 sub 3°, Giovine. t. 2. p. 6, 201, 226 sqq. 230.

(2) Cf. Giovine, t. 2, p. 230.

sationi « ex certis rationabilibus causis, » quamquam non desunt (1) qui pro ea numquam esse verificandam qualitatem velint, quum ipsa major taxa sit pro causa finali.

De exprimendis pro consanguinitate et legitima affinitate ratione taxae solvendae et formae pauperum, ac de falsa expositione fortunae, dictum fuit in paragrapho praecedente, et porro vid. n. 738 in fine.

702. 5° Praeter causam dispensationis exprimi debet impedimentum cujus relaxatio petitur, in sua autem propria specie, etiam infima, nec minus nec majus; uno enim posito pro alio, irrita est dispensatio, non obstante bona fide, et licet in supplicatione Romam transmissa error non occurrat, sed in solis literis Apostolicis, etiamsi merus curialium error esse credatur (2). Imo licet solus delegatus in fulminatione aliud impedimentum exprimeret, nihilominus executionem dicimus non valere. In secunda parte Instr. S. C. de P. F. a. 1877 haec exprimenda dicuntur : « 3. *Species* etiam *infima* impedimenti, an sit consanguinitas vel affinitas, orta ex copula licita vel illicita; publica honestas originem ducens ex sponsalibus, vel matrimonio rato; in impedimento *criminis*, utrum provenerit ex conjugicidio cum promissione matrimonii, aut ex conjugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii : in cognatione spirituali, utrum sit inter levantem et levatum vel inter levantem et levati parentem. 4. *Gradus consanguinitatis*, vel *affinitatis* aut *honestatis* ex matrimonio rato, et an sit simplex, vel mixtus, non tantum remotior, sed etiam propinquior, uti et linea, an sit recta vel

(1) Inter quos Reiff. l. c.

(2) Variam auctorum doctrinam vid. ap. Carr. n. 1170, *Comp.* n. 259, Giovine, t. 1, p. 178 sq. 183 sq., t. 2, p. 15 sqq. 88, 99, 201 sqq., Caillaud, n. 256, quem non sequimur ubi, nonnullas hypotheses distinguens, in earum aliqua merum curialium errorem considerandum, et idcirco validitati literarum favendum esse opinatur. N. 630 sub *a* vidimus ne generalem quidem facultatem seu indultum extendi posse ab uno impedimento ad aliud.

transversa; item an Oratores sint conjuncti ex duplici vinculo consanguinitatis, tam ex parte patris, quam ex parte matris. 3. *Numerus impedimentorum*, ex. gr. si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas, vel si praeter cognationem adsit etiam affinitas, aut aliud quodcumque impedimentum sive dirimens, sive impediens. »

703. 6° Eorum omnium, quae impedimenti gravitatem qualitatemque constituunt, expositio necessaria est; quod praecipuorum impedimentorum exempla ostendant.

Consanguinitas. Exprimendum est *a*) quo gradu sint *conjuncti*, et in qua linea. Si lineae indicatio omittatur, semper intelligitur linea transversa, quia in recta numquam dispensatur (n. 682 init.). Minore gradu expresso pro majore, ex. gr. tertio pro secundo, invalida est dispensatio; majore expresso pro minore, communiter affirmatur valida, sed invalidam esse constat ex rescr. S. C. de P. F. 7 junii 1853 (1).

b) Gradu existente inaequali, uterque exprimi debet, quod contra nonnullos affirmandum etiam esse de foro conscientiae mox videbimus; propinquioris autem reticentia diversos pro casuum diversitate habet effectus (n. 355 coll. n. 365). Quod spectat ad Datariam, Pius IV expressionem gradus propinquioris postulaverat pro valore; sed S. Pius V in const. *Sanctissimus* 26 aug. 1566 statuit eam pro valore non requiri nisi sit gradus primus; si autem propinquior reticitus non sit primus, super eo obtinendas esse literas declaratorias, quibus declaretur literas dispensationis propter propinquioris gradus reticentiam de subreptionis vel obreptionis vitio, cet. notari non posse, sed in omnibus et per omnia suffragari, perinde ac si in iis de propinquiore etiam gradu specialis et expressa mentio fuisset facta. Disputabant olim auctores an hae literae ad valorem essent necessariae; non pauci

(1) Vid. n. 630 sub *b*; ibidem, et sub *a*, etiam de generali facultate seu indulto diximus quoad lineam et gradum.

affirmabant, et Datariae praxis videbatur esse in sensu affirmativo (1); sed jamdiu contrarium certum est ipsius Sedis Ap. auctoritate (2). Non invalidum igitur sed illicitum absque iis matri-

(1) Cf. Corrad. l. 7, c. 7, n. 59 sqq., de Justis, l. 1, c. 2, n. 12, c. 4, n. 122 sqq., c. 6, n. 346, c. 7, n. 15, l. 2, c. 3, n. 37 sqq., Reiff. cit. App. n. 166 sqq.

(2) Vid. S. C. C. in *Mediolanen.* 11 maii 1607 ad 1 (ap. Zambon. v° *Disp.* n. 1, coll. Rigant. loco mox citando), *Luceorien. Null. matr.* 7 sept. 1720, 28 febr. 28 mart. 1722 (*Thes. S. C. C.* t. 1 et 2), in qua Prosper Lambertini, postea Ben. XIV. discursum conscripsit (Ib. t. 2), Ben. XIV decr. 27 sept. 1755, confirmato per Breve *Etsi matrimonialis* 30 sept. ejusdem anni (n. 589). Cf. Rigant. n. 58 sqq. in reg. 14 Canc., Carr. n. 669, Caillaud, n. 257, Giovine, t. 1, p. 181 sqq., t. 2, p. 22 sq. 204. Scribit S. Alph. n. 1136 et *Homo Ap.* tr. 18, n. 86, Benedictum XIV in cit. Brevi declarasse, « matrimonium esse quidem illicitum sed non invalidum, modo propinquitas non sit primi aut secundi gradus consanguinitatis, vel affinitatis. » S. Alphonsum in hoc secuti sunt Gousset, t. 2, n. 885, et Scavini in prioribus suae Theologiae editionibus. At Ben. XIV illud de secundo gradu non dicit, imo in § 6 diserte refert, post S. Pium V invaliditatem ad solum primum gradum reticitum restringi. Sed loquitur Benedictus de *duplici* consanguinitatis gradu, non vero de *secundo*, et irritum dicit matrimonium initum cum dispensatione, in cujus petitione reticitum fuerat duplex adesse consanguinitatis vinculum, et unicum fuerat expressum Simul autem ibi docet, si duplex illa consanguinitas non extitisset, valori non obfuisse circumstantiam, quod tertius gradus fuerat reticitus et solus quartus expressus. Nequaquam igitur exinde potest deduci invalidam esse dispensationem, quando gradus secundus, si sit propinquior, non fuit expressus; nam de tertio illo propinquiore ideo tantum loquebatur Benedictus, quia in casu, de quo scribebat, aderat quartus mixtus cum tertio. Praeterea manifesto contrarium affirmat in eadem § 6, dum disertis verbis refert statuta a S. Pio V, et haec adhuc vigere docet, invalidum nempe matrimonium non esse, nisi gradus propinquior reticitus sit gradus primus. Aut igitur S. Alphonsus confuderit *duplicem*, de quo loquitur Benedictus, gradum cum *secundo*, aut seductus fuerit per ea quae Pontifex dicit de tertio gradu propinquiore in casu, de quo agebatur. Ex textu itaque S. Alphonsi delenda sunt verba *aut secundi*. Nec recte scribit Gury ed. Ballerin. t. 2, n. 867. *Cas. consc.* ed. 1866, t 2. n. 1037 sq., invaliditatem non adesse, nisi sint conjuncti in secundo gradu attingente primum; semper enim ea adest quando primus fuit reticitus. cum quocumque tandem intra quartum incl. concurrat.

monium est, et donec fuerint obtentae, conjuges, si fieri possit, sunt separandi; usus enim matrimonii ante illas obtentas est illicitus. Discriminis inter diversos gradus ratio est, quod gradu remotiore tangente primum, Pontifex dispensat super utroque, quia uterque gradus tunc consideratur ut impedimentum; gradu autem remotiore tangente propinquiorem qui non sit primus, dispensat super remotiore, et mere addit non obstare distantiam propinquioris (1). — Non pauci tradunt (2) pro foro conscientiae gradum propinquiorem necessario esse exprimendum si est primus; si vero alius est, ne pro liceitate quidem requiri, et consequenter etiam locum non esse literis declaratoriis, quum de solo foro externo statuerit S. Pius V. Cum aliis affirmandum est exprimi debere gradum propinquiorem; quum tamen literae declaratoriae forum externum respiciant, non consentimus iis (3) qui volunt, dispensationibus quoque fori conscientiae applicanda esse S. Pii V et Ben. XIV de illis literis decreta, quum non distinguant. Imo propinquioris gradus expressio in his S. Poenit. dispensationibus pertinet ad valorem; ejus enim praxis in eo differt a praxi Datariae, quod S. Poenit. utrumque gradum consideret ut impedimentum, ideoque dispenset super utroque gradu, etiamsi propinquior non sit primus, et non mere declaret distantiam propinquioris non obstare (4). An eamdem praxim servet

(1) Quae diximus de errore in gradu, ea dicito etiam de errore, qui in solo rescripto vel in sola fulminatione occurrat, juxta n. 702 exposita de ipso impedimento, ita tamen ut si in fulminatione non exprimatur gradus propinquior qui non sit primus, opus non sit literis declaratoriis, quamquam ad cautelam tunc est facienda apud acta cancellariae episcopalis subsequens declaratio de vero gradu in quo fuit dispensatum; vid. S. Poenit. 17 junii 1852, ap. Caillaud, n. 123, 257.

(2) Cf. Reiff. cit. App. n. 181, 421, Ferrari, t. 2, n. 420, 422, Carr. n. 1130, *Comp.* n. 237 sub 3°, Heiss, p. 229, Aichner § 184.

(3) Cf. Giovine, t. 2, p. 90.

(4) Non solum id mihi testatus est praecipuus aliquis S. Poenit. officialis, sed etiam colligitur ex Corrado aliisque qui scribunt pro foro conscientiae utrumque gradum esse impedimentum: cf. Corrad. l. 7. c. 7. n. 71.

S. Poenit. pro foro quoque externo, etiam quando non tangitur primus gradus, mihi non constat; hucusque suppono pro foro externo applicari praxim in Dataria vigentem. Non deest quidem qui opinetur, in S. Poenit. numquam requiri expressionem gradus propinquioris qui non sit primus, quia praefata decreta loquuntur de Dataria; hoc tamen rejiciendum est; tunc temporis per solam Datariam dispensari solebat in foro externo.

Porro gradus inaequales exprimantur dicendo ex. gr. « secundi et tertii consanguinitatis graduum a communi stipite provenientium (1). » In multis dioecesibus usus habet ut incipiatur a gradu viri, sed quum in literis Apostolicis soleat propinquior gradus primo loco poni, idem in supplicatione observare praestat (2). Praescriptum non est ut dicatur quis sexus sit in gradu propinquiore, nisi tangatur consanguinitatis gradus primus, quia tunc ob majorem difficultatem ortam ex respectu parentelae, praesertim a parte oratoris erga oratricem, provenientia indicari debet, ex. gr. : « Sed quia sunt conjuncti in primo et secundo consanguinitatis gradibus ex communi stipite, et ex eo provenientibus, quia orator est patruus [vel avunculus] oratricis, » vel « quia oratrix est amita [vel matertera] oratoris (3). »

c) Exprimi debet consanguinitatis multiplicitas, et utrum sit ex eodem an vero ex diversis stipitibus (4).

Ordinarius quidem Romam scribens arborem consanguinitatis addere non tenetur, parochum tamen eam Ordinario exhibere oportet, idque in plerisque dioecesibus est praescriptum (5).

(1) Cf. Caillaud, n. 227.

(2) Cum iis. quae scribit Caillaud, n. 12, cf. tr. Mechl. n. 99, p. 518, van de Burgt, *De disp.* n. 91 sub 3.

(3) Cf. Corrad. l. 7, c. 3, n. 24, de Justis, l. 1, c. 4, n. 121, 128, Reiff. cit. App. n. 270, Giovine, t. 2, p. 23, Planchard, n. 169, 194.

(4) Cf. n. 356 sqq., n. 630 sub *d* in fine, Giovine, t. 1, p. 180 sq. 352 sqq., t. 2, p. 22, 24 sqq.

(5) Cf. p. 234 not. 4, Bangen, tit. 2, p. 207 sq., tr. Mechl. n. 99, p. 518, App. p. 561, 564 sq. Card. archiep. Mechlin. 25 januar. 1882

704. *Affinitas.* Exprimi debet *a*) utrum affinitas gradus primi vel secundi sit ex copula licita an vero ex illicita (1); si nihil fuisset dictum, intelligeretur licita (2).

b) Quo gradu *se attineant*, et in qua linea (3). De graduum sive aequalium sive inaequalium expressione eadem hic valent, quae de consanguinitate dicta fuerunt num. praec. sub *a* et *b*. Quodsi agatur de affinitatis gradu primo vel tangente primum (4), necessario est exprimenda provenientia in casu affinitatis illegitimae. Ex. gr. : « Primo affinitatis gradu in linea recta se attinent, ex eo proveniente quod orator matrem [filiam] oratricis adhuc superstitem [hoc enim addere oportet, saltem de femina superstite, ob majorem difficultatem inde provenientem; secus dicitur « jam defunctam »] carnaliter cognoverit; » vel : « quod oratrix ab oratoris patre [filio] adhuc superstite [vel « jam defuncto »] carnaliter cognosci passa sit (5). » Vel : « Primo affinitatis gradu in linea transversa se attinent, ex eo proveniente quod orator oratricis sororem adhuc superstitem [vel « jam defunctam »] carnaliter cognovit; » vel : « quod oratrix ab oratoris fratre adhuc superstite [vel « jam defuncto »] carnaliter cognosci passa sit. » Vel : « Primo et secundo affinitatis in linea transversa gradibus se attinent, ex eo provenientibus quod orator oratricis amitam [materteram, ne-

clerum monuit : « In conficiendo arbore genealogica curetur ut in quavis generatione, non excepto stipite, nomen et praenomina *utriusque conjugis* exprimantur. Quod si ex his nominibus unum alterumve reperiri non possit, aut agatur de illegitimis, id dicatur. »

(1) Cf. Giovine. t. 2, p. 27 sq., tr. Mechl. n. 99, p. 518.

(2) Cf. de Justis, l. 2, c. 7, n. 93 sqq.

(3) Cf. Giovine. t. 2. p. 26-28, 31 sqq.. *Acta S. Sedis*, t. 2, p. 126 sq.

(4) Cf. Conrad l. 7, c. 3, n. 23. 25 sq., de Justis, l. 1, c. 4, n. 129 sq., Caillaud, n. 229. *Acta S. Sedis* l. c. p. 126 sqq., 190 sqq., ubi innuitur melius esse affinitatis, praesertim illegitimae, provenientiam semper exponere.

(5) Si provenientia exprimatur pro lineae rectae gradu secundo, sermo sit aut de avia, vel nepte in linea recta, aut de avo, vel nepote in linea recta; sed de avo et avia vide quae notat Giovine, t. 2, p. 30.

ptem in linea transversa] » cet., vel : « quod oratrix ab oratoris patruo [avunculo, nepote in linea transversa] » cet. (1). Si vero sint in affinitatis legitimae gradu primo vel tangente primum, juxta non paucos provenientiae expressio fit utiliter, necessaria tamen non est, juxta alios vero fieri debet (2); hoc autem in praxi est tenendum. Formulae pro linea transversa (3) specimina haec sint : « Primo affinitatis gradu in linea transversa se attinent, ex eo proveniente quod orator prius uxorem habuerit defunctam oratricis sororem, » vel « quod oratrix prius virum habuerit defunctum oratoris fratrem. » Vel : « Primo et secundo affinitatis in linea collaterali gradibus se attinent, ex eo provenientibus, quod orator prius uxorem habuerit defunctam oratricis amitam [materteram]; » vel : « quod oratrix prius virum habuerit defunctum oratoris patruum [avunculum]. »

c) Multiplicitas affinitatis, et utrum sit ex eodem an vero ex diversis stipitibus (4); hodie tamen ea multiplicitatis species exprimi amplius non debet, quae oritur ex eo quod ante matrimonium copula habita fuit cum defuncta comparte, cum qua dein fuit consummatum matrimonium, uti constat ex rescr. S. Poenit. a. 1842 (5).

(1) Si provenientia exprimatur pro lineae transversae gradu secundo non tangente primum, memoratur consobrina vel consobrinus.

(2) Cf. Giovine, t. 2, p. 29; ib et t. 1, p. 566 cum aliis notat, majorem difficultatem haberi in dispensando ut mulier nubat fratri defuncti mariti, quam ut vir ducat sororem defunctae uxoris; majorem quoque quando vidua illa prolem habuit ex defuncto marito quam si non habuit.

(3) In recta enim ne pro conscientiae quidem foro dispensatur (n. 682 init.).

(4) Cf. n. 371, Giovine, p. 28 sq. 31 sqq.

(5) Singulis episcopis Belgii communicatum fuit per literas sequentes (*Mél. théol.* ser. 3, col. 314) : « Ill^me^ et Rev^me^ Dne. Ex litteris sacrae Poenitentiariae, quarum exemplum huc adjunctum est, intelliges, Ill^me^ ac Rev^me^ Dne, SS. D. N. Gregorium PP. XVI causis inductum, quas significaverat R. P. D. Episcopus Namurcensis, et re universa in sacro ejusdem Poenitentiariae tribunali graviter ac mature perpensa, statuisse

Arborem affinitatis (1) omittere parochus plerumque potest, quando affinitatis, praesertim illegitimae, provenientiam clare indicat.

ut in dispensationibus matrimonialibus super primo aut secundo gradu affinitatis ex licita conjunctione provenientis, necessarium deinde non sit explicare, si ante praecedens matrimonium ab Oratore vel Oratrice cum defuncto conjuge initum et consummatum, alia inter ipsos illicita copula intercessisset. Insuper Sua Sanctitas omnes dispensationes absque mentione antematrimonialis hujusmodi copulae hactenus concessas, et matrimonia illarum vi jam contracta convalidasse. Cum autem nobis perspectum sit plures in praedictis affinitatis gradibus dispensationes expeditas fuisse pro tua dioecesi, voluit S. Pontifex, ut ego Amplitudini Tuae communicarem haec suo nomine, mitteremque memoratum exemplum litterarum S. Poenitentiariae, quod quidem in tuo episcopali archivio caute asservandum curabis. Interim ad officia paratus precor Deum Omnipotentem, ut te, Ill^me^ ac R^me^ Dne. diu sospitem atque incolumem servet. Amplitudinis Tuae Obsequentissimus Famulus S. Card. Castracane. Romae 29 martii 1842. » Idem ubique valere patet ex rescriptis ad alios episcopos. Episcopo Harlemensi, qui in ejusmodi casu propter prioris copulae reticentiam petierat literas *Perinde valere*, rescriptum fuit : « Pro gratia juxta petita quatenus opus sit, et detur declaratio s. m. Greg. XVI 29 mart. 1842 ; » ita testabatur ep. Harlemen. in litt. ad clerum 10 oct. 1860, n. 23. Archiepiscopo Ultrajectensi 9 sept. 1851 fuit rescriptum : « Dentur litterae Apostolicae de die 29 mart. 1842, » ap. Soglia § 193. Memoratur etiam hoc rescriptum a van de Burgt, *De disp.* ed. 4, Sylvae-Ducis 1865, sed n. 23 dicitur esse 9 sept. 1855, in App. n. 1 ponitur 5 sept. 1855, ubi additur : « Post editum hoc rescriptum SS. DD. N. Pius Papa IX expressis verbis Antistiti in Neerlandia significari fecit, Sedis Ap. voluntatem esse, ut Greg. XVI dispositio Belgii Episcopis communicata in aliis etiam servetur regionibus. » Ceterum idem patet ex S. C. de P. F. Instr. a. 1877, quae in secunda parte haec habet : « In petenda vero dispensatione super impedimento affinitatis primi vel secundi gradus lineae collateralis, si impedimentum nedum ex matrimonio consummato cum defuncto conjuge Oratoris vel Oratricis, sed etiam ex copula antematrimoniali seu fornicaria cum eodem defuncto ante initum cum ipso matrimonium patrata oriatur, necesse non est, ut mentio fiat hujusmodi illicitae copulae, quemadmodum patet ex responso S. Poenit. diei 20 Martii 1842, probante s. m. Greg. XVI ad Ep. Namurcensem, quod generale esse, idem Tribunal literis diei 10 Dec. 1874 edixit. » Ap. *Acta S. Sedis*, t. 13, p. 568 refertur ipsa responsio S. Poenit. sed sub alia die.

(1) Cf. p. 249 not. 1, n. 703 in fine, tr. Mechl. App. p. 561.

Attendendum est ad publicam honestatem, quoties non continetur per se in affinitate (1). Praesertim cum affinitate saepe etiam concurrit cognatio spiritualis (2).

705. *Publica honestas* (3). *a*) Si est in primo gradu, exprimi debet sitne ex sponsalibus an ex matrimonio.

b) Ex utrovis fonte oriatur, linea exprimatur necesse est, sive hanc ipsam memorando, sive indicando personam ex qua orta est publica honestas, ex. gr. matrem vel sororem alterius partis. Publicae honestatis ex matrimonio ortae gradus debet indicari, servatis expositis n. 703 sub *a* et *b*, exceptis tamen iis quae concernunt expressionem gradus propinquioris qui non sit primus et literas declaratorias in casu reticentiae. Etenim cit. S. Pii V const. *Sanctissimus* communiter dicitur non comprehendere publicam honestatem (4).

c) Pro publica honestate orta ex sponsalibus apud Datariam exprimi debet soluta esse sponsalia, et utrum per mortem an vero sponsorum consensu. S. Poenitentiariae, licet pro foro externo dispensanti, opportune quidem, non tamen necessario illud exponitur. Ipsum vero rescriptum S. Poenit. ferre solet : « dummodo priora sponsalia mutuo consensu fuerint resoluta, » nisi matrimonium jam fuerit nulliter contractum propter publicam honestatem ex sponsalibus ortam ; quia tunc, licet maneat reparandi obligatio, moraliter impossibile est cogere ad matrimonium cum priori sponsa contrahendum, et potius videtur, spectato gravi incommodo, cessare cum ea contrahendi obligatio (5), idque

(1) Cf. n. 389, 395, Pignatelli, Consult. 14 t. 4, Giovine, t. 2. p. 27 sq.

(2) Cf. n. 425, Caillaud, n. 11, cum quo tamen non est id de solo primo affinitatis gradu observandum.

(3) Cf Giovine, t. 2, p. 46 sqq. 89, *Acta S. Sedis*, t. 2, p. 382.

(4) Cf. Corrad. l. 7, c. 7, n. 69 sq., l. 8, c. 7, n. 24, de Justis, l. 1, c. 4, n. 157 sq.; e contra Giovine, t. 2, p. 204, eam constitutionem ad publicam honestatem extendit.

(5) Facilius etiam id explicatur, si consideres invalidum illud matrimonium praesumi consummatum, ideoque adesse impedimentum dirimens

etiamsi civiliter tantum cum alia initum matrimonium fuerit. Idcirco in ejusmodi casu a praedicta clausula S. Poenitentiaria abstinet. Eam etiam adjicere non solet in facultate, quam nonnullis episcopis tribuit, dispensandi in publica honestate pro matrimoniis contractis; si tamen clausula illa fuerit adjecta, ad validitatem pertinet (1). Simul ex his patet posse episcopum in ejusmodi casu contra matrimonii ineundi obligationem ex prioribus sponsalibus ortam illud interponere officium, de quo diximus n. 557 sq. 615. Ceterum error in modo, quo soluta sponsalia sunt, non officit, dummodo vere sint soluta; ipsa vero solutio ad valorem pertinet in Dataria et quando Poenitentiaria hanc clausulam apponit; si autem soluta quidem vere sunt, sed in supplicatione ad Datariam id non fuit expressum, valet dispensatio nihilominus concessa, sed concedi non solet et longioris morae causa id erit.

d) Multiplicitas honestatis publicae exprimi debet (n. 585); si tamen haec oriatur ex matrimonio, non videtur requiri mentio sponsalium initorum cum ea persona, cum qua deinde matrimonium fuit contractum, quia satis praesumitur sponsalia praecessisse (2).

706. *Cognatio spiritualis.* Exprimi debet *a*) qualis sit ab utraque parte, utrum paternitas vel maternitas ex una, filiatio ex altera, an vero compaternitas et commaternitas; aliis verbis, exprimenda est provenientia (3). *b*) Sitne ex Baptismo an vero ex Confirmatione (4). *c*) Cognationis multiplicitas (n. 424).

Crimen. Exprimi debet *a*) e quanam ex tribus n. 448 sqq. expositis causis proveniat. *b*) Multiplicitas (n. 455).

affinitatis cum priore sponso vel sponsa. Quo posito, vid. n. 389, 392, praesertim vero p. 440 not. 4.

(1) Cf. *Acta S. Sedis* l. c. p. 257 sq., Giovine, t. 2, p. 47 sq. 89.

(2) Cf. Giovine, t. 2, p. 27 sq.

(3) Cf. n. 410, 683, Corrad. l. 8, c. 8, n. 14, Giovine, t. 2, p. 42, Planchard, n. 31 sq., 169, de Angelis, t. 3, part. 1, p. 215.

(4) Cf. Giovine l. c.

Mixta Religio. Exprimendum est partes debitis cautionibus esse satisfacturas (1). In pluribus dioecesibus praescriptum est ut, si dispensatio petenda videatur, ad Ordinarium mittatur instrumentum cautionum praestitarum in forma ibidem constituta (2).

Reliqua impedimenta omittimus, quum eorum alibi facta expositio satis indicet quaenam sint exprimenda (3).

707. 7° Ut valeat dispensatio, omnia impedimenta matrimonio obstantia, et circumstantiae necessario exponendae, exprimi debent, non separatis petitionibus, sed conjunctim in eodem libello supplici; quia tota rei gravitas debet dispensanti innotescere, et major impedimentorum numerus difficiliorem reddit dispensationem (n. 684). Quod tamen non praejudicat regulae n. 689 traditae pro impedimenti publici cum occulto vel circumstantia infamante occulta concursu, ut liquet ex necessaria omnium apud S. Poenit. expositione. Necessitas autem omnia in eodem libello exprimendi imprimis quidem certa est pro impedimentis dirimentibus; distinctioni vero a nonnullis auctoribus (4) institutae inter impedimenta disparata, seu quorum unum non augetur per alterum, et non disparata, seu quae se mutuo augent, locus, in hac saltem materia, non est (5). Sed an impedientis quoque impedimenti, quod cum dirimente concurrat, mentio fieri debet in eodem praecise libello, idque ut valeat dispensatio? Pro mixta Religione omnes affirmant; pro reliquis plerique negant (6), ita tamen ut

(1) Cf. n. 568, Caillaud, n. 15, 305, 357, Téphany, n. 209.

(2) Cf. conc. prov. Ultrajecten. a. 1865, tit. 4, c. 13.

(3) De cognatione legali cf. Giovine, t. 2, p. 44 sq., de voto, ib. p. 49 sqq., de interdicto, ib. p. 51 sqq., de dubio impedimento, ib. p. 52 sqq., de sanatione in radice, ib. p. 73 sqq. et nostr. c. 35 § 3.

(4) Cf. Conrad. l. 7, c. 6, n. 81, Gury ed. Ballerin. t. 2, n. 877, coll. tamen op. *Casus*, ed. 1866, t. 2. n. 1046: de eadem distinctione cf. S. Alph. n. 1139, *Hom. Ap.* tr. 18, n. 85.

(5) Cfr. Reiff. cit. App. n. 152, ipse Gury, *Casus* l. c., coll. tamen *Comp.* l. c.. van de Burgt. *De disp.* n. 28 sub *d*, 62, 91 sub 6, Giovine, t. 2, p. 15 sqq.

(6) Cf. de Justis, l. 1, c. 4, n. 337, Caillaud, n. 256 sub 1°, coll. n. 123, Gury, *Casus* l. c., Giovine, t. 2, p. 19 sq.

scribere soleant, separatim quidem peti posse dispensationem ab impedimento impediente, antequam petatur dispensatio dirimentis; si vero haec prius petatur, necessario debere in eodem libello peti relaxationem impedientis. At sunt etiam qui affirment impedientis quoque impedimenti, una cum dirimentis, dispensationem petendam esse in eodem libello, idque pertinere ad valorem, saltem si in rescripto occurrat clausula « dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum (1). » Etiam extra hunc casum tenemus doctrinam, quae sub necessitate omnia in eodem libello exprimendi comprehendit impedimenta quoque impedientia (2), quorum tamen nomine non intelliguntur denuntiationes, sed hae separatim possunt dispensari.

Si itaque impedimentum dirimens, pro quo ad Sedem Ap. recurritur, concurrat cum alio dirimente, in quo episcopus dispensare potest, utriusque relaxatio est in eodem libello a Sede Ap. petenda (n. 631). Idem dicendum de impedimento impediente (vid. cit. Instr. S. C. de P. F. a. 1877), quamquam rescr. S. Poenit. 15 apr. 1853 (n. 631) non loquitur nisi de dirimente, et contrarium sentiunt plerique, juxta quos episcopus potest dispensare in impediente, saltem priusquam a S. Sede petatur relaxatio dirimentis. Denuntiationum tamen dispensatio in episcopi manet potestate.

Si post fulminatam dispensationem detegatur aliud impedimentum ante eam existens, et propter quod irrita fuit dispensatio, irritum matrimonium, non sufficit pro recens detecto recurrere, sed omnium dispensatio est petenda; si vero aliud impedimentum non fuerit ortum nisi post fulminationem, sola novi impedimenti dispensatio necessaria est (3). Possitne autem episcopus

(1) Cf. van de Burgt, op. cit. n. 91 sub 7, imo Gury, *Casus* l. c.

(2) Vid. S. C. de P. F. Instr. a. 1877, n. 5 partis secundae (sup. n. 702); cf. *Nouv. rev. th.* t. 10, p. 39, Planchard, *Disp. matr.* n. 50, et ap. *Nouv. rev. th.* t. 15, p. 652 (656) sq.

(3) Cf. tr. Mechl. n. 100, p. 536.

convalidare vel dispensare, quando propter aliud detectum impedimentum invalida est dispensatio Sedis Ap., et impedimentum est ex iis quae relaxandi potestatem episcopus habet, dicetur n. 729.

708. 8° De copula inter oratores habita, et de intentione facilius ita obtinendi dispensationem, multa sunt notanda.

Copula illa imprimis quidem certo est exprimenda, quando allegatur in causam finalem (n. 675 sq. 677 sq.); sed multum dissentiunt auctores ubi quaerunt, an et pro quibusnam impedimentis exprimi debeat, quando alia causa finalis allegatur (1). Etiamsi copula neque originem dederit impedimento, neque in causam finalem allegetur, neque conjunctam habuerit intentionem facilius obtinendi dispensationem, nihilominus certum est pro nonnullis impedimentis copulam debere exprimi, ut valida sit dispensatio. Jamdiu id certum erat de vero incestu seu copula habita inter oratores consanguineos vel affines (2). Etiam quasi

(1) Cf. Gutierrez, *Canonic. quaest.* l. 1, c. 15, l. 3, c. 124, n. 12, Garcia, *De benef.* part. 8, c. 3, n. 30 sqq., Corrad. l. 8, c. 1 et 8, de Justis, l. 1, c. 4, n. 227 sqq., Reiff. cit. App. n. 184 sqq., S. Alph. n. 1134 sq., coll. Quaest. reform. elench. 1, n. 91, *Hom. Ap.* tr. 18, n. 85, vs. *Debent*, Scavin. t. 4, n. 598 sub 7, Gury et Ballerin. ed. 1866, t. 7, n. 776, 867, 872, 878, 887, collato tamen Ballerin. in ed. 1869 ad eosdem numeros et n. 931, *Vindiciae Alphonsianae*, ed. Rom. p. 817 sqq., ed. Tornacen. t. 2, p. 482 sqq., Gury. *Casus* ed. 1866, t. 2, n. 1037, 1039, 1043, 1045, Carr. n. 1142 sq., *Comp.* n. 246, Caillaud, n. 74, 83, 168, van de Burgt. *De disp.* n. 29 sub 1°, 57, 92, tr. Mechl. n. 99, p. 520 sqq., App. p. 561, Ferrari, t. 2, n. 420, Giovine, t. 1, n. 332, 356 sqq., t. 2, p. 35 sqq. 75 sq. 88 sq. 141 sqq. 149 sqq. 154 sqq. 169 sqq. 240 sq. 261 sqq., *Nouv. rev. théol.* t. 5, p. 446 sq., t. 10, p. 40 sqq., t. 14, p. 130 sqq., Konings, n. 1625, q. 2, n. 7. Vering, *Archiv* t. 45, p. 328 sqq., Planchard, n. 69 sqq.

(2) Vid. Ben. XIV const. *Pastor bonus* § 41 sq. (sup. n. 607), *Inst. eccl.* 87, n. 13; facultatum quinquennalium pro foro conscientiae n. 12 (n. 622), alia indulta (n. 623), S. Poenit. 1 junii 1858 (n. 697), S. C. de P. F. 16 junii 1868 ad 2 (ap. Vering, *Archiv* t. 21, p. 172 sq.), S. Off. fer. 4, 1 (vel 8) aug. 1866 (ap. *Acta S. Sedis* t. 8, p. 644 sqq., t. 13,

incestum inter cognatos spirituales commissum esse exprimendum fere omnes affirmabant, et expresse dicebat secunda S. C. C. declaratio ex allatis a Corrado et Garcia (1). Giovine tamen opinionem negantem veriori fundamento fulciri putabat (2), quia in Ben. XIV const. *Pastor bonus* solae memorantur consanguinitas et affinitas, ideoque verus incestus, et consequenter non sunt amplius attendendae antiquiores S. C. C. declarationes a Corrado relatae. Revera tum in ea Const. tum in multis aliis S. Sedis documentis de sola copula inter consanguineos vel affines sermo erat (3). At non solum communis auctorum doctrina necessitatem exprimendi affirmat, verum etiam haec constat ex S. Poenit. 1 junii 1858 (n. 697), et posterioribus Sedis Ap. rescriptis quae citavimus p. 698 not. 2. Copulam quoque inter publica honestate ligatos habitam, utpote quasi incestum, esse exprimendam aliqui docebant (4); plerique vero aut negabant aut publicam honestatem non memorabant, quae nullo etiam Sedis Ap. documento indicabatur. Quamquam haec pariter non memoratur a S. Poenit. 1 junii 1858 (n. 697), necessitas tamen exprimendi hodie constat ex S. Off. a. 1866 aliisque documentis Apostolicis posterioribus

p. 567, t. 14, p. 132; Vering, *Archiv* t. 45, p. 329 sqq., t. 48, p. 115, *Nouv. rev. th.* t. 10, p. 42 sqq., t. 14, p. 136 sq., *Collectanea... ad usum operariorum Ap.* n. 1010), S. Poenit. 20 jul. 1869 (ap. *Acta S. Sedis* t. 14, p. 432, *Nouv. rev. th.* t. 10, p. 40, t. 14, p. 137, Vering, *Archiv* t. 45, p. 329, t. 48, p. 115, Baller. ad Gury, ed. 1869, t. 2, n. 867 in fine), S. Off. fer. 4, 1 febr. 1882 (ap. *Acta S. Sedis* t. 14, p. 431 sq., *Nouv. rev. th.* t. 14, p. 135, Vering, *Archiv* t. 48, p. 115). Cf. etiam privatam viri docti Romani resp. a. 1868 ad ep. S. Hippolyti (n. 689).

(1) Cf. Garcia l. c. n. 66, Corrad. l. 8, c. 1, n. 38, quem cf. etiam c. 8, n. 11 sq.

(2) T. 2, p. 39 sq.

(3) Vid. n. 12 facultatum quinquennalium pro foro conscientiae (n. 622), alia indulta (n. 623), mox citandum S. C. de P. F. rescr. 5 maii 1827.

(4) Cf. Garcia l. c. n. 64 sqq., Corrad. l. 8, c. 1, n. 10, c. 8, n. 14, ubi tamen non exacte citatur Gutierrez, Scavin. l. c., tr. Mechl. App. p. 561. quamquam n. 99, p. 520, dictum tantum fuerat : « juxta multos. »

(cf. p. 698 not. 2). Posito pro publica honestate copulam esse exprimendam, utpote quasi incestum, sequebatur idem esse dicendum de cognatione legali, et revera aliqui id dicebant, ac nunc certum est ex S. Off. a. 1866 aliisque rescriptis posterioribus (cf. p. 698 not. 2). Imo necessitatem pro quovis impedimento copulam exprimendi tuebatur Corradus (1), quem pauci aliqui recentiores sunt secuti (2). Nunc vero ex S. Sedis inde ab a. 1866 rescriptis constat non pro omnibus sed pro hucusque recensitis impedimentis tantum existere necessitatem exprimendi, scil. pro consanguinitate, affinitate, cognatione spirituali et legali, ac publica honestate; vid. S. Off. a. 1866 et 1882 (sup. p. 698 not. 2). Idem habet S. C. de P. F. Instr. a. 1877, in cujus secunda parte, n. 7, legitur. « *Copula incestuosa* habita inter sponsos ante dispensationis executionem, sive ante, sive post ejus impetrationem, sive intentione facilius dispensationem obtinendi, sive etiam seclusa tali intentione, et sive copula publice nota sit, sive etiam occulta. Si haec reticeantur, subreptitias esse et nullibi ac nullo modo valere dispensationes super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis, et legalis, nec non et publicae honestatis, declaravit S. Congr. S. Off. fer. IV, 1 Aug. 1866. In petenda vero » cet. ut n. 702.

S. C. C. declaratio a Corrado pro omnibus impedimentis citata ita potest explicari ut aliis consonet; si autem antiquior stylus illud forsitan postulaverit, recentior, ut vidimus, est diversus; praeterea appellatione incestus ubique recurrente indicari nequit nisi copula saltem quasi incestus rationem habens (n. 675). Attamen duo sunt hic notanda : 1° Si pro impedimento copulae expressionem non exigente haec fuerit ad concessionem urgendam expressa, invalidam fore dispensationem propter reticitam malitiosam intentionem facilius obtinendi dispensationem, et appli-

(1) L. 8, c. 10, n. 10 ; declarationem S. C. C. citat n. 37.

(2) Inter quos Knopp, p. 473 sq., Bangen, tit. 2, p. 203 coll. 266, Heiss, p. 218.

canda fore quae de hac intentione mox dicentur. 2° De quocumque impedimento agatur, copulam, sive haec ipsa sive alia causa finalis allegetur, certo debere exprimi, quando dispensatio petitur matrimonio jam invalide contracto, et cum scientia impedimenti vel nullitatis, saltem ab una parte, contractum fuit matrimonium vel copula habita; in casu autem bonae ex utraque parte fidei copulam exprimere oportet, sed necessarium esse communius negatur (n. 677 sq.).

Certo itaque errant ii ex citatis initio hujus numeri auctoribus, qui scribunt non esse necessario exprimendum incestum nisi allegetur pro causa finali, vel qui volunt incestum non debere exprimi nisi commissum intentione facilius obtinendi dispensationem, vel publicum quidem debere exprimi, non vero occultum. Aliter tantummodo exprimitur occultus, aliter publicus (n. 689, 713). Certo etiam errant qui volunt incestum esse exprimendum quando a Sede Ap., non vero quando ab episcopo dispensatio petitur (n. 697).

709. Ut incestus vel quasi incestus exprimi debeat, alii requirunt copulam ita perfectam ut de se sit apta generationi, qualem ad affinitatem inducendam requiri vidimus n. 570 (1). Alii vero (2) dicunt copulam ita perfectam seu consummatam non requiri, sed sufficere penetrationem vasis absque seminis intra illud emissione; confundi itaque non posse copulam, ex qua oritur affini-

(1) Inter eos sunt Sanchez. l. 8, disp. 25. n. 10, Caillaud. n. 172, van de Burgt. *De disp.*. n. 29 sub 2. Giovine. t. 2. p. 144, Scavin. l. c. ubi tamen ex Dens refert Leonem XII 5 maii 1827 declarasse. pro foro externo « exprimendam esse copulam. si vas femineum penetratum fuerit. licet ea secuta non fuerint quae tum ad prolis generationem tum ad perfectam copulam requiruntur. »

(2) Inter quos Garcia l. c. n. 99 sqq.. tr. Mechl. n. 99. p. 521. ubi legitur : « Non requiritur ut copula fuerit perfecta per seminationem viri intra vas muliebre. sed sufficit hoc penetratum fuisse. adeoque subsistere incestum licet incompletum. Ita fertur declarasse Leo XII 5 maii 1827. Certe praxis habet. ut in casu exprimatur copula. saltem ad cautelam. »

tas, cum ea quae est necessario exprimenda in libello supplici (n. 370). Hanc doctrinam firmat Leonis XII per S. C. de Prop. Fide declaratio, data vicario capitulari Namurcensi, 5 maii 1827, cujus authenticum transsumptum ex archivo episcopali Namurcensi accepimus (1). Postea Caillaud hoc dubium proposuit

(1) « Ill^me^ Dne. Cum SS^mo^ D. N. relata fuerit quaestio quam ad calcem Epistolae 10 Febr. 1827 D. T. proponebat. scilicet — Suppliciter petitur, utrum in supplicibus libellis dispensationis a S. Sede super quocumque impedimento obtinendae gratia necessario exprimenda sit copula si solummodo attentata seu imperfecta nec consummata fuerit —?, sequentem quaestioni illi responsionem SS^mus^ dandam esse decrevit. Primo itaque in supplicibus libellis, quibus dispensatio petitur ad matrimonium contrahendum cum consanguineis vel affinibus exponenda copula est inter Oratores habita, licet non ad eum finem habita fuerit ut facilius ita dispensatio obtineretur. Benedictus namque XIV in ea Bulla, quae incipit *Pastor bonus* n° 41 facultatem Majori Poenitentiario tribuit sanandi seu valida rursus reddendi matrimonia, quae inter consanguineos vel affines inita sunt per dispensationem, ad quam impetrandam in supplici libello de copula nulla facta fuerit mentio, quae ante dispensationem inter conjuges habita fuerit. Quod si hujusmodi matrimonia sananda rursus et valida reddenda sunt, evidens est copulam quocumque fine habita sit semper esse manifestandam. Secundo, cum obligatio manifestandae copulae ad veram tantum et proprie dictam copulam referatur; nec vera copula dicenda sit illa, quae tentata est tantum; sequitur necesse omnino non esse copulam manifestare, quae tentata solum fuerit, scil. quando copulae tentatae nomine merum tentamen intelligatur, quod nullum alium effectum habuerit. Tertio tandem manifestanda est, et in supplici libello exprimenda est copula, quoties vere incestus dici possit. Jam vero incestus crimen, ut Reiffenstuel de consang. et affin. n° 60 — vere, et formaliter est tale, etiamsi vir non seminet intra vas, quod omnes fatentur. — Exprimenda igitur est copula, si vas faeminae penetratum fuerit, licet ea secuta non fuerint, quae tum ad prolis generationem, tum ad perfectam copulam requiruntur. Habes itaque per hoc responsum quomodo in hujusmodi casibus te gerere debeas. Ego vero dum observantiam tuam erga S. Sedem vehementer commendo, Deum O. M. precor ut D. T. bonum omne cumulatim largiatur. Dominationis Tuae Studiosissimus D. Maurus Card. Cappellari Praef^s^. Petrus Caprano Archiep^us^ Iconien. S. C. de P. F. Secret^us^. Romae ex Aed. S. C. de P. F. die 5 maii 1827. R. D. F. Baroni de Cuvelier Vicario Capitulari Namurcensi Namurcum. »

S. Poenit : « Utrum incestus in supplici libello reticitus dispensationem invalidam efficiat, etiamsi non sit completus, consummatus? » S. Poenit. 25 junii 1863 respondit : « S. Poenit. proposito dubio mature perpenso, rescribit negative (1). » Recessum igitur est a sensu declarato sub Leone XII per S. C. de P. F., cujus allatum a me rescriptum absque dubio authenticum est.

710. Sunt qui velint (2) copulam etiam non formaliter incestuosam, quia tempore copulae habitae oratores ignorabant impedimentum vel se putabant valide dispensatos, exprimendam esse; nonnulli dubitant (3), plerique merito negant (4), quorum doctrina consonat iis quae habet Ben. XIV (5) et rationi, quum crimen incestus vel quasi incestus non adsit. Oportere tamen ut ejusmodi materialis incestus exprimatur, jam monuimus n. 677, coll. n. 708 in fine. Quodsi ex una tantum parte materialis incestus vel quasi incestus fuerit, ex altera vero formalis, exprimi id omnino debet, indicando utra pars incestuosa fuerit, ut huic peculiares clausulae ponantur. Ex dictis rursus liquet quoad ignorantiam aliter esse dicendum de copula affinitatem antecedentem seu impedimentum dirimens adducente (n. 104, 383 init.), aliter de copula incestuosa exprimenda, quae potius aliquam sub hoc respectu similitudinem habet cum affinitate superveniente seu privatione juris petendi per hanc inducta (n. 383).

711. Dissentiunt etiam auctores (6) ubi quaerunt sitne, quoties copula exprimi debet, mentio etiam facienda malitiosae intentionis facilius obtinendi dispensationem. Malitiosa intentio haec sola

(1) Ap. Caillaud l. c.

(2) Cf. Corrad. l. 8, c. 1, n. 32 sq., c. 4, n. 29 sq., quem pro forma pauperum sequitur Scavin. l. c.

(3) Cf. tr. Mechl. l. c.

(4) Cf. Garcia l. c. n. 106 sq., de Justis, l. 1, c. 4, n. 252, van de Burgt, *De disp.* n. 29 sub 4°, Scavin. l. c. pro forma ordinaria, Gury, *Casus*, ed. 1866, t. 2, n. 1045, Giovine, t. 2, p. 144 coll. p. 36, Caillaud, n. 82, 172.

(5) *Inst. eccl.* 87, n. 23.

(6) Vide citatos n. 708 init.

hic intelligitur; nihil enim nocet nec exprimi debet intentio cogendi parentes aliave hujusmodi. Juxta S. Alph. n. 1134 commune est apud omnes intentionem malitiosam exprimi debere, si copula pro unica causa finali allegetur et uterque intentionem illam habuerit; contra aliquos autem tradit S. Alph. sufficere intentionem mere internam. Sed probabilissimum ei videtur quod varii auctores docent, non debere necessario, si aliae causae sufficientes allegentur, intentionem exprimi, dummodo exprimatur copula. Alii plerique aut diserte dicunt, quoties copula memorari debet, semper exponi etiam debere intentionem malitiosam, etiamsi mere internam vel ab uno tantum habitam; aut absque ulla distinctione loquuntur (1). Apud recentiores auctores, praesertim propter generalem ex una parte Ben. XIV loquendi modum, S. Alphonsi vero opinionem ex altera, sentiendi diversitas et apud plerosque haesitatio reperitur (2). Indistincte autem loquentium (3) doctrinam extra dubium ponunt documenta allata p. 698 not. 2, praesertim S. Off. a. 1866 et 1882, S. Poenit. a. 1869, Instr. S. C. de P. F. a. 1877; cf. etiam sup. n. 675.

712. Non omnes sunt interrogandi nec imprudenter est inter-

(1) Indistincte loquitur Ben. XIV const. *Pastor bonus* § 42 (n. 607). *Inst. eccl.* 87, n. 10, 12 sq. 17-19; cf. etiam Corrad. l. 8, c. 1, n. 11 sqq., c. 2, n. 17 sqq. Falsum Benedicto sensum tribuit Panzutus, op. cit. t. 2, p. 202 sq., cas. 194, ubi scribit Pontificem in const. *Pastor bonus* declarare, reticentiam intentionis malitiosae, dummodo copula fuerit expressa, non vitiare dispensationem nisi agatur de primo vel secundo gradu. Benedictus ibi de solis illis gradibus loquitur, non ad excludendam necessitatem exprimendi praefatam intentionem pro gradibus tertio et quarto, sed occasione majoris seu peculiaris Componendae in solis primo et secundo gradibus solvendae; cf. *Inst. eccl.* 87, n. 19, Giovine, t. 2, p. 38, 154.

(2) Cf. Carr. n. 1142 sqq., *Comp.* n. 244 sub 3°, 246, Gousset, t. 2, n. 866, Scavin. t. 4, n. 598 sub 7, Knopp. p. 474, Bangen l. c., van de Burgt. *De disp.* n. 29 sub 5, 92 init., tr. Mechl. n. 99, p. 522 sq., Caillaud. n. 72, 172, 276, 279, 288, Gury ed. Ball. t. 2, n. 867, *Casus* ed. 1866, t. 2, n. 1037.

(3) Cf. Giovine, t. 2, p. 38 sq. 151 sqq.

rogandum circa incestum (1). Profecto tenentur oratores in tribunali Poenitentiae delictum, licet occultum, fateri, debetque in supplicatione pro foro conscientiae occulta copula, occulta intentio, exprimi; non omnes tamen sunt a confessario circa incestum interrogandi, sed ii soli cum quibus ex circumstantiis prudenter id fieri potest; occultam vero copulam incestuosam confitentes, eo ipso debent circa intentionem interrogari.

Pro dispensatione fori externi juxta plures graves auctores, quibus contra alios adstipulamur, non tenentur oratores occultum incestum fateri, imo, iis forte interrogatis, negare licet, quum quae ad fori externi dispensationes referuntur ex publicis exprimendi necessitatem habeant, et pro occultis sufficiat in foro conscientiae ad S. Poenit. recurrere. De incestu igitur pro foro externo interrogandi non sunt nisi quando publicus est seu publice fertur contigisse seu fama rumorve existit, vel tales sunt ut congrue et prudenter interrogari possint, ad quod non semper sufficit sola inferior conditio. Imo licet tales sint qui stricte loquendo interrogari possunt, interdum praestat generaliter res exprimendas proponere, ut sibi saltem per confessarium consulant, quum occultam rem pro foro externo fateri non teneantur. Si vero publicus est incestus vel ipsi eum exponunt, nihil impedit quominus interrogentur circa intentionem.

Quod autem de non omnes nec imprudenter interrogando diximus, id non solum pertinet ad examen ante dispensationem petendam instituendum, sed ad verificationem etiam deinde ab offi-

(1) De hujusmodi interrogationibus diversimode scribitur; cf. Gutierrez, *Canonic. quaest.* l. 3, c. 124, n. 14, Corrad. l. 8, c. 2, n. 20 sqq., de Justis, l. 1, c. 4, n. 259 sqq., Marcus Paulus Leo, *Praxis*, part. 2, c. 17, Soglia § 193, Scavin. t. 4, n. 598 sub 7, Caillaud. n. 80 sq. 162, 220, van de Burgt, *De disp.* n. 30, 58, tr. Mechl. n. 99, p. 522, Giovine, t. 2, p. 141 sqq., viri docti Romani resp. privata a. 1868 ad ep. S. Hippolyti (n. 689); de prudentia servanda in examine proclamationibus praemittendo vid. n. 253.

ciali (1) vel ejus jussu a parocho faciendam. Quamquam enim officialis ante dispensationis fori externi fulminationem verificationem instituens solet a parocho postulare ut inquirat et referat de incestu, ad solum tamen publicum id refertur, nec tenetur idcirco parochus oratores semper interrogare circa incestum in supplicatione non expressum vel occultum, sed stricte loquendo ex solis publicis officiali respondere. Quodsi oratores fateantur occultum incestum, vel Ordinarius aut alius delegatus in ejus notitiam venerit, quin tamen publicus dici queat, acquiescere debet ipsis, vel per se vel per confessarium, cui hanc licentiam dederint, asserentibus provisum esse in foro conscientiae (2).

(1) De clausula « Dummodo copula non intercesserit » speciatim dicere non est opus. quum ea jamdiu non soleat apponi; etiamsi autem apponeretur, ejus verificatio ad forum externum jure merito potest referri.

(2) De praefatis cf. n. 638 sub 1°, Giovine, t. 2, p. 143 sq., Marcus Paulus Leo, l. c., *Acta S. Sedis* t. 8, p. 644 sqq., praesertim vero S. Off. cit. rescr. a. 1866, ex quo sequentia excerpimus : « Ideoque a Vicario Ap. et a Missionariis curandum esse, ut qui dispensationem in memoratis gradibus prohibitis petunt, prudenter quidem et pro personarum et circumstantiarum varietate caute moneantur, nullam esse, quae eis conceditur, dispensationem si incestum invicem patraverint, vel ea intentione patraverint, ut dispensationem facilius impetrarent, etsi vel delictum vel nefariam illam intentionem non manifestaverint. — Caeterum regulariter non teneri Missionarios interrogare sponsos de hisce rebus; posse tamen, si id necessarium et opportunum judicaverint. Certe cavendum esse, ne sponsi ad hanc confessionem importunis interrogationibus urgeantur, tum vel maxime quod copulam, si occulta permanserit, et secretam intentionem praedictam nemo teneatur in foro externo manifestare. Iis enim qui dispensationem in foro externo super gradibus prohibitis obtinuerunt cum reticentia copulae inter eos sequutae, quam sine honoris detrimento detegere non valeant, vel cum expressione quidem carnalis copulae, sed tacita occulta et malitiosa intentione in ipsa copula habita ad facilius dispensationem obtinendam, aditus patet ad forum conscientiae. Ipsi quidem recurrere possunt, suppresso etiam nomine ad S. Poenit., vel ad S. Sedis delegatum, a quo dispensationem impetrarunt, vel eidem delegato in foro conscientiae se sistere pro impetranda dispensatione seu obtentae dispensationis revalidatione. Et hanc revalidationem in foro conscientiae, aucto-

713. Non eodem itaque semper modo exprimitur copula vel malitiosa intentio, quum, ut ipsum impedimentum, ita copula quoque vel intentio possit esse aut publica aut occulta juxta regulas n. 85 sqq. traditas. Publica copula esse potest ex. gr. quia prolem publice seu coram publica potestate agnoverunt, vel cohabitant aut cohabitaverunt et proles nata est vel gravida est oratrix (imo sola cohabitatio sufficere videtur quum copula tunc sit praesumenda), vel quando non cohabitant nec cohabitarunt sed oratricis graviditas publice imputatur et merito imputari debet oratori, vel quando sufficienti personarum numero delictum uterque vel alteruter manifestarunt; probabile etiam divulgationis periculum sufficit ut res tamquam publica sit tractanda (n. 96). Intentio publica erit si ab utroque vel alterutro sufficienter fuerit manifestata, ut juxta praefatas regulas jam non possit pro occulta haberi. Jamvero, ut pro impedimento, ita pro circumstantia copulae vel intentionis per parochum recurritur in casu publico vel tractando ut publico, per confessarium in occulto (n. 686 sq.). Quoad tribunal ad quod supplicatio sit dirigenda, applica dicta n. 688 sq.; attamen Sedes Ap. non semper per illud ad quod recurritur literas expedit, sed plerasque dispensationes cum incestu publico pro pauperibus vel fere pauperibus hodie expedit per S. Poenit., semper autem quando adfuit malitiosa intentio.

Clausulae in literis dispensationis diversae ponuntur circa separationem, poenitentiam, eleemosynam, fidem Sacramentalis Confessionis cet., prout agitur aut de publico aut de occulto, et prout

ritate Ap. concedendam esse juxta mandatum S. Poenit., vel a Vicario Ap. a S. Sede delegato etiam per confessarium ab ipso deputandum, praevia absolutione in forma Ecclesiae consueta a quibusvis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, si quas ob incestum et excessus hujusmodi quomodolibet incurrerunt, quibusque actu innodati existant, necnon ab incestu ipso et excessibus ut supra, injuncta pro modo culpae salutari poenitentia. Quod si copula est publice nota, vel eam etiam sponsi in foro externo manifestaverint, absolutionem et dispensationem in eodem foro externo esse impertiendam. »

agitur de literis aut Poenitentiariae aut Datariae, his autem in forma aut ordinaria aut pauperum; de ejusmodi clausulis postea.

Quod spectat ad modum recurrendi, *a*) nulla difficultas est quando omnia sunt sive publica sive occulta; in casu autem ejusmodi impedimenti natura sua publici sed aliis occulti, in quo S. Poenit. pro foro conscientiae dispensare non valeat, impedimentum exponitur in Dataria seu foro externo, occulta vero copula et occulta intentio in S. Poenit., applicando regulam n. 689 traditam. Quoties intentio malitiosa ex una tantum parte adfuit, notetur id in supplicatione, idque etiam in sequentibus observetur.

b) Quando impedimentum est publicum et incestus publicus, exponuntur ut pro foro externo, et prava intentio occulta de consensu oratorum, vel illius a cujus parte adfuit, in eodem libello exponatur, addendo esse occultam et de consensu exprimi; facile is praestabitur, quum infamia jam existat; si tamen non detur, serva regulam n. 689 indicatam. Revera autem non adeo attendi majorem aliquam infamiam ex prava intentione concurrente cum publico incestu, colligitur ex clausula in literis Ap. saepe posita : « Recepto ab eis juramento quod sub spe facilius habendae dispensationis hujusmodi, incestum hunc non commiserint, et quod talia numquam deinceps committent, neque committentibus praestabunt auxilium, consilium vel favorem (1). » Sive hic quoque dixeris juramentum ejusmodi non comprehendere occultam intentionem malitiosam, eamque oratores non teneri in foro externo fateri, dummodo pro foro conscientiae recurrant (2), sive dixeris

(1) Haec tria juramenta injunguntur casu publici incestus a Dataria dispensante in forma pauperum, primum solum solet injungi ab eadem dispensante in forma ordinaria; Poenitentiaria non solet juramentum ejusmodi exigere. Cf. Corrad. l. 8, c. 2, n. 17 sqq., de Justis, l. 1, c. 7, n. 200, Reiff. cit. App. n. 347 sq., Giovine, t. 2, p. 151 sqq. 193, Caillaud, n. 90, 278, Planchard, n. 214, 228. 234, 316 sub 3°. et ap. *Nour. rev. th.* t. 16, p. 185.

(2) Cf. Caillaud, n. 100, coll. n. 78.

juramento comprehendi occultam etiam intentionem, facile saltem hujus pro foro externo expressio casu incestus publici obtinebitur, et eam sic ab initio exprimere praestat.

c) Quando publicum est impedimentum, copula vero occulta, recurritur ut dictum est n. 689, idemque de intentione valet (1). Si ipsi oratores sponte delictum in foro externo fatentur, potest quidem, sed de utriusque consensu, et quoad pravam intentionem praeterea etiam de consensu illius a cujus parte haec adfuit, in supplicatione fori externi delictum exponi, addendum tamen est occultam rem esse et ipsis petentibus vel consentientibus exprimi; parochus autem, officialis, Ordinarius cet. tenentur servare secretum. Opinamur tamen ordinarie praestare, ut separatus pro publicis et occultis recursus adhibeatur (n. 689).

d) Quando impedimentum est aliis occultum, copula vero publica, haec eo ipso non est publica quatenus incestuosa, ideoque stricte loquendo sufficit pro toto negotio recurrere in foro conscientiae, dummodo agatur de tali impedimento natura sua publico, in quo S. Poenit. dispensare potest. Attamen, quum necessitas exprimendi incestum vel quasi incestum semper respiciat impedimentum aliquod natura sua publicum, videtur quovis potius casu concurrentis copulae publicae unice recurrendum pro foro externo.

e) Si copula vel intentio, quae erat occulta et uti talis expressa, ante fulminationem fiat publica, exequi nequit delegatus, sed opus est recursu pro foro externo (2). Si vero futura sit publica post fulminationem, atque ita quidem ut notum inde sit futurum,

(1) Cf. Ben. XIV l. c. De peculiari autem seu majori Componenda solvenda, quando S. Poenit. dispensat in copula occulta, concurrente cum impedimento primi vel secundi gradus, cujus relaxatio per Datariam concedatur in forma ordinaria, et de taxa solvenda quando in sola occulta intentione tunc S. Poenit. dispensat, vid. Ben. XIV ib. n. 14, 16, 18 sq., const. *Pastor bonus* § 41 sq. (n. 607, coll. n. 690, 692, 694, 711).

(2) Cf. n. 96, 638 sub 1°, Bangen, tit. 2, p. 168 sq.

eam locum habuisse ante fulminationem, stricte loquendo potest executioni dari dispensatio, dummodo illico recurratur pro foro externo, tempore tamen suppetente, iste recursus ante fulminationem est instituendus.

714. Sive copula sive malitiosa intentione falso allegata vel reticita, iterum est recurrendum, diversimode autem pro casuum diversitate.

Circumstantia ejusmodi falso allegata, iterum debet recurri, addendo a labe alias allegata oratores esse immunes, idque in foro externo si falsa allegatio fuit facta in supplicatione fori externi (1), in foro conscientiae si pro hoc falsa fuit facta allegatio. Nova autem dispensatio dicenda est pro valore requiri; quod quidem omnino etiam affirmamus contra eos, qui casu falsitatis mala licet oratorum fide expressae tuentur validitatem priorum literarum (2), si alia vera causa finalis fuerit expressa; de casu quo, alia expressa vera causa finali, supradicta falsitas fuerit bona fide commissa vid. n. 676 sq.

Reticita in supplicatione fori externi publica copula vel intentione, nova requiritur in eodem foro dispensatio (3); nova vero in foro conscientiae, si reticentia in supplicatione pro hoc instituta contigit (4). Reticita autem sola licet intentione, pro invalida habenda est dispensatio, etiamsi alia causa finalis allegata existat, et praesertim ob rescripta S. Sedis inde ab a. 1866 emanata (vid. p. 698 not. 2) non potest hodie, casu licet urgente, applicari opinio variorum olim auctorum, qui docebant non debere neces-

(1) Vid. Ben. XIV const. *Pastor bonus*, § 40 (n. 606), *Inst. eccl.* 87, n. 10, Giovine, t. 2, p. 81.

(2) Cf. Caillaud, n. 278.

(3) Cf. Giovine, t. 2, p. 83, Caillaud, n. 276 sq. Teste Planchard, ap. *Nouv. rev. th.* t. 16, p. 209 sq., S. Poenit. hodie amplius non utitur verbis : « Absolvendi ab incestus reatibus etiam usque ad praesentium executionem fortasse iteratis. »

(4) Vid. Ben. XIV const. *Pastor bonus* § 41 (n. 607), *Inst. eccl.* 87, n. 10, 17 sq., Giovine, t. 2, p. 37 sqq. 81.

sario, si aliae causae sufficientes allegentur, intentionem exprimi, dummodo copula exprimatur (n. 711).

715. Hucusque egimus de copula ante supplicationem inter oratores habita, quae quoties locum habuerit nihil opus est dicere; sed quid de dispensationis valore dicendum, quando copula inter eos nonnisi post supplicationem contigit, ideoque in hac non fuit expressa, vel antea quidem contigit et fuit expressa, sed deinde iterata?

a) Si copula non fuit habita ante supplicationem, ideoque in hac non expressa, sed habetur ante fulminationem a delegato faciendam, irrita est dispensatio (1).

b) Si copula habita fuit ante supplicationem et in ea expressa, sed fuit iterata ante fulminationem, discrepant auctores (2). Dicendum autem censemus, literas Datariae in forma ordinaria valere, si non continent clausulam de separatione; si vero, quod nunc est in usu (3), eam continent, dicendum ut de forma pauperum. Invalidas autem esse literas in forma pauperum, quando iteratio post injunctam a delegato separationem locum habuit, sive durante determinato separationis tempore, sive, ut videtur (n. 741), eo jam elapso, ante fulminationem. Literas S. Poenit. pro foro externo esse irritas, si iteratio, ut supra, contigit postquam delegatus imposuit separationem seu, ut non ita pridem ferebat formula S. Poenit., interdixit omnem tractum (4), nisi tamen,

(1) Cf. Giovine, t. 2, p. 36, 144, Caillaud, n. 277.

(2) Cf. Conrad. l. 8, c. 1, n. 51 sqq., c. 2, n. 11, c. 5, n. 37 sq., 46, 72, Carr. n. 1148 sq., *Comp.* n. 248, Caillaud, n. 100, 280-282, 342, 346, Gury ed. Ballerin. t. 2, n. 873, *Casus* ed. 1866, t. 2, n. 1054, van de Burgt, *De disp.* n. 92 sub *c*, tr. Mechl. n. 99, p. 523 sq., Heiss. p. 219, Bangen, tit. 2, p. 203, Knopp, p. 476, Gousset, t. 2, n. 866, *Acta S. Sedis*, t. 2, p. 445 sqq., viri docti Romani resp. privata a. 1868 ad ep. S. Hippolyti (n. 689), Giovine, t. 2, p. 171 sqq.

(3) Cf. *Acta S. Sedis* l. c., Giovine, t. 2, p. 173, Planchard ap. *Nouv. rev. th.* t. 16, p. 199 sq. coll. 228.

(4) Cf. n. 745. Propositis dubiis : « I. Quid in praefata clausula intel-

quod olim fiebat, nunc vero amplius non fieri testatur Planchard l. c., ipsae literae concedant delegato facultatem « ab incestus reatibus, etiam usque ad praesentium executionem forsan iteratis... absolvendi; » per hanc enim clausulam nullitati providebatur et delegato exequendi medium subministrabatur. Demum literas S. Poenit. pro foro conscientiae esse validas; quamquam S. Poenit. ad cautelam convalidare solet quando denuo recurritur.

c) Si copula aut primum fuit habita post fulminationem, aut antea habita et expressa primum fuit iterata post fulminationem, valet dispensatio (1). Addunt tamen aliqui esse invalidam, si ante dispensationis ab oratoribus acceptationem res contingit. Nam, aiunt, sine acceptatione fulminatio non tollit impedimentum, quum possit quidem superior dispensare independenter ab acce-

ligendum venit per vocem *tractu?* II. Si, interdicto per Ordinarium quocumque tractu, oratores nihilominus tempore interdicti habeant in se tractum (in sensu responsionis ad praecedens dubium), an ideo opus sit nova dispensatione, seu revalidatione, » S. Poenit. 15 febr. 1854 respondit : « Ad I. Id omne vetari quod opponitur fini, qui in interdicendo quocumque tractu quaeritur, nempe oratorum resipiscentia, aut dati scandali reparatio. Ad II. Cum clausula apposita det jurisdictionem sub conditione, sed non respiciat ipsam dispensationem, debere quidem conditionem appositam impleri, ut commissarius exequi valeat Rescriptum, non vero novam petendam esse dispensationem, si oratores violata interdictione cujuscumque tractus, fideliter abstineant per tempus praescriptum, dummodo tamen violatio interdicti non fuerit per incestum; » ap. *Acta S. Sedis* l. c. p. 445. Spectatis ultimis verbis, non intelligo cur Avanzinus addiderit, S. Poenit. non videri tulisse judicium super ratione agendi in peculiari casu incestus, interdicti tempore, commissi; cf. Giovine, t. 2, p. 171 sq. Severior erat haec clausula non ita pridem a S. Poenit. adhibita, quam clausula Datariae vel Cancellariae Ap. De ejus sensu plura vid. n. 745. Nuper eam suppressit S. Poenit., et hodie utitur eadem qua Dataria et Canc. Ap.; cf. n. 745 et Planchard, ap. *Nouv. rev. th.* t. 16, p. 222 sqq.

(1) Cf. Garcia, *De benef.* part. 8, c. 3, n. 70, 73 sqq., Corrad. l. 8, c. 1, n. 44 sq., resp. Romana privata a. 1868 ad op. S. Hippolyti (n. 689), Giovine. t. 2, p. 173.

ptatione, sed hoc facere non soleat nec consequenter facere censeatur nisi id indicet, et idcirco rescripta gratiae insciis iis, quibus obtinentur, impetrata non operentur suum effectum nisi secuta acceptatione. Verumtamen rite haec intelligantur necesse est; nam revera non ingerunt difficultatem.

Quando enim scientibus oratoribus eorumve alterutro dispensatio fuit petita, eo ipso jam habetur acceptatio, nec necessario requiritur alia, nisi ratione clausularum, ex. gr. de poenitentia cet., nova aliqua acceptatio sit necessaria. Nulla igitur difficultas est si copula primum fuit habita post fulminationem; sed ratione clausularum impeditur fulminatio, si jam antea copula fuit habita et expressa; nam tunc, uti patet, fieri nequit fulminatio nisi clausulis acceptatis.

Si autem utroque inscio fuit petita dispensatio, requiritur quidem unius saltem acceptatio, sed ante hanc numquam fit fulminatio, ut nec dispensatio umquam est, utroque inscio, petenda nisi possit uni saltem deinde communicari et hoc facto fulminari. Rursus quidem impediri tunc potest fulminatio propter necessariam clausularum ab iis acceptationem, sed haec quaestio longe diversa est ab ea generali, quae versatur circa dispensationis ipsius acceptationem, et rursus fulminatio tunc non fit nisi acceptatis clausulis, ex. gr. quando in ejusmodi casu copula jam antea fuit habita et expressa.

Ex his patet revera difficultatem non ingerere id quod aliqui dicunt, copulam, quae primum contigit post fulminationem, vel antea fuit habita et expressa sed post fulminationem iterata, invalidas reddere literas et novum postulare recursum, si ante dispensationis acceptationem alterutrum contigerit. Hinc fit communiter auctores simpliciter tradere non nocere ea, quae post fulminationem contingunt, et de acceptatione eo casu non loqui (1).

(1) Nonnulla huc facientia habes n. 687 init., 730, 742, 758, Corrad. l. c. n. 43-45, Carr. n. 1150, 1158, *Comp.* n. 233, 249. Caillaud, n. 111,

716. Novi recursus, qui et ipse diversimode juxta saepius indicatam publici et occulti diversitatem instituitur, difficultates magna ex parte removentur per facultates, quibus episcopi muniri consueverunt (n. 622 sq.). Insuper sunt qui notent posse nonnumquam in antecessum peti ut valeat dispensatio, vel facultas detur, si forsitan incestus adfuerit vel fuerit iteratus; sed a confessario quidem interdum fieri ita concipitur, a parocho autem seu pro foro externo non ita. Connexa cum his est quaestio paulo post tractanda, an possit episcopus vel officialis in antecessum dispensare, etiamsi forte incestus adfuerit (1).

Quum, incestu expresso, dispensatio contineat clausulas necessarias de absolutione ab incestu et prolis susceptae vel suscipiendae legitimatione, in more positum est ut utraque in libello supplici petatur.

717. Hactenus de copula inter oratores habita; sed quid si post petitam in affinitate illegitima dispensationem iteretur copula cum persona alteri parti in primo vel secundo gradu consanguinea? Non de mera circumstantia exprimenda, sed de impedimento affinitatis tunc agitur (2). Certum autem est dispensationem propter novum exortum impedimentum vitiari, quando sive ante sive post fulminationem, sed ante contractum matrimonium, cum alia alteri parti in primo vel secundo gradu consanguinea persona copula habetur. Quid vero si cum eadem (3)?

167, 209, 219. van de Burgt, *De disp.* n. 86 sqq., 92 sub B, tr. Mechl. n. 99, p. 524, Kenrick, n. 222. Knopp, p. 476 sq., Bangen, tit. 2, p. 203, Giovine, t. 1, p. 145 sqq. 161 — 165.

(1) De his omnibus vid. n. 720 sqq., et cf. Caillaud, n. 102, 173, 299 sq. 349 sq. 393, van de Burgt, *De disp.* n. 92 in fine, de Saint-Exupéry, p. 30 sqq.

(2) Nonnulli auctores ea, quae concernunt incestuosam inter oratores copulam confundunt cum iis, quae pertinent ad copulam ab eorum alterutro habitam cum persona alterius consanguinea in primo vel secundo gradu.

(3) Variam auctorum doctrinam vid. ap. Sanch. l. 8, disp. 24, n. 8,

Per copulam ante fulminationem cum eadem persona iteratam non vitiari dispensationem communiter indistincte docetur (1).

Spectatis rationibus, per copulam post fulminationem cum eadem persona iteratam vitiari dispensatio et nova requiri videretur, quia impedimentum denuo oritur, in quo vi priorum literarum dispensare delegatus nequit (2). Expresse contraria S. C. C. declaratio, quam S. Alph. dicit a Corrado citari, loquitur de incestu inter oratores commisso. Sed S. Poenit. resp. 21 sept. 1752, cujus textum S. Alph. exhibet, difficultatem facit, si certo (de quo sunt qui dubitent) comprehendat iterationem quae fulminationem sequatur. Talia autem sunt ejus verba ut videantur eam comprehendere (3). At passim ipsi auctores novae dispensationis necessitatem excludentes notant, per novam cum eadem persona post matrimonium contractum copulam oriri affinitatem supervenientem seu privationem juris petendi, idque iis objici potest a novam dispensationem ante matrimonium requirentibus; quibus tamen respondere possunt recurrendo ad solam poenae rationem affinitati supervenienti propriam (n. 383).

718. 9° In Instr. S. C. de P. F., partis secundae n. 6 dicitur : « *Variae circumstantiae,* scil. an matrimonium sit contrahendum, vel contractum; si jam contractum, aperiri debet, an bona fide, saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti; item an praemissis denuntiationibus, et juxta formam Tridentini, vel an spe facilius dispensationem obtinendi; demum an sit consumma-

Corrad. l. 8, c. 1, n. 51 sqq., c. 5, n. 38, de Justis, l. 1, c. 4, n. 162 sqq., S. Alph. n. 1140, *Hom. Ap.* tr. 18, n. 85, vs. *Debent,* Scavin. t. 4, n. 600, Gury ed. Ballerin. t. 2, n. 871, *Casus* ed. 1866, t. 2, n. 1052, Carr. n. 1151, *Comp.* n. 246, Caillaud, n. 206, 282, Kenrick, n. 220, van de Burgt, *De disp.* n. 91 sub 5, tr. Mechl. n. 100, p. 537, Giovine, t. 2, p. 28 sq.

(1) Cf. Giovine, t. 2, p. 28, tr. Mechl. n. 100, p. 537; recole dicta n. 371.

(2) Cf. Giovine, t. 2, p. 28 sq.

(3) Cf. tr. Mechl. l. c.

tum, si mala fide, saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti. »

Quando post matrimonium invalide contractum dispensatio petitur, profecto hoc ipsum pro causa finali allegabitur; quaenam autem tunc exprimi debeant, vidimus n. 677 sq.; de exprimendis praeterea pro sanatione in radice dicemus c. 35 § 3. Imo licet alia causa finalis allegetur, nihilominus, spectato praesertim Trid. sess. 24, c. 5 de ref. matr., necessario memoranda est circumstantia matrimonii invalide contracti, imprimis quidem quando uterque vel alteruter mala fide contraxit vel consummavit; imo Instr. S. C. de P. F. a. 1877 dicit semper debere exprimi sitne contrahendum an vero contractum. Exprimuntur autem dicta n. 677 sq.

Civiliter jam, ut vocant, celebratum matrimonium, sive solum sive simul invalide initum coram Ecclesia, allegari in causam finalem vel ad hanc roborandam solet. Dummodo verum sit clandestine initum esse matrimonium invalidum, non nocet falsa civilis, ut vocant, matrimonii *qua talis* allegatio, dummodo bona fide fuerit facta. Valori autem dispensationis non obstare solam reticitam malitiosam intentionem civili praecise celebrationi alligatam, constitit n. 678, 680, et firmatur etiam per mox citandum S. Poenit. rescr. 2 apr. 1839.

Ceterum civilis, quod vocant, matrimonii *qua talis* expressio necessaria non est. Imprimis quidem, si, quod rarissime continget, honesto fine civilis actus fuerit positus, neque opus est hanc circumstantiam exprimere, neque per eam, quando post petitam dispensationem supervenit, haec vitiatur. Si vero culpabiliter ita fiat, sunt qui dicant exprimi debere; sed contrarium habetur ex S. Poenit. 2 oct. 1829 (1) et 2 apr. 1839 (2). Nihilominus circum-

(1) Ap. Carr. *Comp.* n. 250.

(2) Ap. Caillaud, n. 46, 231 sub 3°. Ea sic habet : « Vicarius generalis Mimatensis in Gallia in dubio versatur an possit executionem dare cuidam matrimoniali dispensationi secundi et tertii consanguinitatis gradus,

stantia actus civilis jam praestiti, quum concessionem urgeat (n. 679), solet exprimi; culpa autem, ut praesumitur, existente, in rescripto ponitur clausula de poenitentia, quae praeveniri potest exprimendo finem honestum seu culpae absentiam (1).

Intentio civile matrimonium incundi, quod tamen revera nondum fuit initum, necessario exprimi non debet nec est in eam inquirendum. Ad urgendam quidem concessionem potest allegari, sed prudenter hac in re procedendum est, et bene notandum an manifestata intentio ab oratoribus fuerit; secus enim ab ejus mentione est abstinendum. Ea autem ab oratoribus manifestata, in dispensatione solet injungi poenitentia.

Prudenter etiam agendum in allegando timore ne civiliter contrahatur. Exprimi is necessario non debet; si vero exponatur, notetur utrum ex parochi aestimatione an vero ex intentione ab oratoribus manifestata hauriatur; secus enim ex hac hauriri praesumitur et difficultas potest oriri ex clausula de poenitentia (n. 679). Si vero parochi tantum aestimationi attribuatur, eleemosyna quidem interdum praescribitur, non vero poenitentia; quae si nihilominus injungatur, quod interdum contingit, difficultas facile oritur si timor ille non probetur fundatus, in quo casu censet Caillaud (2) poenitentiam non esse necessario a delegato imponendam.

obtentae ab Ap. Dataria, ob incestum cum prava intentione. Dubium oritur ex contractu civili quem oratores contraxerunt in temporis intervallo inter dispensationis concessionem, et eorum praesentationem ad hoc ut dispensationi executio daretur. Insuper a prava intentione quam ipsi habuerunt impediendi scil. quodcumque aliud obstaculum, et sese liberandi ab impensis ob brevis acquisitionem. Quaerit itaque an hic contractus civilis et prava eorum intentio ita primam gratiam laeserint ut perinde valere requiratur. S. Poenit. dilecto in Christo vicario oratori respondet, ex ea tantum facti circumstantia nullam non reddi impetratam dispensationem. »

(1) Cf. Caillaud, n. 46, 289.

(2) N. 289. De ejusmodi timore vel intentione, et de actu civili jam praestito, plura habes apud eumdem, n. 46 sqq. 231 sub 3°, 289, Carr.

719. 10° Quoties dispensatio petitur in gradu, pro quo civilis etiam gubernii dispensatione ex legibus civilibus opus est, Sedes Ap. juxta nonnullos (1) postulat ut haec prius fuerit obtenta; quod tamen alii merito negant (2).

11° Dispensationis olim obtentae (3) mentio necessaria non est, nisi aut jus tertii laedatur aut absque ea mentione impedimenti quantitas vel qualitas non sit sufficienter proposita superiori, qui priori dispensatione memorata novam multo difficilius concederet. Hinc necessaria est ex. gr. quando, post obtentam pro uno matrimonio contrahendo dispensationem in voto, nova pro alio matrimonio petitur, vel quando non nova simpliciter dispensatio, sed prioris alicujus dispensationis convalidatio postulatur, vel juxta multos quando ex eodem crimine oritur impedimentum in quo jam antea fuit dispensatum.

Negatae vero olim dispensationis mentio non requiritur, si ab eodem superiore vel aequalem potestatem habente negata fuit prior dispensatio, excepto tamen recursu ad aliquam Congr. Romanam post aditam aliam (n. 682, 688). Neque necesse est apud Sedem Ap. memorare repulsam habitam ab Ordinario. Sed dispensatione negata a Sede Ap., non potest, eadem allegata causa, peti ab Ordinario, etiamsi repulsae fiat mentio, quum in istiusmodi casu ob eamdem causam dispensandi facultate Ordinarius in praesenti saltem materia carere omnino videatur (4).

n. 1136, *Comp.* n. 250, tr. Mechl. n. 99, p. 519, Gury ed. Ballerin. t. 2, n. 870, Bangen, tit. 2, p. 203, Planchard, n. 66.

(1) Cf. Bouvier, de matr. c. 4, art. 5 § 2, Caillaud, n. 14, 356, Téphany, n. 118, 211.

(2) Cf. Planchard, n. 29.

(3) Cf. Gutierrez, *Canon. quaest.* l. 3, c. 123, n. 19 sqq., de Justis, l. 1, c. 4, n. 188 sqq., *Casus conscient.* Ben. XIV, t. 4, Leod. 1854, p. 256 sqq., S. Alph. n. 1137, Gury ed. Ballerin. t. 2, n. 874, Scavin. t. 4, n. 598 sub 8, Giovine, t. 1, p. 163 sq., t. 2, p. 20 sqq. 45 sq.

(4) Cf. n. 685; in contrarium vid. Kugler, t. 2, part. 4, n. 171, et q. 24 ex iis quae sunt ad calcem, Gury ed. Ballerin. t. 1, n. 119 sub 5°, *Casus* ed. 1866, t. 1, n. 121, Giovine, t. 2, p. 21 sq.

12° Si raptus locum habuit, necessario exprimi debet (1).

720. Finem hic habet explicatio eorum quae in libello supplici exprimi debent; per se vero intelligitur non omitti circumstantiam occulti, quamquam ex modo ipso recurrendi deprehenditur. Ea autem quae exprimenda diximus, applicanda etiam sunt dispensationibus quae ab episcopis petuntur (n. 697). Quod autem spectat ad quaestionem, an episcopus, ex indulto dispensans, id facere queat, si intervenerit incestus vel quasi incestus aut malitiosa intentio, cujus nulla sit mentio in indulto, imprimis quidem circumstantiam incestus cet. evidenter comprehendunt ea indulta, quibus datur facultas dispensandi una cum facultate prolem susceptam legitimandi, ut fit numero 3 quinquennalium fori externi (n. 614), et in aliis indultis (n. 623 passim). Sed etiamsi indultum nullatenus memoret incestum vel malitiosam intentionem, nihilominus dicendum est posse episcopum dispensare, idemque dicendum de iteratione incestus et revalidatione dispensationis ab episcopo concessae, ex aliqua causa praedicta invalidae (2). Non videtur episcopus teneri ad exigendum juramentum, cujus mentio fuit n. 713 sub *b* (3).

Quodsi in casu quo dispensatio ab episcopo petitur, duplex requiratur supplicatio, altera in foro externo, altera in foro conscientiae, haec potest fieri sive episcopo sive Majori Poenitentiario (4). E contra, quando impedimentum ab episcopo relaxari

(1) Cf. n. 187, 616, Giovine, t. 2, p. 54 sqq. 138 sqq., Planchard, n. 192 sq. et ap. *Nouv. rev. th.* t. 15, p. 438 (442) sqq.

(2) Id non solum deducitur ex S. Poenit. 1 junii 1858 (n. 697), et S. C. de P. F. Instr. a. 1877 in fine, sed patet etiam ex S. Poenit. 10 maii 1876, 14 jul. 1881 (ap. Planchard, n. 99 et p. 152 not. 3); cf. Caillaud, n. 355 sq. 391 sub 5°, Planchard, n. 99, 351, et nostr. n. 729.

(3) Cf. Caillaud, n. 348 sub 7°, Planchard, n. 316 sub 3°, et nostr. n. 755.

(4) Quum ep. S. Flori supplicasset pro gratia, ut oratores, ne facile penes episcopum infamarentur, non tenerentur sub poena nullitatis exponere incestum, S. Poenit. 14 apr. 1854 respondit : « S. Poenit., mature

nequit, vel, licet possit, a Sede tamen Ap. dispensatio petitur, supplicatio, quae propter occultum incestum pro foro conscientiae separatim instituitur, et ipsa Sedi Ap. fieri debet, nec quidquam circa eam episcopus potest (cf. n. 631); quamquam is deinde uti potest indulto, quod obtinuerit, convalidandi dispensationem a Sede Ap. invalide obtentam propter incestum reticitum vel iteratum, nisi tamen adfuerit malitiosa quoque intentio, de qua mox iterum; animadvertendum autem est an comprehendat etiam incestum iteratum (1). Episcopus ex indulto convalidans non videtur teneri illud exigere juramentum, de quo n. 713 sub *b* (cf. p. 719 not. 3). Malitiosa intentio indulto convalidandi non comprehenditur, nisi in eo memoretur (2), memorari autem non solet (3). Porro ex dictis colligitur non eodem semper passu procedere indulta dispensandi et indulta convalidandi.

721. Incestu non allegato, neque Datariae neque Poenitentiariae mos est dispensationem concedere cum clausula, eam valituram etiamsi incestus adfuerit seu detegatur, et, allegato incestu, clausulam pro eo forsan iterato sola Poenitentiaria olim adhibe-

perpensis expositis, rescribendum censuit : Si aliqui oratores obtinuerint dispensationem super gradu prohibito in tertio vel quarto gradu cum reticentia copulae inter eos secutae, quam sine honoris detrimento detegere non valent, et ratione hujus reticentiae petunt dispensationem pro matrimonio contrahendo, seu revalidationem matrimonii contracti, petitionem hanc dirigere, pro eorum arbitrio, possunt, suppressis quoque nominibus, vel ad suum episcopum, sive ad hujus vicarium generalem, quatenus opportunis facultatibus aucti fuerint a Sede Ap., qui naturaliter secretum servabunt, vel ad sacram Poenitentiariam; » ap. Caillaud, n. 392.

(1) Vide n. 12 facultatum quinquennalium fori conscientiae (n. 622), alia indulta (n. 623). Comparatione instituta cum facultatibus Majoris Poenitentiarii (n. 606 sq.), liquet non omnia, quae his continentur, episcopis communicari. Cf. Caillaud. n. 168 sub 4°, 335 sq., 342 sqq., 391 sub 4°.

(2) Vid. S. Poenit. 4 jul. 1834, ap. Planchard, n. 300, et 10 maii 1876: ib. n. 99.

(3) Ex. gr. non memoratur n. 12 quinquennalium fori conscientiae (n. 622, cum quo cf. n. 607), neque in indultis citatis n. 623.

bat, hodie vero amplius non adhibet (1). Quaeritur autem possitne Ordinarius, sive ipse dispensans sive Sedis Ap. dispensationem fulminans, id facere cum clausula valituram dispensationem, etiamsi incestus detegatur commissus vel iteratus.

a. Quando Ordinarius dispensandi indulto utitur, stricte loquendo conditionata ejusmodi forma uti posse videtur pro iis omnibus, quae ejus indulto comprehendi diximus n. 720.

b. Sed quando aut dispensare nequit aut, licet possit, non tamen ipse dispensat sed Sedis Ap. dispensationem fulminat, conditionata illa forma uti nequit nisi convalidandi indulto sit munitus, atque intra terminos tantum huic praestitutos juxta dicta n. 720.

c. Quoties vero conditionata haec forma adhibetur, poenitentia quoque aliave conditionate injungi debent ab eo, qui ita fulminat vel indulto suo utitur; quae quidem deinde, prout potestatem dispensandi vel revalidandi Ordinarius acceperit pro publicis aut pro occultis, et prout agatur de publico aut de occulto, absolute imponitur a parocho vel confessario, ante matrimonium detegente incestum commissum vel iteratum.

d. De stricta potestate haec dicta fuerunt, consulenda tamen non est, sed graves difficultates patitur conditionata ejusmodi forma. Sponte itaque adhibenda non est, nisi forsitan pro iteratione incestus occulti jam in supplicatione expressi. Confessario autem petente, facile quidem est adhibenda pro casu modo indicato, rarius pro incestu nondum expresso. Sed pro foro externo, seu petente parocho, omnino videtur ab ejusmodi forma abstinendum (2).

722. Quum episcopo dispensaturo eadem sint exponenda quae Sedi Ap. (n. 697), et incestus jure quoque communi, ideoque etiam pro quasi ordinaria potestate exercenda, exponendus dici

(1) Teste Planchard l. c. sup. p. 710 not. 3.

(2) De praedictis cf. Caillaud, n. 300, 349, ubi S. Poenit. 19 maii 1834, et n. 394, de Saint-Exupéry, p. 30 sqq., et nostr. n. 710.

debeat, incommodum illud obvenit ex duplici supplicatione, scil. et pro foro externo et pro foro conscientiae, episcopo facta, quod is suspicabitur, imo facile concludet eos, qui pro foro conscientiae supplicant, esse eosdem qui pro foro externo. Neque infamiae solum sed et revelationis sigilli sacramentalis periculum posset induci. Quae ipsa incommoda interdum sunt timenda ex sola utriusque libelli supplicis, mediante Ordinario, Romam transmissione. His incommodis, quo melius fieri possit, avertendis varia excogitata fuerunt media (1).

Nulla quidem difficultas est si uterque in foro externo delictum occultum sponte, vel prudenter interrogati, fatentes, consentiant ut circumstantia ejusmodi, observatis dictis n. 713 sub *b* et *c*, in libello fori externi exprimatur. Sed si id fieri nequeat, duplici libello locus est, et diversa a diversis media proponuntur. 1° Ut, si revelationis periculum timeatur, oratoribus id dicatur, petendo utriusque consensum ut nihilominus Ordinario pro utraque dispensatione supplicetur vel utraque supplicatio per eum transmittatur, insuper oratores monendo, Ordinarium et secreto teneri, et eorum personas, quod esse solet, notas non habere. Consensus tamen obtenti non fiet mentio in supplicatione, ne hoc ipso revelationis periculum certius reddatur. Quod si utriusque consensus non obtineatur, directe ad S. Poenit. scribetur pro foro conscientiae; n. 686, 689 (2). Monet autem van de Burgt l. c., consensui praedicto obtinendo praesertim esse allaborandum, si proxime celebrari matrimonium debeat, ac praeterea removeri aliquatenus posse revelationis periculum aliam allegando causam pro foro ex-

(1) Cf. Caillaud, n. 165, 392, van de Burgt, *De disp.* n. 63, de Saint-Exupéry, p. 105, tr. Mechl. n. 98, p. 514, Bouvier ib. n. 99, p. 522, op. *Responsa ad quaestiones a.* 1873 *Conferentiis ven. cleri dioec. Buscoducen. propositas*, Gestel S. Michaëlis, p. 386 sq.

(2) Hoc ipsum medium a S. Poenit. 14 apr. 1854 fuisse indicatum episcopo S. Flori, et negatam ab ea fuisse oratorum propter praedictum incommodum exemptionem a necessitate exprimendi incestum, vidimus n. 720.

terno, aliam pro foro conscientiae. 2° Ut pro foro conscientiae recurratur per sacerdotem in alio loco habitantem. Sed quando ipse Ordinarius est dispensaturus, verum est quod scribit van de Burgt l. c., incommoda non evanescere. Quando autem pro foro conscientiae ad S. Poenit. recurritur, praesto est directus ad eam recursus. — Potiora itaque sunt quae sub 1° indicantur, simul tamen notandum opinamur, dici non posse in omni praecise casu per se incommoda illa et periculum ita existere, ut semper aut opus sit oratorum consensu aut supplicatione directe ad S. Poenit. transmissa; ex prudenti potius in singulis casibus judicio id pendet. — Porro duplex ad Ordinarium recursus ordinatur ad normam dictorum n. 689, 713.

CAPUT XXXIII.

DE VITIIS DISPENSATIONUM EORUMQUE SANATIONE.

723. Vitiatur dispensatio aut per suppressionem veri seu *subreptionem*, aut per expressionem falsi seu *obreptionem*, quarum utraque potest locum habere aut circa ea quae necessario exprimi debent, aut circa causam. Mutatio etiam supplicationi superveniens, seu causae cessatio, in quaestionem venire potest, ad duo tamen vitia praedicta commode reducitur. De extrinsecis quibusdam causis nullitatis pauca notabimus in fine hujus capitis.

Ut subreptio vel obreptio invalidam reddat dispensationem, substantialis esse debet, nempe ejusmodi ut dispensantis voluntas errore niti et deesse sit dicenda, sive quia ignorat substantialem quantitatem et gravitatem impedimenti quod tollere videtur, sive quia falsa est causa allegata ob quam dispensavit, sive propter regulas ab eo praescriptas de iis quae, ne irrita sit dispensatio, exprimi debent si vera sint, affirmari vero nequeunt si sint falsa.

Imprimis quidem invalida dispensatio est si in supplicatione,

sive bona sive mala fide, commissa fuit subreptio vel obreptio in iis, quae ex jure communi vel stylo et praxi praecipiuntur sincere exponenda, ne evanescat dispensatio. Quaenam autem haec sint, vidimus cap. praec. § 3; unde patet non omnem falsitatem sufficere ut dispensatio fiat irrita.

Ad causam dispensandi potissime pertinet illa dispensationum clausula, etiam subintelligenda si non fuisset addita, qua dispensatio vel vere datur vel committitur fulminanda ea conditione, ut preces veritate nitantur (1).

724. Error seu falsitas in unica causa finali, vel in iis quae ad hujus substantiam pertinent (2), dispensationem, non obstante bona fide, et licet alia existat causa sufficiens vera, quae non fuit allegata, reddit invalidam, idque, nostro quidem judicio, etiamsi forsitan peculiaris causa ab oratoribus allegata non repetatur in rescripto, sed ejus loco generaliter dicatur concedi dispensatio « ex certis rationabilibus causis animum eorum moventibus et Nobis expositis, » quod interdum fieri vidimus p. 631 not. 1 (3). Ejusmodi enim locutio videtur non posse confundi cum alia illa pertinente ad causam quae dicitur « ex certis rationabilibus causis; » idque deducitur tum ex eo quod in hac pro causa sit

(1) Cf. c. 34 § 2 — 4, Giovine, t. 1, p. 111-113.

(2) Cf. c. 31, Giovine, t. 1, p. 191 sq.

(3) Caillaud, n. 52, 258, notat brevia Datariae causam, licet ab oratoribus expositam, non memorare, nisi agatur de angustia loci, aetate oratricis, incompetentia dotis, incestu publico; in reliquis vero casibus adhiberi verba : « Ex certis rationabilibus causis animum eorum moventibus et Nobis expositis. » Ib. n. 258 scribit, his verbis adhibitis, causae ab oratoribus in specie allegatae verificationem non requiri, dubitari tamen posse an dispensatio possit executioni mandari et valeat si etiam absque inquisitione certo constet de causae falsitate. Porro, quum supplicatio quae fit S. Poenit. pro foro externo semper memoret causam, et ipsum rescriptum, quod immediate sequitur, contineat clausulam « Si vera sunt exposita, » verificationem causae pro S. Poenit. literis semper requiri (ib. n. 260).

major Componenda, tum ex additis in eo, de quo nunc agimus, casu verbis « et Nobis expositis (1). »

Si plures causae finales, vel ad finalem constituendam, allegatae fuerint, error seu falsitas certo reddit invalidam dispensationem, quando ea, quae vera est, dispensationi obtinendae non sufficiebat. Si vero causa aliqua, quae ex praxi noscitur esse adaequata, remaneat vera, scinduntur auctores (2). Ordinarii judicium exquiratur; quod si fieri nequeat, valida videtur posse haberi dispensatio, nisi aut constet dispensantem praecise fuisse motum per causam quae falsa nunc scitur, vel per omnium causarum concursum, aut, juxta mox dicenda de causa impulsiva, ex mala fide seu dolo falsitas proveniat. Ceterum ante omnia videndum est, an ex rescripto mens dispensantis nota haberi queat. Idem dubium movetur circa casum, quo, duobus ex. gr. expressis impedimentis, unum tantum existere reperiatur, vel in uno tantum adsit subreptio vel obreptio. Non eadem est omnium doctrina (3); existimamus autem non valere dispensationem si impedimenta inter se sunt connexa; si vero non sunt connexa, valere dispensationem pro impedimento revera existente, etiamsi quoad aliud intervenerit dolosa subreptio vel obreptio, dummodo causa sit vera. « Similiter si quis petierit secum dispensari in voto castitatis, proposita causa periculi incontinentiae ex tentationum vehementia, quae causa ad dispensandum in voto revera subsistit; et insimul super impedimento consanguinitatis, allegata pro causa mulieris aetate annum vigesimum quartum excedente, quae omnino falsa est; rescriptum quoad dispensationem in voto validum est,

(1) Cf. n. 667 sq.; idem videtur colligendum ex Conrad. l. 7, c. 2, n. 114, de Justis, l. 3, c. 13, n. 6.

(2) Cf. de Justis, l. 3, c. 1, n. 56 sqq., Kugler, t. 2, part. 4, q. 47 ex iis quae sunt ad calcem, Reiff. cit. App. n. 207, S. Alph. de legg. n. 185, Caillaud. n. 124. 267 sub 4°, van de Burgt, *De disp.* n. 94 sub B, tr. Mechl. n. 97, p. 505 sq., Gury ed. Baller. t. 1, n. 119 sub 4°.

(3) Cf. Conrad. l. 7, c. 6, n. 80 sqq., Giovine, t. 1, p. 185 sq. coll. p. 113 sq.

licet irritum sit quoad dispensationem super consanguinitatis impedimento (1). »

725. Subreptio vel obreptio in causa impulsiva (2) juxta alios semper, juxta alios numquam, juxta alios in solo casu malae fidei seu doli irritat dispensationem. Tertiam hanc doctrinam amplectimur, quae nititur perspicuo textu c. 20 *De rescriptis*. Unica autem causa allegata, profecto est finalis; dubium vero sitne causa aliqua finalis, an vero impulsiva, solvendum est, si fieri potest, ex rescripto ejusque cum libello supplici comparatione, dein ex causae juxta stylum et praxim qualitate. Dubio autem persistente, multi, contradicentibus aliis, valde rationabiliter tradunt, favore validitatis causam esse habendam pro impulsiva, atque eodem modo procedendum esse in dubio sitne causa vera an falsa, et utrum necne tota cessaverit (3). Praestat antea consulere Ordinarium.

726. Non obstantibus iis quae de dispensationis propter subreptionem vel obreptionem nullitate dicta fuerunt, multi (4) docent validum esse habendum matrimonium, si causae bona fide allegatae falsitas nonnisi contracto matrimonio detegatur, idque nonnulli etiam sentiunt de valore dispensationis si, hac fulminata, causa numquam extitisse reperiatur. Priorem partem facile ad-

(1) Giovine, t. 1, p. 186.

(2) Cf. Corrad. l. 1, c. 1, n. 10, de Justis, l. 1, c. 4, n. 21 sqq., l. 3, c. 1, n. 54, Reiff. cit. App. n. 208, et n. 184 sqq. *De rescriptis*, Boeckhn, n. 70 cod., Wiestner, n. 41 sqq. cod., S. Alph. de legg. n. 185, Bangen, tit. 2, p. 201, Gury, *Casus* ed. 1866, t. 1, n. 117, van de Burgt, *De disp.* n. 94 sub 2°, Caillaud, n. 266 sub 2° et 3°, de Saint-Exupéry, p. 22, Giovine, t. 1, p. 113 sq., 189 sqq., t. 2, p. 221 sq.

(3) Cf. S. Alph. de legg. n. 185, de matr. n. 1133, Scavin. t. 1, n. 267, Caillaud. t. 2, n. 267 sub 8°, van de Burgt, *De disp.* n. 96 in fine, 128, tr. Mechl. n. 97 in fine, coll. p. 506, Bangen, tit. 2, p. 201, Giovine, t. 1, p. 114, 121, Gury ed. Baller. t. 2, n. 868, q. 3.

(4) Cf. Corrad. l. 7, c. 2, n. 27, de Justis, l. 3, c. 3, n. 68, Caillaud, n. 264, van de Burgt, *De disp.* n. 94 sub D, 126, Carr. n. 1116, *Comp.* n. 244, Giovine, t. 1, p. 140 sq. 194-197.

mittimus, posteriorem vero non ita, et longe distat posterior iste casus ab eo, quem mox indicabimus, de causa vere existente sed totaliter cessante post fulminationem; non raro tamen partes erunt relinquendae in bona fide (1).

727. Valere dispensationem concessam propter causam veram, sed quam falsam putabant oratores, communius auctores docent; quamquam dissentiunt de casu quo dispensans quoque seu fulminans eam pro falsa habuerit (2).

Quod spectat ad tempus, quo causa debeat vere existere, 1° juxta plerosque necesse non est existat eo tempore quo dispensatio petitur; at si causa deinde malitiose verificetur, irrita est dispensatio eo casu, quo hujusmodi malitia vel causae voluntariae ratio necessario debet exprimi (3).

2° Existere causam debere quando Pontifex dat mandatum dispensandi, alii affirmant, alii negant (4); praeplacet prior opinio, cui favere videtur S. Poenit. 28 nov. 1851 (5); quia tamen non omnimodam fortasse certitudinem parit hoc reseriptum, et graves

(1) Cf. Giovine, t. 1, p. 197 sq.

(2) Cf. n. 685, S. Alph. de legg. n. 181, de voto n. 251, Carr. n. 1117, *Comp.* n. 244, Caillaud, n. 269, Giovine, t. 1, p. 196 sq.

(3) Vid. n. 680, 708, 711 sqq. 718. Gutierrez, *Canonic. quaest.* l. 3 seu tract. de matr. c. 126, de Justis, l. 1, c. 6, n. 299 sqq., Reiff. cit. App. n. 218 sq., Kugler, t. 2, part. 4, q. 42 ad calcem, Carr. n. 1120 coll. 1118, *Comp.* n. 240, Caillaud, n. 124, 261, 268, van de Burgt, *De disp.* n. 94, q. 2 sub 3°, tr. Mechl. n. 97, p. 506, Giovine, t. 1, p. 115 sq. Praeterea de praxi S. Poenit. in casu quo cum pauperibus dispensat in foro externo, et ante mandatum dispensandi paupertas reperitur falsa, cf. secr. S. C. C. in cit. *Dubia* cet. 28 junii 1873 (n. 651).

(4) Variam auctorum doctrinam vid. ap. Corrad. l. 7, c. 2, n. 26, 31 sq., c. 6, n. 25, de Justis, l. 1, c. 6, n. 296 sqq., l. 3, c. 1, n. 79, 81, Reiff. cit. App. n. 220 sqq., Kugler l. c., Carr. n. 1121, *Comp.* n. 241, Caillaud, n. 124, 262, Gury ed. Baller. t. 2, n. 868, q. 4, resp. 1. *Casus* ed. 1866, t. 2, n. 1051, tr. Mechl. l. c., van de Burgt l. c. sub 2°, Giovine, t. 1, p. 115 sqq., Planchard. n. 191. Praeterea de supradicta praxi S. Poenit. cf. secr. S. C. C. in cit. *Dubia* cet. 28 junii 1873 (n. 651).

(5) Ap. Caillaud p. 262.

auctores non pauci propugnant sufficere ut causa existat tempore executionis, non negaverim hanc doctrinam posse praxi inservire.

3° Necessario debere causam existere quando dispensatio ipsa conceditur seu fulminatur, omnes affirmant (1); ex. gr. si oratrix, quae allegavit incompetentiam dotis, tempore executionis dotem habeat certo competentem, puta ex legato vel hereditate cui non renuntiavit, evanescit dispensatio, nisi rei notitia non habeatur nisi post matrimonium (2); de casu autem quo renuntiavit vid. n. 659.

4° Si causa tempore mandati Sedis Ap. (sup. sub 2°) et fulminationis existit, sed intermedio tempore cessavit, valet dispensatio (3); imo in sententia eorum, qui censent sufficere ut causa existat tempore fulminationis (sup. sub 2°), ne opus quidem est hac observatione.

5° De causa quae post fulminatam dispensationem ante matritrimonium cesset graviter decertant auctores (4), et solide potest disputari, sed practice sequi licet opinionem, quae dispensationis valorem et licitam matrimonii celebrationem tuetur.

728. Quae de subreptione vel obreptione dicta fuerunt, ea potissime respiciebant veri reticentiam vel falsi expressionem com-

(1) Cf. Kugler l. c., Carr. n. 1122, *Comp.* n. 242, *Mél. théol.* ser. 6, p. 408, van de Burgt l. c. sub 1°, tr. Mechl. l. c., Bangen, tit. 2, p. 182, Gury ll. cc., Giovine, t. 1, p. 116 sq. Insuper de S. Poenit. cum pauperibus pro foro externo dispensantis praxi, quando inter mandatum dispensandi et executionem paupertas reperitur falsa, vid. secr. S. C. C. in cit. *Dubia* cet. 28 junii 1873 (n. 651).

(2) Cf. n. 659, Giovine, t. 2, p. 213 sq.

(3) Cf. de Justis, l. 1, c. 6, n. 302, Carr. n. 1122.

(4) Cf. de Justis, l. 1, c. 6, n. 302, l. 3, c. 1, n. 82 sqq., Reiff. l. c. n. 227 sqq., Kugler, t. 2, part. 4, q. 44 ad calcem, S. Alph. n. 1132, *Mél. théol.* ser. 6, p. 409, Gury ed. Baller. n. 868, q. 4, resp. 2, *Casus* ed. cit. t. 2, n. 1050, Caillaud, n. 124, 126, 263 sub 4°, van de Burgt l. c. sub 3°, tr. Mechl. n. 97, p. 507. Carr. n. 1123. *Comp.* n. 243, Giovine, t. 1, p. 118 — 121. De S. Poenit. cum pauperibus pro foro externo dispensantis praxi, quando post executionem paupertas reperitur falsa, vid. secr. S. C. C. in cit. *Dubia* cet. 28 junii 1873 (n. 651).

missam ab oratoribus. De casu autem quo in supplicatione error seu falsitas provenerit a parocho vel confessario vel Ordinario vel Agente Romano, de casu etiam quo in rescripto provenerit a curialibus, demum de eo quo in fulminatione error vel falsitas locum habeat, theoretice multa eaque diversa dici possunt, sed in praxi vix umquam potest dispensatio executioni mandari. Etenim dispensandi mandatum datur conformiter ad supplicationem ut se habet et superiori offertur, delegatus vero tenetur sequi tenorem rescripti; hoc autem, si errorem seu falsitatem substantialem continet, executioni mandare nequit. In fulminatione vero non ita facile quidem error vitiat, dummodo in supplicatione et rescripto omnia recte se habeant, stricte tamen est expendendum, an per verba sua fulminans vere tollat id quod ex rescripto tollendum erat, et pro iis pro quibus tollendum erat (1).

729. Quando vitium ex subreptione vel obreptione proveniens sanari nequit, quia impedimentum aliud detectum est indispensabile, matrimonio est valedicendum, sed in raro aliquo casu, praesertim post contractum matrimonium, in bona fide possunt relinqui (2). Si vero sanari vitium queat, multi docent sanatione opus non esse, quando consistit in causae finalis bona utriusque fide allegatae falsitate post contractum matrimonium detecta; idem tamen non videtur admittendum casu fulminatae quidem dispensationis, matrimonii vero nondum contracti, quamquam non raro partes sunt relinquendae in bona fide (n. 726). Quodsi sanari quidem vitium possit, sed non ante proxime celebrandum matrimonium, applica quae de casu perplexo diximus n. 640 sqq. (3).

(1) De alieno ejusmodi errore cf. n. 698 sq. 702 sq., Corrad. l. 2, c. 3, l. 7, c. 5, n. 9, 71 sqq., de Justis, l. 1, c. 4, n. 12 sqq., Kugler l. c. q. 49 ad calcem, Carr. n. 1169 sq., *Comp.* n. 259, Caillaud, n. 121. 123 — 125, 253, 255 sq., 289, 303, Gury ed. Baller. t. 1, n. 119 sub 2°, t. 2, n. 875 sub 1°, *Casus* ed. 1866, t. 2, n. 1057 sqq., Giovine, t. 1, p. 193, t. 2, p. 7.

(2) Cf. n. 598, van de Burgt, *De disp.* n. 98.

(3) Cf. van de Burgt, op. cit. n. 99.

Subreptionis vel obreptionis sanatio, nisi simpliciter nova petatur dispensatio, obtinetur per invalide obtentae dispensationis convalidationem, seu literas quae vocantur *Perinde valere*. Quae quidem, quum dentur pro validando rescripto jam expedito, differunt a decreto reformatorio, quod datur rescripto nondum expedito, et non hoc sed supplicationem reformat (1). Animadvertendum autem est, super causa finali falsa non dari *Perinde valere*, nisi causa falsa, et ea quae vere existit, in eumdem finem tendant, ut contingit in diversis modis incompetentiae dotis; extra hunc casum simpliciter petitur nova dispensatio (2).

In supplicatione pro *Perinde valere* exprimitur casus ut se habet, repetitis quoad substantiam omnibus, quae in priori supplicatione fuerunt expressa, memorata quoque substantia prioris gratiae, et praecise indicata causa nullitatis. Si matrimonium jam fuit contractum post priorem gratiam, hujus quoque circumstantiae fit mentio, una cum reliquis ad eam pertinentibus, et praesertim an cum scientia nullitatis consummaverint. Dein petitur convalidatio. Rogatur autem ut eidem delegato, cui commissa erat prior gratia, nova quoque committatur. Is vero, acceptis literis, negotium reassumit et priores literas valere decernens, servata earumdem forma, procedit ac si in illis jam contineretur mandatum dispensandi in casu ut nunc se habet, et oratores eum ut nunc est expressissent, atque exequitur commissionem juxta ea omnia quae negotii, de quo agitur, qualitas requirit. Literae enim *Perinde valere* revalidant gratiam prius concessam, et per fictionem retrotrahuntur ad diem datae prioris gratiae. Non tamen sanant defectus non expressos, sed si ipsum quoque *Perinde valere* est invalidum, ejus sanatio simili modo obtinetur per literas quae vocantur *Perinde valere super Perinde valere*.

(1) De literis sanatoriis cf. Corrad. l. 7, c. 2, n. 51 sqq., l. 8, c. 1, n. 39 sq., c. 5, n. 38 sqq., de Justis, l. 3, c. 16, n. 78 sqq., Reiff. cit. App. n. 361 sqq., Kugler, t. 2, part. 4. n. 306, 322 sq. 488. Giovine, t. 2, p. 194 sqq., 204 sqq., *Acta S. Sedis*, t. 5, p. 27 sq.

(2) Cf. Corrad. l. 7, c. 2, n. 52 sq.

Quomodo aut in foro externo aut in foro conscientiae recurri debeat pro obtinendis literis *Perinde valere* facile innotescit, si prae oculis habeantur tum ea quae de primo recursu (c. 32 § 1 et 3) ejusque propter incestum vel malitiosam intentionem convalidatione (n. 714-716, 720 sqq.) dicta fuerunt, tum limites facultatum revalidandi pro foro conscientiae concessarum S. Poenitentiariae quoad literas Datariae et earum quas episcopus obtinuerit (1).

Ex quibus omnibus haec summatim habeto. 1° Si prior gratia in solo foro externo fuit petita, et novum impedimentum publicum (2), vel defectus in foro externo sanandus, detegitur, convalidatio petitur pro solo foro externo; si vero novum impedimentum vel defectus ad forum conscientiae pertinet, pro hoc solo recurritur nec fit novus in foro externo recursus. 2° Si prior gratia fuit petita in solo foro conscientiae, et novum quoque impedimentum vel defectus eo pertinet, pro solo foro conscientiae convalidatio postulatur; sed detecto impedimento vel defectu spectante ad forum externum, tum pro hoc foro recurritur, tum pro foro conscientiae petitur convalidatio. 3° Si prior gratia fuit petita et in foro externo et in foro conscientiae, novumque impedimentum vel defectus ad externum forum spectat, duplici recursu convalidatorio opus est; sed novo impedimento vel defectu spectante ad forum conscientiae, in hoc solo convalidatio est petenda.

De revalidatione facienda per episcopum speciatim diximus n. 720 sqq. Ex ibi notatis deprehenditur convalidationem posse

(1) De S. Poenit. cf. n. 606 sq., Giovine, t. 2, p. 81. 88 sq., de episcopis cf. n. 622, 623, 720. Ex his omnibus locis colligitur, qualis defectus possit vel non possit pro foro conscientiae sanari per facultates revalidandi, quibus aut S. Poenit. aut episcopus gaudet. Rejicienda autem est eorum opinio qui olim tradiderunt, episcopum posse dispensare in casu dispensationis Ap. invalide obtentae; contra quos cf. n. 637, Wiestner, n. 60 sq. *De matr. contracto contra interd. Eccl.*

(2) Per se patet novum impedimentum intelligi ante prioris gratiae fulminationem existens; nam quod post hanc tantum oritur prioris gratiae sanationem non exigit (n. 707 in fine).

peti ab episcopo, quoties prior gratia ab ipso fuit concessa, et res noviter detecta aliunde ejus potestatem non excedit; sed gratiam a Sede Ap. factam non posse ab episcopo sanari, nisi intra terminos facultatis revalidandi, quae ad casum incestus solet esse restricta (1). Indultum itaque ejusmodi non comprehendit potestatem convalidandi dispensationem Sedis Ap. irritam propter novum impedimentum detectum, etiamsi hoc impedimentum episcopi facultatibus dispensandi contineatur, idque dici debet non solum quando primum impedimentum relaxare episcopus non potuisset, sed etiamsi illud quoque relaxare potuisset, sed de facto fuerit dispensatio petita a Sede Ap. (2). Sed potestne episcopus, non quidem validare dispensationem Sedis Ap., verum ipse dein dispensare, si ceteroqui nihil adsit quod ejus indulta dispensandi excedat (3)? Potest, si novum impedimentum ortum est post prioris gratiae validam executionem (n. 707), vel si prior gratia unice fuit concessa super impedimento, in quo episcopus dispensare potuisset, et cum quo nihil occurrit quod exigat recursum ad Sedem Ap.; in reliquis vero casibus potestas episcopi excluditur juxta dicta n. 631, 707.

Quae de defectu potestatis revalidandi tradidimus, ea non excludunt quasi ordinariam episcopi in urgentissima necessitate potestatem dispensandi, si conditiones ad hanc requisitae non desint.

730. Praecipua eaque intrinseca dispensationis vitia exposuimus. Ejus autem invaliditas extrinsecis quoque causis adduci potest, ex. gr. defectu potestatis in dispensante, defectu acceptationis, invaliditate fulminationis. Accedunt demum indicia falsitatis rescripti.

(1) Indultorum exempla vid. n. 622, 623, coll. n. 720 sqq.

(2) Cf. n. 631, 707, 720 sqq. Contrarium supponitur in tr. Mechl. App. p. 562.

(3) Hac de re cf. Kugler, t. 2, part. 4, q. 24 sq. ex iis quae sunt ad calcem.

Dispensatio invalida propter defectum potestatis non sanatur nisi per dispensationem superioris competentis.

Juxta ea, quae n. 715 diximus, sufficit acceptatio facta dum petebatur dispensatio; casu autem, quo sive clausulae alicujus acceptatio insuper necessaria est, sive dispensatio fuit insciis partibus petita, acceptatio quidem necessaria est, sed etiamsi negata fuerit, postea fieri potest, ut deinde, circumstantiis non substantialiter mutatis, fiat fulminatio (1).

An autem invalide facta fulminatio possit sanari causam reassumendo ac denuo fulminando, et an aliquando possit delegatus sententiam a se pronuntiatam revocare, dicetur n. 735.

Demum falsitatis literarum Ap. indicia sunt difformitas cum stylo Curiae, insolitae clausulae, absentia Datae vel hujus expressio modo a stylo Curiae alieno; in ejusmodi casibus abstinendum est ab executione (2).

CAPUT XXXIV.

DE DISPENSATIONIS EXECUTIONE SEU FULMINATIONE ET CLAUSULIS.

§ 1. *Cuinam competat fulminatio.*

731. Dispensatio hodie a Sede Ap. concedi non solet nisi in forma commissoria, ideoque tunc tantum completur seu actu conceditur, quando ab eo, cui in rescripto committitur, fit rescripti executio seu fulminatio. Vult Conc. Trid. sess. 22, c. 5 de ref., ut dispensationes, quae extra Romanam Curiam committendae sunt, committantur Ordinariis locorum; eae vero, quae gratiose

(1) Vid. n. 734. De notitia executionis necessaria ut valide matrimonium ineatur, cf. Giovine, t. 1, p. 145 sqq., et de non acceptatione vel renuntiatione, ib. p. 161 sqq., et nos n. 734.

(2) Cf. Giovine, t. 2, p. 127 sqq.

conceduntur, suum non sortiantur effectum, nisi prius ab eisdem, tamquam delegatis Apostolicis, summarie tantum et extrajudicialiter, cognoscatur, preces non esse subreptitias vel obreptitias. Ad fori externi dispensationes id pertinet; nam pro foro conscientiae committi solent confessario ab oratoribus electo vel eligendo. Dispensationes Datariae regulariter committuntur episcopi vicario generali, seu officiali, qua voce de jure communi indicatur vicarius generalis; distincta tamen utriusque vocis significatio in non paucis dioecesibus viget. Dispensationes S. Poenit. pro foro externo committi solent proprio oratorum Ordinario. Passim autem notavimus, Sedem Ap. consuevisse mandatum committere sponsae Ordinario, vel hujus vicario generali seu officiali, et dioecesis quidem originis; hodie tamen domicilii quoque Ordinario cet., quo mediante recurritur, literas committi; opportune autem exprimi hanc circumstantiam, dioecesis quoque originis ac domicilii diversitatem, et an de domicilii aut quasidomicilii dioecesi agatur. Sponsi Ordinario cet. literae non facile committuntur, quare, si per eum recurratur, addatur hujus rei ratio (1).

Quum executio facta ab alio quam delegato sit invalida, summi momenti est animadvertere cuinam sit data commissio. Atque imprimis quidem commissio alicui data, non sub solo officii sed addito proprio nomine, ab eo solo potest executioni mandari; attamen fieri illud non solet in re praesenti (2). Solo autem officii nomine expresso, observanda sunt quae sequuntur.

732. *a.* Commissionem factam *Ordinario* exequi possunt tum episcopus, tum vicarius generalis, tum officialis qui est vicarius

(1) De praedictis cf. Giovine, t. 2, p. 119 sq., tr. Mechl. n. 100 init.; vid. etiam sup. n. 628, 638 sub 2°, 651, 686; de casu autem quo officiali cet. alterius dioecesis inscribitur mandatum vid. n. 699.

(2) De praedictis cf. Giovine, t. 1, p. 136 sqq. 156 sqq. 159 sqq., t. 2, p. 118 sqq. Scribit autem eum, cui addito etiam proprio nomine fit commissio, semper posse exequi, licet officium amittat, nisi hoc sit privatus in delicti poenam, aut transierit ad statum incompatibilem, adeo ut factus sit jurisdictionis illius ecclesiasticae incapax.

generalis in matrimonialibus (1); neque indiget vicarius generalis vel praefatus officialis episcopi mandato (2). Mortuo episcopo, exequi potest capitulum ante deputationem vicarii capitularis, dein vero is, excluso capitulo, novus etiam episcopus vel hujus vicarius generalis aut modo supra indicato officialis (3).

b. Commissio data *episcopo* (4) executioni mandari potest ab episcopo ejusque successore novo episcopo, non vero a vicario generali seu officiali, capitulo sede vacante vel vicario capitulari. Speciale etiam episcopi mandatum vicario generali non suffragatur, nisi episcopus acceperit potestatem subdelegandi (5).

c. Delegationem datam *vicario generali episcopi* (6) exequi nequeunt episcopus, capitulum sede vacante, vicarius capitularis,

(1) S. Poenit. 6 mart. 1835, ap. Bizzarri, *Collectanea*, p. 668, 17 junii 1852, ap. Caillaud, n. 297, coll. nostro n. 632 sub *c*.

(2) S. Poenit. 5 sept. 1859 ad 1 et 3, ap. Planchard App. IX. *Nouv. rev. th.* t. 14, p. 638, tr. Mechl. l. c.

(3) S. Poenit. 25 nov. 1820, et 14 nov. 1834, ap. Caillaud, n. 361. Fallitur igitur Giovine, t. 2, p. 120, ubi capitulum et vicarium capitularem excludit. De praelatis inferioribus eorumque vicario generali seu officiali vid. eumdem ib. p. 120 sqq.

(4) Cf. tr. Mechl. l. c., Giovine, t. 1, p. 156 sqq. 159, t. 2, p. 124, de Angelis t. 1, part. 2, p. 100.

(5) Cf. cit. rescr. S. Poenit. 6 mart. 1835, et 5 sept. 1859 ad 2 — 6; S. C. C. 2 aug. 1631, 24 maii 1621 vel 1721, ap. Bizzarri l. c. et auctores ibi citatos; S. C. Ep. et Reg. in *Motulen.* 17 dec. 1577, ap. Bizzarri p. 233 sq., et 668. ubi addit : « Ideoque solet post obitum alicujus episcopi ad supplicationem vicariorum capitularium eis concedere facultatem exequendi litteras Ap., dispensationes, rescripta defuncto episcopo, vel ejus vicario generali commissa. »

(6) Vid. S. Poenit. 21 maii 1833, 21 apr. 1842, ap. Caillaud, n. 360, 6 mart. 1835, S. C. C. 2 aug. 1631, 24 maii 1621 vel 1721, S. C. Ep. et Reg. 17 dec. 1577 (not. praec.), S. C. Ep. et Reg. 23 sept. 1807, ap. Bizzarri, p. 452 sq., *Anal. jur. Pont.* ser. 3, col. 875 sq., ser. 12. col. 858 sqq. Ex auctoribus cf. Caillaud, n. 295, 306, 360, de Saint-Exupéry, p. 18, tr. Mechl. l. c., Girald. *Expos. jur. Pont.* part. 2, sect. 80, Giovine, t. 1, p. 159 sqq., t. 2, p. 122 sqq., resp. Romana privata a. 1868 ad ep. S. Hippolyti (n. 689), Corrad. l. 7, c. 4. n. 38 sqq., de Angelis l. c.

sed ad solum vicarium generalem episcopi vel successorem in vicariatu vel novi episcopi vicarium generalem executio spectat, qui exequi possunt etiamsi episcopus sit censura innodatus. Si autem episcopus ante fulminationem, licet post praesentationem literarum moriatur, ipse ejus vicarius generalis exequi nequit quando negotium nondum coepit tractare seu integra res est, posse vero videtur quando non est integra, sed primum jam actum aliquem pro ea tractanda ipse posuit, ex. gr. committendo parocho verificationem (1). Valida etiam sunt ejus gesta si mors episcopi publice ignoretur, ex. gr. quia in remotis regionibus accidit, uti etiam gesta vicarii revocati, cui revocatio nondum fuit intimata, et juxta multos si ipse eam noscat, sed publice ignoretur. Invalida vero sunt gesta vicarii intrusi. Adeo autem verum est episcopum vel vicarium capitularem non posse exequi commissionem datam vicario generali episcopi, ut verum sit etiamsi is ipse fiat ejusdem dioecesis episcopus vel vicarius capitularis. Pariter commissio data *officiali episcopi* ad solum officialem ejusve successorem vel novi episcopi officialem pertinet, et eadem hic sunt dicenda quae de vicario generali notata fuerunt. De Vice-Officiali vid. n. 733.

In dioecesi, in qua plures sunt vicarii generales vere tales et constituti in solidum, literas vicario generali commissas is exequitur cui prius praesentantur; sed si ex ordinatione episcopi unus sibi habeat peculiariter commissas causas matrimoniales seu sit vicarius generalis in matrimonialibus (n. 632 sub *c*), ab hoc fieri executionem oportet. Commissionem autem factam officiali certo potest exequi vicarius generalis, si in dioecesi non existit munus officialis distinctum a vicariatu generali, sed si distinctum existit, ab officiali solo seu vicario in matrimonialibus generali videtur facienda fulminatio (2).

(1) Discordes sunt auctores; cf. Leuren. *Vicarius episcopalis* q. 298, *Nouv. rev. th.* t. 14, p. 631; inter negantes est Giovine, t. 2, p. 124.

(2) Cf. Caillaud, n. 296, de Saint-Exupéry l. c., Giovine, t. 1, p. 160 sq., n. 3 et 5, cit. resp. Romana privata (n. 689).

d. Sede episcopali vacante, dispensationes saepe committuntur Ordinario seu episcopo vel vicario generali dioecesis vicinioris. Si vero committantur *vicario capitulari*, executioni dari nequeunt nisi ab ipso ejusve in officio successore, et excluduntur etiam novus episcopus ejusque vicarius generalis, etiamsi ipse vicarius capitularis fiat ejusdem dioecesis episcopus (1).

e. Partes quae in casu aliquo, in quo successor in officio expectandus est, expectare nolunt, novum a Sede Ap. judicem seu « mutationem judicis » petant necesse est (2).

733. Delegatus, seu is cui sive a Dataria sive a Poenitentiaria datur commissio, ipse fulminare debet nec potest alium ad hoc subdelegare, nisi a Sede Ap. ita subdelegandi facultate accepta; imo in hoc ipso casu ordinarie praestat ut ipse delegatus fulminet. Ne Vice-Officialis quidem subdelegari potest. Si tamen episcopus eum ita nominaverit ut pro tempore absentis vel impediti officialis in totum hujus munus sit substitutus, potest ejusmodi Vice-Officialis eo tempore absque delegatione literas exequi. Interdum etiam fuit responsum episcopum posse acquiescere si Vice-Officialis esset simul Vicarius generalis (3).

Subdelegandi potestate accepta, sedulo est perpendendum utrum in eo qui subdelegabitur certa qualitas requiratur necne, et quid subdelegari possit, an ipsa fulminatio, an absolutio a censuris et poenis (4), an impositio poenitentiae (5) vel eleemo-

(1) Cf. cit. rescr. S. Poenit. 25 nov. 1820, Giovine. t. 1, p. 157 sq., t. 2, p. 119, Ferrari, t. 2, n. 424.

(2) Cf. Giovine, t. 1, p. 158, t. 2, p. 124 sqq., Planchard, n. 288 sqq.

(3) De praedictis vid. S. C. Ep. et Reg. litt. a. 1818, ap. *Anal. jur. Pont.* ser. 3, col. 876 sq., cit. rescr. S. Poenit. 5 sept. 1859 ad 3 — 6, 13 mart 1869, 6 jul. 1869, 7 sept. 1873, ap. *Nouv. rev. th.* t. 14. p. 628 sqq., Téphany, n. 235 sqq. Cf. Ferrari l. c., Giovine. t. 1, p. 136 sqq., t. 2, p. 119, n. 6. De eadem quaestione quoad indulta dispensandi vid. n. 632 sub *c.*

(4) Cf. Caillaud, n. 113, 246 sq. 417 sq. 308 sqq.

(5) Ib. n. 308 sq.

synae (1). In diversis enim literis diversimode haec ordinata habentur.

Verumtamen etiam absque accepta facultate subdelegandi potest delegatus uti ope alterius, etiam non constituti in dignitate, pro informationibus et verificatione (2).

734. Quod spectat ad cessationem rescripti, 1° per mortem Pontificis, sub quo sive in forma gratiosa sive in forma commissoria concessa fuit dispensatio, non cessant S. Poenit. pro foro conscientiae dispensationes, quum S. Poenit. morte Pontificis non cesset; neque cessant si Major Poenitentiarius hoc munus gerere desinat (n. 611). Dataria vero morte Pontificis cessat (ib.), et expirant dispensationes pro quibus literae nondum sunt confectae (3). Literis vero confectis, imprimis quidem non cessant gratiosae, neque eae commissoriae pro quibus res integra amplius non est, quia primum aliquem pro executione actum posuit delegatus. Re vero integra, alii volunt cessare commissionem, alii non cessare; hi enim affirmant commissionem executionis rescripti Ap. non cessare, quando haec non est omnino libera, sed commissum fuit mandatum obligatorium exequendi si preces veritate nitantur, in praesenti autem materia hanc esse literarum naturam (4). Posteriorem hanc doctrinam certam reddidit auctoritas S. Sedis (5). Idem est dicendum de S. Poenit. literis pro

(1) Ib. n. 284 (coll. n. 104), 309.

(2) Cf. de Justis, l. 1, c. 6, n. 327 sqq., Caillaud, n. 89, 308 sq., Giovine, t. 2, p. 119, 232-238.

(3) Cf. reg. 52 Cancell. et Rigant. in eam.

(4) Variam auctorum doctrinam vide ap. Rigant. n. 7 sqq. in reg. 12 Canc., n. 68 sqq. in reg. 52, Reiff. n. 250 sqq. *De rescript.*, alios canonistas eod. tit., Carr. n. 1171, *Comp.* n. 260, Caillaud, n. 306, Giovine, t. 1, p. 152 sqq., *Nouv. rev. th.* t. 4, p. 338 sqq., op. *Responsa ad quaestiones a.* 1872 *Conferentiis ven. cleri dioec. Buscoducen. propositas*, Gestel S. Michaëlis, p. 232 sqq., Soglia, *Inst. jur. publ. eccl.* § 32, Planchard, n. 177 sq.

(5) S. C. Ep. et Reg. in *Tranen.* 29 apr. 1740 (ap. Bizzarri, *Collectanea*, p. 31, 388 sq., *Anal. jur. Pont.* ser. 11, col. 1086), *Amalphitana* 15 jul. 1740 (ap. Bizzarri, p. 32), *Mindonien.* 7 apr. 1769 (ib. p. 38 sq.).

foro externo, quae praeterea manent etiamsi ante praesentationem, et re integra, Poenitentiarius Major ab officio cesset (n. 611). An delegati morte, vel alia ab officio cessatione, cesset commissio ei data, id ex hujus natura pendet; personalis cessat per mortem (de alia ab officio cessatione vid. n. 731); realis vero transit ad successorem in eodem officio vel dignitate (n. 732).

2° Quamquam cessat (1) rescriptum si oratores penes ipsam S. Sedem ei renuntient, minime tamen cessat si id faciant penes delegatum; sed is potest oratoribus animum mutantibus largiri executionem (n. 730). Pariter hi possunt, licet fulminatione a delegato jam facta uti noluerint, deinde ea uti ad matrimonium celebrandum, excepto tamen voto, quia novum votum ipse sibi imponit qui fulminatione jam facta uti noluit. At extinguitur prima dispensatio, ab oratoribus ex. gr. consanguineis obtenta, si, mutato consilio inter se contrahendi, eorum alteruter, sive ante sive post fulminationem, in nova ad S. Sedem supplicatione ad contrahendum cum diverso consanguineo, declaret renuntiare primae, aut etiam simplicem hujus mentionem faciat. Imo licet nullam ejus faciat mentionem, valet secunda dispensatio obtenta, non obstante reticentia prioris, si aliunde non laedatur jus primae personae consanguineae, quum utraque dispensatio diversum respiciat matrimonium; extinguitur vero prima, quia tacita saltem fit renuntiatio penes ipsum dispensantem. Quodsi, obtenta dispensatione, ad ducendam ex. gr. personam consanguineam, transeatur, sive ante sive post fulminationem, ad alias nuptias, super quibus non est opus dispensatione, tunc videtur non extingui praefata dispensatio, sed, nuptiis dissolutis, iniri posse ma-

(1) De iis quae sequuntur cf. Sanchez, l. 8, disp. 22, Gutierrez, *Canonic. quaest.* l. 3, c. 123, n. 19 sqq., de Justis, l. 1, c. 4, n. 202, c. 6, n. 524 sqq., Giovine, t. 1, p. 161-165. *Nouv. rev. théol.* t. 4, p. 334 sqq., *Responsa ad quaestiones a.* 1872 *Conferentiis ven. cleri Buscoducen. propositas*, p. 217 sqq. An vero qui alias nuptias contraxit teneatur, his solutis, cum prima sponsa contrahere, vidimus p. 441.

trimonium primo intentum ab iis qui post fulminationem consilium mutaverunt; si autem hoc fecerint ante fulminationem, videtur delegatus, causa aliisque in sua integritate manentibus, fulminare posse dispensationem olim obtentam. In neutro casu penes ipsum dispensantem fuit renuntiatum.

3° De revocatione quae fiat a delegato dicetur mox infra.

735. Literae (1) non solum debent esse expeditae, sed, etsi jam expeditae, oratoribus non suffragantur antequam executioni mandentur a delegato, is vero exequi nequit nisi sibi fuerint praesentatae; potestatem enim suam accipit praesentatis sibi literis. Exequi eas debet secundum jus commune et stylum Curiae Romanae, et imprimis videre an falsi suspicione careant (n. 730), an sibi fiat commissio; sedulo quoque perpendere tenorem et formam sibi praescriptam (2); in his enim legem sibi positam habet accurate servandam; conferre etiam literas cum supplici libello; instituere verificationem, et abstinere si literas subreptitias esse invenerit, vel si executio scandalum sit allatura (n. 679). Haec omnia videntur excludere dispensationes medio telegrammatis (3).

Si is (4) qui pro foro externo est delegatus, servata tamen mandati sui forma, non tantum putaverit sed et pronuntiaverit non esse dispensandum, quia literas reputat subreptitias vel obreptitias, vel sibi non commissas, non potest amplius retractare hoc suum decretum nec causam reassumere et exequi, etiamsi se errasse detegat; potest vero si non servaverit formam mandati, et

(1) Cf. Rigant. in reg. 27 Canc., et n. 48 sqq. in reg. 52, Giovine, t. 1, p. 129-141, 166 sq. 192 sq. 198, t. 2, p. 127 sqq. 129 sq.

(2) Cf. de Angelis, t. 1, part. 2, p. 129 sqq. ubi etiam de ablativo absoluto.

(3) De his cf. Caillaud. n. 164, 302, Téphany, n. 152, 487 sq.

(4) Cf. Sanchez, l. 8, disp. 27, n. 39, Pontius, l. 8, c. 17, n. 42, Corrad. l. 7, c. 4, n. 49, 55 sq., de Justis, l. 1, c. 6, n. 486 sqq., Kugler, t. 2, part. 4, n. 192, 488, 529, Caillaud, n. 307, Giovine, t. 1, p. 151 sq. 194 sq., t. 2, p. 242, secret. S. C. C. in *Praten. Matr.* 4 jul. 1722 (*Thes. S. C. C.* t. 2), de Angelis l. c. p. 141.

in isto casu commissionem realem exequi etiam potest successor in officio. E contra confessarius seu delegatus pro foro conscientiae, qui pronuntiaverit non esse dispensandum, semper potest retractare sententiam qua declaravit non esse exequendam dispensationem, et hanc fulminare (inf. § 4).

Quando delegatus post executionem deprehendit, decretum suum ipso jure nullum fuisse propter non observatam mandati formam, causam reassumere potest et denuo exequi. At si formam mandati observaverit, decretum suum, licet ipso jure nullum, revocare nequit, nisi aut a principio rescriptum fuerit obreptitium ex dolo, aut testes in verificatione adhibiti fuerint corrupti, aut subreptio fuerit notabilis in tacenda veritate. Sed quamquam in triplici isto casu revocare potest suum decretum, denuo tamen fulminare nequit, sed oratores ad S. Sedem confugere debent ad impetrandas literas *Perinde valere* sive ad contrahendum sive ad revalidandum matrimonium. In reliquis autem casibus decretum suum, quamvis nullum aut injustum, revocare nequit nec reassumere causam tamquam delegatus. « At cum sententia illa, utpote fovens peccatum matrimonii male contracti, aut male contrahendi, non transierit in rem judicatam, poterit in quantum Ordinarius causam iterum assumere, et impedire matrimonium ineundum, vel jam initum dissolvere : non cognoscens, nec judicans de prioris sententiae viribus, quam ut delegatus pronunciavit : id enim solius est Pontificis delegantis; sed habebit se, ac si nulla esset sententia, et cognoscet de matrimonio contracto, validum sit, necne; vel an possit contrahi; quemadmodum potest cognoscere de quovis alio matrimonio male inito (Sanchez l. c.). »

§ 2. *De praecipuis literarum Datariae clausulis.*

736. Unica paragrapho comprehendemus Datariae tam in forma ordinaria quam in forma pauperum literas, earumque praecipuas

clausulas expendemus, non attendentes ad aliquam in nonnullis diversitatem (1).

Post partem narrativam supplicationis, initio dispositivae haec habent literae in forma ordinaria : « *Nos igitur eosdem... et eorum quemlibet, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes.* Literae in forma pauperum, paucis verbis mutatis, idem edicunt. Absolutio illa est generalis, daturque gratiose ab ipso Pontifice; si autem et ipsa committeretur delegato, deberet necessario praecedere dispensationem. Differt haec absolutio generalis a speciali de qua n. 743, quae nempe delegato committitur casu incestus vel matrimonii invalide contracti in gradu prohibito. Generalis illa, de qua hic agitur, datur ad cautelam, ut habiles fiant oratores ad Ap. rescriptum obtinendum, si fortasse propter censuram (c. 1 *de Rescr.* in VI) sint inhabiles. Dicitur autem *a quibusvis* cet., ut quaevis ejusmodi invaliditatis causa comprehendatur, sive sit censura aut poena a jure sive ab homine inflicta, etiamsi in Bulla Coenae, seu nunc in Pii IX const. *Ap. Sedis*, et sive in propria sive in aliena dioecesi, licet etiam non jure communi, sed particulari, vel consuetudine, et quomodocumque contracta. Per hanc tamen absolutionem rescripti obtinendi capaces non fiunt haeretici neque illi

(1) Specimina formae ordinariae vid. ap. Corrad. l. 7, c. 4, n. 8, l. 8, c. 1, n. 7, c. 4, n. 2, de Justis, l. 1, c. 6, n. 42, Reiff. cit. App. n. 292 sqq., Scavin. t. 4. n. 704 sub II, Kutschker, t. 5, p. 227, Giovine, t. 2, p. 130 sq. 149 sq. 186 sq. Specimina formae pauperum vid. ap. Corrad. l. 8, c. 5, n. 1, de Justis l. 1, c. 7, n. 4, Reiff. l. c. n. 406, Scavin. l. c. sub I, Bangen, tit 2, p. 272-274, Kutschker, t. 5, p. 224 sq., Giovine, t. 2, p. 168 sq. De exteriori literarum Datariae forma, et diversorum ejus officialium in iis conficiendis parte, cf. Bangen, t. 2. p. 174 sq., *Die Roemische Curie*, p. 396 sqq., Caillaud, n. 245. Specimen literarum S. Officii vid. ap. Giovine, t. 2, p. 160 sq., de Saint-Exupéry, p. 71 sq., et S. C. de Prop. Fide, ap. Kutschker, t. 5, p. 225 sq.

quos excipit reg. 66 Cancell., nempe non parentes rei judicatae, incendiarii, violatores ecclesiarum, falsificantes et falsificare procurantes literas et supplicationes Apostolicas, et illis utentes, receptantes et fautores eorum, res vetitas ad infideles deferentes, violatores ecclesiasticae libertatis, via facti ausu temerario mandatis Apostolicis non obtemperantes, impedientes Nuntios vel Exequutores Ap. Sedis, et ejus officialium, eis commissa exequentes, illi etiam qui propter praemissa vel aliquod eorum excommunicati a jure vel ab homine, per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam hujusmodi sustinuerint, et generaliter quicumque alii, qui censuris aliquibus, et alias, quam ut praefertur, quomodolibet ligati, in illis per annum insorduerint (1). At absolutio praefata generalis prodest *ad effectum praesentium dumtaxat consequendum*, seu ut valida sit literarum impetratio; quoad alia omnia remanet censura vel poena, adeo ut unicus tantum ejus effectus tollatur (2).

737. *Certam de praemissis notitiam non habentes... Discretioni tuae de qua plenam in Domino fiduciam habemus.* Important haec verba arbitrium viri prudentis, qui, si scandala aliave mala ex dispensatione sint secutura, eam denegabit. Indicant prudentem sollicitudinem, qua in toto negotio expediendo uti debet delegatus, quum agatur de re summi momenti et in quo ipsum Pontificem repraesentat (3). *Mandamus.* Vox haec, una cum infra positis *auctoritate Nostra*, tribuit delegato jurisdictionem, quam tamen actu exercere valide nequit nisi post praesentationem seu receptionem literarum; mandatum autem illud recusari non potest et obligat ad exequendum si preces veritate nitantur (4).

(1) Cf. Rigant. ad reg. 66 Canc., Thesaur. *De poenis.* part. 1, c. 25.

(2) De hac absolutione ad cautelam cf. Rigant. et Thesaur. ll. cc., Giovine, t. 2, p. 131 sqq., cit. resp. Romana privata a. 1868 ad ep. S. Hippolyti (n. 689).

(3) Cf. Conc. Trid. sess. 22, c. 3 de ref., sess. 25, c. 18 de ref., Giovine, t. 2, p. 133 sq.

(4) Si e contra oratorum preces remitterentur arbitrio et conscientiae

Quatenus (1) *deposita per te omni spe cujuscumque muneris aut praemii, etiam sponte oblati, a quo te omnino abstinere debere monemus.* In fine literarum adjicitur : *Volumus autem quod si tu spreta monitione Nostra hujusmodi aliquid muneris, aut praemii occasione praemissorum exigere, aut oblatum recipere temere praesumpseris, excommunicationis latae sententiae poenam incurras.* Vel : *Excommunicationis sententia tamdiu innodatus existas, donec a Sede praedicta absolutionis beneficium per satisfactionem condignam merueris obtinere.* Quando non ad vicarium generalem seu officialem, sed ad episcopum (quod raro contingit) diriguntur literae, loco excommunicationis ponitur suspensio ipso facto a jurisdictionis et pontificalium exercitio fructuumque mensae episcopalis perceptione, suspensio autem duratura donec episcopus a Sede Ap. relaxationem per satisfactionem condignam meruerit obtinere. In priori clausula excommunicatio non est reservata, in posteriori autem est reservata Pontifici. Ceterum poena ejusmodi incurritur quoties aliquid muneris seu praemii acceptum fuerit ante fulminationem, vel postea sed ex promissionis implemento, minime vero si post fulminationem aliquid sponte oblatum accipiatur; quamquam hoc quoque omnino est recusandum. Notarius tamen ex decretis Romanis (n. 693 in fine) quartam aurei partem accipere potest pro examinandis testibus aliisque informationibus capiendis. In literis in forma pauperum semper additur : « Et nihilominus dispensatio a te facienda praedicta nullius sit roboris aut momenti (2). »

delegati cum facultatibus necessariis et opportunis, concessio gratiae dependeret ab ejus arbitrio, prout in Domino judicaret; cf. Bizzarri, *Collectanea*, p. 666 sq.

(1) Cf. Corrad. l. 7, c. 6, n. 7 sqq., de Justis, l. 1, c. 6, n. 232 sqq., Reiff. cit. App. n. 316 sqq. 414, Kngler, t. 2, q. 37 ad calcem, Girald. *Expos. jur. Pont.* part. 2, sect. 80, *Anal. jur. Pont.* ser. 6, col. 2195 sqq,, Giovine, t. 2, p. 134 sqq. 184 sq., et vid. sup. n. 693 in fine, 696; excommunicatio tamen aut suspensio supra memorata non incurritur a dispensante ex indulto.

(2) Porro vid. S. C. C. in *Granaten. et Mindonien. Postulatum circa*

738. *De praemissis te diligenter informes, et si per informationem eamdem preces veritate niti repereris, super quo conscientiam tuam oneramus.* De informatione seu verificatione non omnes eodem modo scribunt (1). Alii volunt eam esse pro valore requisitam, alii vero sufficere precum veritatem, alii demum rem pendere ex clausulae verbis, et necessariam esse pro valore informationem seu verificationem, quando verba ejusmodi actum delegati memorant, ut faciunt ea quae modo citavimus, non vero quando solius veritatis precum mentionem faciunt, ex. gr. : « si vera sunt exposita, » vel « si ita est, » vel « si preces veritate nituntur. » Alii denique volunt pro fori externi, non vero pro fori conscientiae dispensationibus esse necessariam.

At pro Sedis Ap. dispensationibus gratiosis verificationem ad valorem requiri constat ex Trid. sess. 22, c. 5 de ref. Idem dicendum esse, saltem quoad causas, de concessis in forma commissoria deducitur ex Ben. XIV const. *Ad Apostolicae* 25 febr. 1742, § 1 (2), si vox « verificatio, » ut omnino dicendum videtur, ibi significet non solam precum veritatem, sed informationem, de qua nunc agimus. Dicit autem Pontifex : « Nonnumquam responderi solet, executionem perperam, et injuria denegatam fuisse,

stipendia pro executione dispensationum Apostolicarum 28 januar. 1882 (*Thes.* S. C. C. t. 141, Vering *Archiv* t. 49, p. 139 sqq.).

(1) Cf. Conrad. l. 7, c. 6, n. 19 sqq., de Justis, l. 1, c. 6, n. 246 sqq., Reiff. cit. App. n. 322 sqq. 453 sqq., Kugler, t. 2, part. 4, n. 454 sqq., S. Alph. n. 1131, Carr. n. 1115, *Comp.* n. 240, 257, Caillaud, n. 89 sqq. 114, 176, 180 sq., 245 sqq. 248 sqq., van de Burgt, *De Disp.* n. 69 sqq., tr. Mechl. n. 100, p. 528 sqq,, Scavin. t. 4, n. 603, de Saint-Exupéry, p. 19 sqq., Knopp, p. 497, Bangen, tit. 2, p. 219 sqq., Ferrari, t. 2, n. 424, Giovine, t. 1, p. 105, 121-127, 140 sq. 647, 653, t. 2, p. 10 sq., 198 sqq., *Responsa ad quaestiones a.* 1873 *Conferentiis ven. cleri Buscoducen. propositas*, p. 427 sq. 436 sqq., resp. Romana privata a. 1868 ad ep. S. Hippolyti (n. 689), Téphany, n. 248 sqq. 299, 366, 381 sqq. 493 sqq., *Nouv. rev. th.* t. 12, p. 638 sqq., Planchard, n. 187 sqq. 246, 282 sqq. 478 sqq. In iis quae sequuntur, et apud auctores citatos, simul etiam sermo est de fori conscientiae dispensationibus.

(2) *Bullar. Ben. XIV*, t. 1, const. 45, ed. Mechl. vol. 1, p. 261.

quia expressio causarum, earumque verificatio, in dispensationibus non est aliquid substantiale, sed formalitas quaedam, et forensis styli consuetudo : quod non minus veritati adversatur, quam executionis ordinem, ac modum bene, ac prudenter constitutum subvertit; cum expressio causarum, earumque verificatio, ad substantiam, et validitatem dispensationis pertineat, illisque deficientibus, gratia nulla ac irrita sit, nullamque executionem mereatur; » cf. etiam ib. § 6, et Greg. XVI literas 22 nov. 1836 ad Prodatarium (n. 682). Loquitur autem Benedictus absque ulla distinctione literarum fori externi vel interni, absque ulla etiam distinctione verborum quibus clausula sit concepta. Pro ipsa etiam breviori clausula : « si ita est » eum diserte postulare informationem a delegato capiendam, videbimus ubi de clausulis S. Poenit. pro foro conscientiae.

Quum tamen Ben. XIV et auctores eodem sensu scribentes loquantur in hypothesi unicae verificationis, quae fiat in executionem rescripti Apostolici, dubitaveris an hodie praescripta dici debeat, et quidem pro valore, verificatio instituenda post acceptas literas, si, ut nunc locum habet, jam ante supplicationem informatio facta fuit.

Praevia hujusmodi informatio jure communi non est praescripta, sed aut usu aut Ordinariorum statutis generaliter viget, et utilissima est et omnino observanda. Illa vero informatio, quae in vim rescripti instituitur, Sedis Ap. auctoritate est injuncta. Vel ex hac sola ratione intelligitur, secundam quoque hanc verificationem manere praescriptam. Praeterea informatio olim capta non probat nunc omnia se recte habere, potuit error irrepere, aliquid necessario exprimendum supervenire, cet., unde patet magni momenti esse hanc verificationem accepto rescripto faciendam.

Attamen pro valida videtur habenda dispensatio (1), dummodo

(1) Cf. inter alios Caillaud, n. 250 sq.. van de Burgt, n. 71, tr. Mechl. n. 100, p. 529, resp. Romana privata a. 1868 ad ep. S. Hippolyti (n. 689).

ante supplicationem facta fuerit verificatio, et post rescriptum aliunde sciatur vel moralis certitudo habeatur preces esse veras. Quae quidem doctrina fundamentum habet in Ben. XIV verbis de dispensatione fori conscientiae, de qua in *Inst. eccl.* 87, n. 34, scribit : « Adhibendam ab executore accuratam diligentiam, quam modo ostendimus; aliter irritam fieri dispensationem, nisi forte ipse aliunde rei veritatem, justamque causam cognoverit. » Nihil autem videtur similem pro dispensationibus fori externi interpretationem prohibere. Maxime autem in casu urgenti seu necessitatis, in quo secunda haec informatio nonnumquam ab officiali tempestive fieri nequit, doctrina illa inservire potest ut officialis fulminet, et parocho injungat ut ante ulteriorem dispensationis fulminatae executionem in veritatem precum inquirat. « Propositum fuit aliquando S. Poenitentiariae dubium, num bene se gereret quidam Ordinarius, qui praemissis per parochum seu vicarium foraneum et per testes informationibus pro concedendis literis ad impetrandas apud Ap. Sedem dispensationes, inde acceptas literas Apostolicae dispensationis absque mora executioni mandabat easque parochis remittebat eis praecipiens, ne illas contrahentibus manifestarent, nisi vera essent exposita. Jam vero huic dubio S. Poenit. rescripsit. — Inquisitio quae praecipitur in Ap. literis matrimonii ex narratis quoad substantiam fieri videtur — (1). »

Delegatus itaque, tamquam non merus sed mixtus, ut vocant, executor, verificationem instituens, sive per se sive per alium (n. 733) diligenter, non ex oratorum testimonio (nisi agatur de foro conscientiae; inf. § 4), sed aliunde capit informationem. Judicialis quidem necessaria est si aliquis adsit contradictor, vel si in rescripto praescribatur, ex. gr. adhibita clausula « per informationem exactam a personis fide dignis rite et recte examinatis canonice habitam preces veritate realiter ac omni mendacii et fraudis suspicione prorsus remota niti; » juratis autem tunc te-

(1) Cit. resp Rom. privata a. 1868.

stibus opus est. In aliis vero casibus, seu ordinarie, extrajudicialis informatio sufficit et praefertur. Plenam autem probationem seu moralem certitudinem sine mora procurabit delegatus, juxta inquirendorum naturam, aut ex duobus testibus, iisque, si expedire judicaverit, vel praescriptum id habeat, juratis, aut ex scripturis, ex. gr. extracto baptismali, aut ex notorietate vel publica fama de qua testes deponant, aut oratorum juramento (non tamen in foro conscientiae; inf. § 4), ubi ex rescripto hoc requiritur vel sufficit, ex. gr. pro excludenda malitiosa intentione (n. 713 sub *b*). Parochus vero circa verificandi modum sequi debet delegati praescriptiones (1).

Objecta verificationis (2) sunt 1° causae (c. 31 et 33), idque, nostro judicio, etiamsi forsitan in Datariae literis loco causae peculiaris ab oratoribus allegatae dicatur « ex certis rationabilibus causis animum eorum moventibus et Nobis expositis (n. 668, 724). » 2° Impedimenta aliaque necessario exprimenda (c. 32 § 3, c. 33). 3° Interdum qualitas oratorum (n. 701), in qua verificanda optimum est procedere per testes; testes autem de qualitate familiae deponunt potissime ex communi circa familiae qualitatem existimatione (3). 4° Pro forma pauperum verificanda est paupertas, circa quam interdum peculiarem quoque clausulam rescriptum continet (n. 695). Universe etiam status fortunae verificatur ratione Componendae seu taxae (c. 32 § 2, praesertim n. 693). Quando S. Poenitentiaria pro foro conscientiae convalidat Datariae dispensationem in gradu primo vel secundo, verificandum est utrum literae Datariae fuerint in forma ordinaria, an vero in forma pauperum (4).

(1) Cfr. auctores citati passim, cit. resp. Rom. privata a. 1868, et Schmitz ap. Vering, *Archiv*, t. 20, p. 251 sqq. contra Raich, ib. t. 18, p. 485 sqq,

(2) De modo quoque ea verificandi passim diximus; cf. etiam Giovine, t. 2, p. 198-238, Caillaud, n. 89 sq., 221, 252.

(3) Cf. Corrad. l. 7, c. 2, n. 118 sqq., de Justis, l. 3, c. 2, n. 122 sqq.

(4) Cf. n. 607, 701. Scribit Giovine, t. 2, p. 88, invalidas eo casu esse

739. *Tunc cum eisdem, dummodo mulier propter hoc rapta non fuerit* (1), *quod impedimento... ac Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque non obstantibus* (2), *matrimonium inter se publice, servata forma Conc. Trid. contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnizare, et in eo postmodum remanere libere et licite valeant, auctoritate Nostra dispenses.* Non obstantibus verbis *servata forma Conc. Trid.*, omissio denuntiationum non officeret valori; at si rescriptum praescripsisset, ut delegatus non dispensaret nisi praemissis denuntiationibus, invalida foret executio aliter facta. Nihilominus tam in hoc quam in priori casu manet Ordinario potestas denuntiationes ex justa causa remittendi, et hoc facto, delegatus potest exequi etiam in posteriori indicato casu (3). Quodsi in rescripto habeantur verba *servata forma Conc. Trid.*, validum tamen est matrimonium extra formam Trid. contractum in locis ubi haec non obligat (4). Matrimonio invalide jam contracto, dicitur : *Quod impedimento*, cet., *matrimonium inter se de novo publice*, cet.

740. Extra casum copulae habitae ejusve suspicionis, et matrimonii invalide contracti, additur *Prolem suscipiendam exinde legitimam nuntiando.* Haec clausula ad prolis ex matrimonio oriturae legitimitatem in isto casu necessaria non est, et si delegatus eam neglexisset, nihil foret supplendum, quum proles ex matrimonio post sublatum impedimentum contracto gignenda hoc ipso sit legitima. Nihilominus clausulam illam delegatus observare de-

literas S. Poenit. si falso dictum fuerit literas Datariae fuisse in forma pauperum; at potius hac de re videtur dicendum juxta tradita n. 695 de falsa allegatione paupertatis. De verificatione paupertatis et de statu fortunae cf. Giovine, t. 2, p. 63 sqq. 181 sqq. 234 sqq., cit. resp. Rom. privata a. 1868.

(1) Cf. n. 187, 616, 719, Giovine, t. 2, p. 138 sqq.

(2) Cf. Giovine, ib. p. 145 sqq.

(3) Cf. Conrad. l. 7, c. 7, u. 17 sqq., de Justis, l. 1, c. 6, n. 448 sqq., Giovine, t. 2, p. 146 sq.

(4) Cf. de Angelis t. 1, part. 2, p. 131 sq. et Conrad. ib.

bet propter conformitatem cum rescripto ; non desunt qui putent eam ideo poni ut intelligatur, non fore legitimam prolem orituram ex dispensatis, qui contrahere nolentes carnaliter se cognoverint (1).

Quando copula locum habuit, vel ejus suspicio propter nimiam familiaritatem, vel matrimonium fuit invalide contractum, adhibentur verba : *Prolem susceptam, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernendo* (2). Hujus clausulae utilitas percipitur ex sequentibus. Proles post sublatum impedimentum concipienda juxta omnes est *naturalis*, ideoque per ipsum subsequens matrimonium legitimatur. Idem de prole concepta quidem ante, sed nata post sublatum impedimentum, communius docent auctores contra eos, qui pro *spuria* eam habent, ideoque per subsequens matrimonium non legitimanda. Proles vero ante sublatum impedimentum nata absque dubio spuria est, et non legitimatur per subsequens matrimonium, sed supremi principis beneficio indiget ; excepta juxta nonnullos prole putative naturali, quia parentes tempore conceptionis impedimentum ignorabant (3) ; quidquid autem sit de hac exceptione dicendum, a legitimatione per matrimonium saltem videtur omnino excludi proles putative naturalis sed revera adulterina.

Ex his patet clausulam praefatam esse utilissimam, quum per eam legitimetur proles, quae per solum subsequens matrimonium in nonnullis casibus certo, in aliis juxta plures, non legitimatur. Per eam tamen non legitimatur proles adulterina, idque, ut videtur, etiamsi sit putative naturalis.

(1) Cf. Sanchez, l. 8, disp. 7, n. 15, de Justis, l. 1, c. 6, n. 539, Giovine, t. 2, p. 149.

(2) Cf. n. 614 sub 4°, 720 ; Giovine, t. 1, p. 643, t. 2, p. 158 sqq. 192 sq.

(3) Disputant de hac hypothesi canonistae, ut videre est ad tit. *Qui filii sint legitimi*, et ap. von Boenninghausen, *Tract. jurid.-can. de irregularitatibus*, fasc. 3, Monast. 1866, p. 77 sqq.

Utilis etiam clausula illa est pro matrimonio putativo (n. 594); nam omnes quidem consentiunt prolem ex eo conceptam esse legitimam, sed controvertitur an et quaenam proles antea concepta vel nata per illud legitimetur (1). Alii volunt per subsequens matrimonium putativum prolem antea sive conceptam sive natam numquam legitimari; alii vero per illud legitimari quamvis prolem sive conceptam sive natam, dummodo tempore conceptionis alteruter saltem parentum impedimentum inter eos existens, quodcumque illud sit, ignoraverit; alii demum sentiunt legitimari prolem vere naturalem, non vero putative talem. Praeplacet secunda opinio, ita tamen ut excipiatur impedimentum ligaminis, ideoque proles putative naturalis sed revera adulterina. Clausula itaque supra indicata etiam in casu matrimonii putativi, excepta, ut modo diximus, prole revera adulterina, magnum affert beneficium (2).

Necessario igitur debet delegatus praefatam clausulam observare, ne illegitima maneat proles; si tamen omiserit, novo decreto potest legitimationem perficere, imo videtur haec fieri posse a successore in officio. Legitimatio autem effectum habet ex ipso decreto delegati, et permanet etiamsi ante matrimonium uterque vel alteruter orator moriatur, quo etiam casu supplere potest delegatus legitimationem forte omissam. Effectum vero non habet legitimatio facta a delegato, si oratores a matrimonio inter se contrahendo voluntate sua desistant. Si mandatum non exprimat legitimationem prolis jam susceptae, eam facere non potest delegatus (3).

741. Casu copulae habitae ejusve propter nimiam familiaritatem fundatae suspicionis vel matrimonii scienter contracti invalide, peculiares clausulae ponuntur circa separationem, poenitentiam, absolutionem, cet.

(1) Cf. canonistae ad tit. cit., von Boenninghausen, l. c. p. 80 sqq.

(2) Cf. Corrad. l. 8, c. 4, n. 64 sqq., Giovine, t. 2, p. 192.

(3) Vid. S. Poenit. 1 jul. 1859, ap. Planchard, n. 100, Caillaud n. 337 qui citat etiam S. Poenit. 29 mart. 1859; cf. nostr. n. 755.

1° Separatio (1), quae praescribitur ad tollendum scandalum et peccati occasionem, et in resipiscentiae argumentum, olim in solis literis Datariae in forma pauperum injungi solebat, sed hodie est etiam in usu pro forma ordinaria (n. 715 sub *b*). Separari autem debent oratores non toro tantum sed etiam habitatione (2). Si cohabitationis separatio fieri prorsus nequeat, sunt qui tradant (3) sufficere separationem tori; imo juxta Caillaud probabiliter sufficit vitari copulam, si propter extremam paupertatem ne tori quidem separatio fieri possit. Quamquam prior ipsa opinio non consonat indicatae naturae separationis, esto tamen quod in urgenti necessitate applicari queat, at hoc de posteriori opinione dici nequit; interdum providetur per indultum (4). — Tempus separationis solet delegati arbitrio relinqui et breve sit oportet; nonnumquam in rescripto determinatur. — Omnino autem requiritur separationis ante fulminationem tum injunctio, etiamsi jam vivant separati (5), tum executio, nam hujus etiam perseverantia in literis exigitur ut deinde possit dispensatio fulminari. Si separatio praescripta violetur ab oratoribus per cohabitationem, absque tamen iteratione incestus, nova debet a delegato injungi separatio, haecque fideliter est observanda toto tempore praescripto, antequam possit dispensatio fulminari. At si intra tempus determinatum praescriptio separationis violetur per iteratum incestum, irritatur rescriptum Ap. novoque est opus juxta dicta n. 715 sub *b*. Probabiliter etiam irritatur rescriptum per ince-

(1) De ea cf. Corrad. l. 8, c. 5, n. 35 sqq., de Justis, l. 1, c. 7, n. 126 sqq. 243 sqq., Reiff. cit. App. n. 408, Kugler, t. 2, part. 4, n. 479, 516 sqq., Caillaud, n. 108, 281 sq. 291 sqq., tr. Mechl. n. 98, p. 510, n. 100, p. 530 sq., Giovine, t. 2, p. 169 sqq., *Acta S. Sedis*. t. 1, p. 445 sqq.

(2) S. Poenit. 4 jul. 1834, ap. Caillaud, n. 291, Planchard ap. *Nouv. rev. th.* t. 16, p. 190, *Disp. matr.* n. 211.

(3) Cf. Caillaud, n. 108, 294, tr. Mechl. n. 100, p. 530.

(4) Cf. Planchard, n. 264, et App. n. 10.

(5) Vid. S. Poenit. 4 febr. 1884, ad 3, ap. Planchard in *Nouv. rev. th.* t. 16, p. 228.

stum iteratum post elapsum tempus separationis et ante fulminationem (n. 715 sub *b*); certo tamen id affirmari nequit.

742. 2° Clausula ponitur de poenitentia (1), non eodem tamen semper modo. Olim literae in forma pauperum semper ferebant : *Eam illi poenitentiam publicam imponas, quae alios deterreat a similibus committendis.* Et quando orator non poterat ipse Romam se conferre (quod tunc imponi solebat) ad implorandam dispensationem in gradu aliquo propinquiori (2), praeterea adjiciebatur : *Atque idem... operam suam conferat fabricae, aut in aliud servitium alicujus ecclesiae, vel loci pii, tribus saltem mensibus, aliaque injungas, quae de jure fuerint injungenda. Qua poenitentia publica peracta*, cet. Hodie vero pro forma pauperum rescribi solet : *Imposita eis pro modo culpae arbitrio tuo gravi poenitentia salutari, quae scandalum reparare valeat*, vel : *Gravi poenitentia salutari, prout juxta prudens tuum arbitrium magis in Domino expedire judicaveris.* Publica vero poenitentia pro plerisque regionibus hodie non praescribitur.

Poenitentiam igitur necessario debet imponere delegatus; si omittat, juxta Giovine t. 2, p. 151, alios, valida est executio literarum in forma ordinaria, quia in his est merum praeceptum obligans sub gravi, cum sit poenitentia de jure requisita occasione absolutionis; irrita vero est executio literarum in forma pauperum, quia in his est conditio irritans.

Poenitentia imponenda est a delegato ante eam fulminationis partem, in qua a reatibus absolvit ac dispensat, et quia dispensatio executioni mandari non potest, si oratores poenitentiam acceptare renuant, in multis dioecesibus ante fulminationem con-

(1) Cf. Corrad. l. 8, c. 6, de Justis l. 1, c. 7, n. 126, 137 sqq., Reiff. l. c. n. 341, 409, Kugler, l. c. n. 479, Caillaud, n. 105, 286 sqq. 331, 338 sub 6°, 348, de Saint-Exupéry, p. 36, 50 sqq., tr. Mechl. n. 98, p. 510, n. 100, p. 527, Giovine, t. 2, p. 150 sq. 177 sqq.

(2) De hoc accessu ad Urbem vide auctores citt., speciatim Giovine, t. 2, p. 66 sq. 76.

suevit delegatus procurare acceptationis certitudinem. Impositam poenitentiam acceptantes, dein vero non implentes, peccant, sed valori dispensationis id non nocet (1). Olim debebat ante fulminationem peragi, nam in rescripto addi solebant verba *qua peracta*, quae si hodie occurrant, eamdem solutionem postulant. De cetero, jam 19 apr. 1692 in *Aegitanien. Dispensationum*, cujus meminimus n. 633, ad duo priora dubia : « I. An dispensationes in gradu consanguinitatis cum copula per consanguineos contrahentes obtentae et effectum suum sortitae, non peracta prius poenitentia in bulla dispensationis praescripta, fuerint valide executae, ita ut nulla nova revalidatione egeant. II. An et quae imposterum obtinentur sint exequendae, priusquam fuerit peracta dicta poenitentia, » S. C. C. respondit : « Ad I. Distulit resolutionem, ac per theologos et canonistas scribendum censuit. Ad II. Negative. »

Poenitentia in rescripto determinata imponenda est nec potest a delegato mutari ; ordinarie tamen ejus arbitrio relinquitur determinatio, quo casu ab eo solo potest deinde mutari in aliam. In forma pauperum Dataria, praesertim in gradibus propinquioribus, postulat gravem poenitentiam salutarem (2) ; in forma vero ordinaria solet postulare poenitentiam salutarem, gravem autem pro gradibus propinquioribus (3) ; si gravitatis mentio non fiat, non debet necessario esse gravis, idque intelligitur, quum Componenda quodammodo suppleat vices poenitentiae gravioris (4). Poenitentiam autem imponet delegatus juxta diversitatem delicti, personarum, circumstantiarum, temporum, nec hodie requiri solet publica, sed quum publicum sit delictum, expedit maxime,

(1) S. Poenit. 4 januar. 1839, ap. Caillaud, n. 105.

(2) Cf. *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 446, Caillaud, n. 286, Giovine, t. 2, p. 177.

(3) Cf. Caillaud, l. c.

(4) Quaenam salutaris, quaenam gravis poenitentia sit, exemplis conantur auctores illustrare ; cf. Caillaud, n. 286 sqq., de Saint-Exupéry, p. 54 sq. S. Poenitentiariam alias etiam poenitentiae qualitates interdum imponere videbimus § 3 sq.

et interdum in rescripto exigitur, ut publice constet de resipiscentia et scandalum reparetur, ex. gr. accedendo ad Sacramenta. Imo Datariae literae in forma pauperum, pro propinquioribus saltem gradibus, clausulam solent habere : *Peractis ab eis duabus sacramentalibus Confessionibus* (1); cujus conditionis adimpletio praecedere debet absolutionem impertiendam a delegato in foro externo et interno non sacramentali, et is absolvere in utroque hoc foro nequit, antequam oratores ei exhibuerint confessarii de auditis duabus Confessionibus fidem. Confessarius tamen non indiget executoris delegatione, quia absolutio, in utroque foro Pontifici reservata (n. sq.), intelligitur de absolutione juridica, minime vero de sacramentali, quare haec illam praecedere potest (2).

Praeterea literae in forma pauperum dicere solent : *Si veniam a te petierint humiliter* (3), et hujus quoque conditionis adimpletio debet necessario praecedere executionem absolutionis a reatibus, et dispensationis.

743. 3° Absolvendi potestas specialis (4) datur delegato, longe diversa ab illa generali ad cautelam, de qua n. 736 diximus. Quando non agitur de primo vel secundo gradu, neque de matrimonio invalide contracto, dicitur : *Ab incestus reatu et excessibus hujusmodi... hac vice dumtaxat in forma Ecclesiae consueta, in utroque foro, auctoritate Nostra absolvas*. Casu autem primi vel secundi gradus, vel matrimonii invalide contracti : *Ab incestus reatu, et excommunicatione, aliisque sententiis, censuris et poenis*, cet.

(1) Cf. *Acta S. Sedis* l. c., Giovine, t. 2, p. 174 sqq. Si praevideatur partes vel earum alterutram non posse adduci ad instituendam confessionem, id exprimatur ut clausula ejusmodi non addatur (n. 746, 757 in fine).

(2) Cf. Giovine l. c. p. 175 sq.

(3) Cf. de Justis, l. 1, c. 7, n. 130 sqq., *Acta S. Sedis* l. c., Giovine, t. 2, p. 174, 176.

(4) Cf. Corrad. l. 8, c, 2, n. 12, Caillaud, n. 115 sq., 308, de Saint-Exupéry, p. 35 sq., Giovine, t. 2, p. 133, 154 sqq. 174 sqq. 193 sq., cit. resp. Romana privata a. 1868 (n. 689), *Acta S. Sedis*, t. 2, p. 493 sqq.

Jure communi per solum incestum nulla contrahitur censura, sed per matrimonium scienter contractum absque dispensatione in consanguinitatis vel affinitatis gradu prohibito olim incurrebatur excommunicatio latae sententiae non reservata, quae per Pii IX const. *Ap. Sedis* existere cessavit (n. 368, 381, 677 sq.). Incestus tamen in primo vel secundo gradu, etiam extra figuram matrimonii, juxta multos (1) habet jure communi annexam excommunicationem latae sententiae, ex Greg. XIV const. *Sicut antiquus* Kal. Mart. 1590; negant tamen alii, putantes doctrinam illam ortam esse ex non inspecto textu Greg. XIV (2). Quidquid sit, haec quoque excommunicatio, si unquam extiterit, disparuit per cit. const. Pii IX. In nonnullis tamen dioecesibus jure particulari incestus, praesertim in gradu primo vel secundo, excommunicationem habet annexam vel alias poenas, et inter casus reservatos recensetur.

Quum autem casu incestus, vel matrimonii invalidi scienter contracti in gradu prohibito, dispensatio non detur, nisi praevia absolutione ab incestus reatu et censuris poenisque quovis modo contractis, ideirco dispensatio etiam a Sede Ap. data praeviam ejusmodi absolutionem postulat. Haec autem, licet ex se non reservata, in eo tamen casu a Sede Ap. concedenda est et conceditur, ligata inferiorum potestate quoad absolutionem juridicam in foro externo et in foro interno non sacramentali, non vero quoad sacramentalem (3). Absolutio a delegato datur in foro externo (4), in utroque tamen censuras et poenas aufert quocumque modo contractas et a quocumque fortasse reservatas. Danda est abso-

(1) Inter quos est Giovine, t. 1, p. 402, t. 2, p. 41 sq. 133, 154 sq.

(2) His annumeranda sunt *Acta S. Sedis*, t. 2, p. 495, ubi textum Greg. XIV exhibent.

(3) Cf. Conrad. l. 8, c. 2, n. 12, *Acta S. Sedis* l. c. p. 493 sqq., Giovine, t. 2, p. 155, 175 sq. 193 sq. Aliud reservationis propter manus pontificiae appositionem exemplum habes sup. n. 187.

(4) S. Poenit. 4 januar. 1839, ap. Caillaud, n. 115.

lutio, observatis iis quae ex rescripto praevia esse debent, ante eam executionis partem qua dispensatio conceditur.

744. 4° Aliae clausulae concernunt juramentum : *Recepto* cet. (n. 713 sub *b*) ; obedientiam prius praestitam judicio contra oratores fortasse instituto : *Et quatenus... parito judicato* (1), prohibitionem novi matrimonii post conjugis mortem incundi absque venia S. Sedis (n. 678). In forma pauperum praeterea sunt clausulae circa necessitatem ut delegato constet nihil obstare executioni, et scandalum non oriturum : *Demum si tibi expediens videbitur... nec scandalum*, cet. (2) ; circa paupertatem ; aliae (3).

§ 3. *De praecipuis literarum S. Poenit. pro foro externo clausulis.*

745. Hae literae (4) clausulas aliquas continent diversas ab iis quae sunt in literis Datariae, praesertim etiam quoad subdelegationem quae facilius permittitur. Ipsa quoque S. Poenit. in literis suis diversum saepe tenorem servat ; quare has praesertim literas accurate perpendere debet delegatus. Praecipuas quasdam clausulas seligimus.

Initio S. Poenit. dat generalem absolutionem ad cautelam *a quibusvis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, tam a jure quam ab homine, quavis occasione vel causa latis... ad effectum infra scriptae gratiae dumtaxat consequendum* (n. 736). Quo facto, S. Poenit. proprio oratorum Ordinario communicat dispensandi facultatem, diversimode tamen et variis positis clausulis.

(1) Cf. Giovine, t. 2, p. 157 sq.

(2) Ib. p. 180 sq., et nostro n. 679.

(3) De clausulis literarum super voto cf. Giovine, t. 2, p. 160-167, 228 sqq. De clausula quae occasione affinitatis illegitimae ponitur : *Sublata* vel *remota occasione peccandi*, cf. inf. n. 746, 750.

(4) Varias earum formulas vide ap. Caillaud, n. 246 sqq., 417 sq., de Saint-Exupéry, p. 44 sqq., Kutschker, t. 5, p. 226 sqq. ; de forma exteriori, et S. Poenit. rescripto supplicationi supposito, cf. Caillaud, n. 246, 255.

Si vera sint exposita (n. 738).

Erogata ab eis aliqua eleemosyna judicio ipsius Ordinarii taxanda et definienda, vel *Erogata ab eis aliqua eleemosyna in pauperes arbitrio ejusdem Ordinarii juxta eorum vires taxanda*. Quando incestus locum habuit, et interdum etiam in aliis casibus, eleemosynae erogatio dicitur imponenda (1), in quantitate determinanda ab Ordinario, a quo pariter statuendum est in quem finem sit eroganda, nisi dicatur in ipso rescripto. Eleemosynae quoque impositio ad valorem pertinet; an etiam ejus ante fulminationem erogatio, disputatur; vox *erogata* videri potest favere affirmantibus, sed iis expresse contradicit S. Poenit. 11 junii 1859 (2).

Casu incestus cet. absolutio committitur verbis pro circumstantiarum diversitate diversis (3).

Cum gravi poenitentia salutari, vel *Cum congrua poenitentia salutari*, vel *Cum gravi et diuturna poenitentia salutari* (4). Imprimis ponitur hujusmodi clausula casu incestus, sed passim vidimus eam interdum apponi in aliis quoque casibus, in quibus culpa quidem sed incestus non adfuit.

Non ita pridem solebat poni clausula : *Interdicto prius eis quocumque tracta*, ordinarie *per tempus sibi benevisum*, interdum *per mensem* vel *per duos menses*, cet. Casu incestus vel scandali dati, ut separationem Dataria, ita severiorem hanc clausulam S. Poenit. ponebat (5), per quam non tantum injungebatur separatio a

(1) Cf. Caillaud, n. 103 sq. 114, 279, 284 sq., 309 sub 2°, 331, 338, de Saint-Exupéry, p. 56 sqq. A Dataria numquam injungi eleemosynam passim auctores aut affirmant aut sumunt; cf. Caillaud, n. 283, coll. tamen n. 278.

(2) Ap. Caillaud, n. 285.

(3) Cf. *Acta S. Sedis*, t. 2, p. 493 sqq., de Saint-Exupéry, p. 48 sqq., et nostr. n. 743.

(4) Cf. n. 742, et inf. § 4, Caillaud, n. 188, 287 sqq. 309 sub 4°, 331, 338, de Saint-Exupéry, p. 50 sqq., *Acta S. Sedis* l. c. p. 496.

(5) Cf. n. 715 sub *b*, Caillaud, n. 294, 348, 404, de Saint-Exupéry, p. 59 sqq., tr. Mechl. n. 100, p. 531, App. p. 564, *Acta S. Sedis*, t. 1,

toro et habitatione, sed etiam vetabatur id omne quod opponebatur fini, qui in interdicendo quocumque tractu quaerebatur, nempe oratorum resipiscentia vel scandali reparatio. Hinc merito solebat colligi per clausulam illam prohiberi etiam omnem familiarem conversationem, ex. gr. visitationes, amica colloquia cet. (1). Hodie vero S. Poenit. amplius non utitur praefata clausula, sed eadem qua Dataria, *Praevia oratorum separatione ad tempus Ordinario* (vel *sibi*) *benevisum*. Quapropter merito eumdem, quem verbis Datariae, his S. Poenit. verbis tribuas; scil. cum quem de separationis injunctae violatione indicavimus n. 741, coll. n. 715 sub *b*. Vicarius generalis Engolismensis haec dubia proposuit : « In rescriptis dispensationum matrimonialium cum causa infamante, S. Poenit., suppressis clausulis : *Interdicto quocumque tractu*, et *Exhibita fide peractae sacramentalis confessionis*, nunc, more S. Datariae, clausula utitur : *Praevia* oratorum *separatione ad tempus* Ordinario *bene visum*. Ut nulla remaneat haesitatio quoad praxim, quaeritur : I. An conditioni praecitatae sufficienter satisfiat, si oratores per tempus ab Ordinario praescriptum quoad torum et habitationem separati remanserint, verum aliquos tractus honestos habuerint, v. g., collocuti secum fuerint, se inviserint, etc.? II. Quid, si inter visitationes et colloquia praedicta, tractus graviter inhonestos, non tamen incestum, habuerint? III. Utrum ab injungenda separatione abstinere possit Ordinarius, si jam constet oratores in respectivis parentum domibus, ut plurimum ab invicem non parum distantibus, separatos habitare, et usque ad diem matrimonii habituros? » Respondit S. Poenit. 4 febr. 1884 : « Ad primum et secundum. Tractus, de quibus in precibus, non obstare quominus Rescriptum dispensationis executioni mandetur. Ad tertium. Negative (2). »

p. 443 sqq., Giovine, t. 2, p. 170 sqq., Planchard, n. 258 sqq. et in *Nouv. rev. th.* t. 16, p. 209 sqq.

(1) Hac tamen de re cf. Planchard ap. *Nouv. rev. th.* t. 16, p. 209 sqq. ubi S. Poenit. 27 nov. 1854 et 1 jul. 1859 (ap. Caillaud, n. 294).

(2) Ap. Planchard in *Nouv. rev. th.* t. 16, p. 228.

746. *Exhibita fide sacramentalis Confessionis* (1). Haec quoque clausula in rescriptis ob causam infamantem poni solebat; si autem praevideretur id ab alterutro oratore obtentum non iri, prudenter supplicari poterat ne haec clausula adderetur (n. 742, 757 in fine). Hodie vero S. Poenit., teste Planchard (2), amplius non utitur hac clausula.

Notanda pariter hic est diversitas clausulae de matrimonio contrahendo et de invalide jam contracto (n. 739), et de prolis legitimitate vel legitimatione (n. 740); juramentum n. 744 memoratum exigi non solet; casu affinitatis illegitimae ponitur *Sublata* vel *remota occasione peccandi* (3). Ponuntur passim aliae quoque clausulae, quae tamen, licet non appositae, aliunde subintelliguntur, ex. gr. *Dummodo inter eos aliud canonicum non existat impedimentum* cet., et *Dummodo ad Ap. Datariam pro eadem dispensatione recursus factus non fuerit* (4). Quod spectat ad vocem *gratis*, nulla fit mentio censurae nec invaliditatis (5).

§ 4. *De praecipuis literarum S. Poenit. pro foro conscientiae clausulis* (6).

747. A Majori Poenitentiario commissio datur *Discreto viro confessori ex approbatis ab Ordinario*, quibus verbis hodie pro

(1) Cf. Caillaud, n. 252, 279, de Saint-Exupéry, p. 59 sqq.

(2) Ap. *Nouv. rev. th.* t. 16, p. 180, 222 sq. coll. 228.

(3) Cf. n. 744, 750, *Acta S. Sedis*, t. 2, p. 191 sq., Giovine, t. 2, p. 185 sq.

(4) De voto cf. Giovine, t. 2, p. 160-167, 228 sqq.

(5) Cf. n. 737, Caillaud, n. 238.

(6) Formulas exhibent de Justis, l. 1, c. 8, n. 35, Reiff. cit. App. n. 439, Bangen, tit. 2, p. 274 sq., Kutschker, t. 5 § 338, Caillaud, n. 419, qui n. 179 usitatas refert abbreviationes, de Saint-Exupéry, p. 79 sqq. 88 sqq., Bouix, *De Curia Romana*, p. 252 sq. 259 sq. 262 sq., qui abbreviationes refert p. 266 sqq., Giovine, t. 2, p. 257 sq. 260, 261 sq. 263 sq. 266 sq. 270 sq. 276 sq. Fuse de literarum explicatione agit Ben. XIV, *Inst. eccl.* 87.

nonnullis tantum regionibus inseruntur haec alia *Magistro in Theologia vel Decretorum Doctori*. Quando petita fuit dispensationis ad determinatum confessarium transmissio, is ipse delegari solet, ex. gr. *Discreto viro N. confessario* vel *tibi confessario ab oratoribus electo;* extra hunc casum verba initio allata adhibentur, additis interdum his aliis *ab oratoribus* vel *per latores eligendo*, quorum tamen additio necessaria non est. Etiamsi autem postuletur ad determinatum confessarium transmissio, consulendum est ut petatur delegatio pro eo vel alio ab oratoribus eligendo.

Solus confessarius actu habens pro saecularium confessionibus excipiendis approbationem Ordinarii loci, literas aperire et exequi potest (1). Doctoratus autem si requiratur, debet esse obtentus in publica academia vel institutione a Sede Ap. approbata; Regulares tamen ex privilegio idem praestare possunt, dummodo sint supra dicto modo approbati et a suis superioribus, vi facultatis a generali Ordinis superiore vel aliter juxta Ordinis constitutiones acceptae, ad hoc privilegium exercendum specialiter deputati (2).

Si literae traditae fuerint non habenti qualitatem requisitam et ab eo apertae, vel apertae ab habente qualitatem sed nolente acceptare, temere quidem is egit, sed sufficit eas alteri competenti tradere. Literas etiam confessario competenti traditas, sed nondum executioni mandatas, posse repeti et alteri tradi exequendas, dummodo soli determinato confessario commissae non fuerint, passim auctores docent contra aliquos. Absque justa causa ita variare laudandum non est, variari tamen potest, non solum quando prior electus moritur vel aegritudine aliave causa impeditur, vel imperitus aut nimis rigidus reperitur, sed et gene-

(1) Cf. Ben. XIV l. c. n. 31, Giovine, t. 2, p. 245.

(2) Cf. Ben. XIV l. c. n. 32, Girald. *Expos. jur. Pont.* init. app. 2 ad l 4 Decr., Giovine, t. 2, p. 91, 244 sq. 246.

ratim, etiamsi literas subreptitias vel obreptitias esse pronuntiaverit; confessario enim non aptatur id quod de fori externi sententia diximus n. 735 (1). De casu quo oratores non eumdem adeunt confessarium infra dicetur.

Confessarius, cui literae praesentantur, eas non aperit, nisi videat se qualitatibus in exteriori inscriptione postulatis esse munitum. Quae mediante Ordinario transmittuntur, clausae dirigendae sunt ad confessarium ad quem leguntur directae.

748. *Si ita est*, vel *Si ita esse per diligentem oratoris examinationem, ac post monita, et consilia opportuna illi praestita, inveneris* (2). Si confessarius haec monita et consilia neglexerit, valet tamen dispensatio, at verificatio requiritur (n. 738). « Quare, qui literas exequitur omnem curam, ac diligentiam impendere debet, ut cognoscat, an verum sit, quod Majori Poenitentiario fuit expositum. An res ipsa, circumstantiae, et causae, ac rationes ad obtinendam dispensationem prolatae veritati prorsus consentaneae sint. Nam ejusmodi executio committitur haud *pro mero* solum, sed *pro mixto* etiam foro conscientiae. Quamobrem monere debet eum, qui dispensationem petiit, ut nihil a veritate alienum proferat. Deinde opus est, ut diligenter investiget, utrum revera probentur omnia, quae ille testatus fuerit. Non tamen ulli testes inquirendi sunt, sed illum examinari solum fas est, qui dispensationem impetravit. Pontas censuit jusjurandum elici posse, ut rei veritas magis comprobetur. Hanc tamen sententiam reliqui omnes improbant. Quare, paucis jam superius dicta complectamur, adhibendam ab executore accuratam diligentiam, quam modo ostendimus; aliter irritam fieri dispensationem, nisi forte ipse aliunde rei veritatem, justamque causam cognoverit. Quod si confessarius pro certo habeat falsum esse, quod Summo Poenitentiario propositum fuit, ab exequendo dispensationem abstineat, licet qui

(1) Cf. Conrad. l. 7, c. 4, n. 72 sq., Ben. XIV l. c. n. 33, Kugler, t. 2, part. 4, q. 36 ad calcem, Caillaud, n. 177 sub 2°, 178, Carr. n. 1160, Giovine, t. 1, p. 241 sqq.

(2) Cf. n. 738, Ben. XIV l. c. n. 34, Giovine, t. 2, p. 247 sq.

ipsam postulavit, rei falsitatem tueri contendat, modo tamen sacerdos id non perceperit, cum Poenitentiae Sacramentum dispensando administravit : non enim uti licet iis, quae tunc deprehenduntur (Ben. XIV l. c. n. 34). » Creditur itaque poenitenti, nisi aliunde quam ex alterius personae confessione falsitatis certitudinem confessarius habeat.

749. *Audita prius ejus* (vel *eorum*) *sacramentali confessione;* nonnumquam deest illud *prius*, sed nihil inde mutatur. Circa finem legitur : *In* (vel *pro*) *foro conscientiae et in actu* (vel *in ipso actu*) *sacramentalis confessionis tantum, et non aliter*, vel *in sacramentali confessione tantum*. Perspicua haec clausula est et conditio sine qua non; in solo tribunali Poenitentiae, audita sacramentali Confessione, executioni mandari potest delegatio (1). Sed quid si Confessio sit sacrilega vel absolutio dari nequeat? Proposito dubio : « An poenitens, qui voluntarie et malitiose facit confessionem nullam et sacrilegam, dum virtute dispensationis obtentae a S. Poenitentiaria rehabilitatur in beneficio simoniace obtento, aut dispensatur ab impedimento matrimonium dirimente, sit sufficienter dispensatus, et an denuo sit recurrendum ad S. Poenitentiariam, » sequens emanavit responsum : « S. Poenitentiaria ad propositum dubium respondet, quod, dummodo confessarius literarum S. Poenitentiariae executor servet, quae sibi in iisdem literis praescribuntur, tunc datae, vigore earumdem literarum, dispensationes validae erunt, etiamsi contingat poenitentem nulliter et sacrilege confiteri et absolutionem a peccatis recipere. Quod si confessarius advertat poenitentem, ex sua indispositione, a peccatis absolvi rite non posse, curare debet eumdem poenitentem recte disponere vel, si disponi nequeat in praesenti, una cum absolutione a peccatis differre quoque praedictas dispensationes, nisi forte urgens aliqua necessitas suadeat dispensationes easdem accelerare (2). »

(1) Cf. Ben. XIV l. c. n. 35 sq., Giovine, t. 2, p. 155, 252 sq.

(2) Ap. Carr. n. 1168, ex Compans ad Collet, n. 274. De dispensatione

Pariter ad dubium : « Num dispensationes super impedimentis dirimentibus occultis in matrimoniis contractis significandae sint, statim post susceptam absolutionem, aut priusquam dispositiones praeviae ad absolutionem existant, atque absolutio suscipiatur, idque ut citius validitati matrimoniorum provideatur, sicque commercii illiciti occasio arceatur, » die 19 maii 1834 episcopo Tutelensi S. Poenit. respondit : « Dispensationes de quibus in casu manifestandas esse ante absolutionem, quas tamen confessarius concedere potest etiamsi absolutionem a peccatis suspendendam censeat (1). »

Similiter S. Poenit. 4 januar. 1839 rescripsit : « In exequendis S. Poenitentiariae rescriptis, cavendum quidem est ut poenitens ad peccatorum absolutionem disponatur, nihilominus validas fore absolutiones a censuris, dummodo saltem praecesserit accusatio seu confessio peccatorum quae sacramentalis sit (2). »

750. Occasione affinitatis illegitimae dicitur *Sublata* (vel *remota*) *occasione peccandi*, vel *amplius peccandi*, vel *Postquam omnem recidivae conversationis occasionem abstulerit* (3), ex. gr. inter oratorem et oratricis sororem, vel cum matre oratricis, vel inter oratricem et fratrem oratoris, cet. Interdum additur, quod per se curandum est, *cavendo tamen ne hujusmodi delictum ipsi oratrici* (vel oratori) *forsan ignoranti detegatur*. Occasio igitur proxima voluntaria tolli omnino debet, necessaria vero removeri, et quamdiu id facere poenitens renuit, exequi dispensationem confessarius nequit ; maxime itaque cohabitatio, sed et reliqua periculum inducentia averti debent. — Peculiarem de copula cum matre sponsae clausulam vid. n. 379, 620, 682.

Pro casuum varietate vario modo datur facultas absolvendi (4)

ex indulto cf. S. C. de P. F. 16 januar. 1797, ap. *Collect... ad usum operariorum Ap.* n. 858.

(1) Ap. Caillaud, n. 399.

(2) Ib. t. 1, n. 186.

(3) Cf. *Acta S. Sedis*, t. 2, p. 191, Giovine, t. 2, p. 253, 258, 277.

(4) Cf. n. 743, 745, Caillaud, n. 185, Giovine. t. 2, p. 257 sqq.

ab incestu et excessibus hujusmodi, vel *a quibusvis sententiis, censuris, et poenis ecclesiasticis, quas propter praemissa quomodolibet incurrerunt, incestu et excessibus hujusmodi*, vel *a quibusvis*, cet. *incurrerunt, adulterio, fide data* [vel *homicidio*] *et excessibus hujusmodi*, vel alio simili modo. Hujusmodi clausula confessario tribuit potestatem absolvendi *hac vice*, etiamsi in dioecesi incestus vel censura inter casus reservatos locum habeat, ipse vero aliunde non habeat facultatem absolvendi a reservatis. Non requiritur forma absolvendi peculiaris, sed sufficit *forma Ecclesiae consueta* quae absolutioni a peccatis praemittitur; si vero posterior haec dari nequeat, et nihilominus non credatur differenda dispensationis executio, omittitur quidem absolutio a peccatis, sed fulminationi praemittitur absolutio a censuris et poenis, quae tamen in praesenti casu in tribunali Poenitentiae dari debet; dari autem potest etiamsi iterata post supplicationem sed ante fulminationem copula fuerit (n. 715 sub *b*, vs. *Demum*).

731. *Injuncta gravi poenitentia salutari*, vel aliter (1). Interdum literae poenitentiam determinant, ordinarie tamen confessarii judicio eam relinquunt, quod prudens et juri conforme esse debet, nec severitatis nec humanitatis fines excedere, ratione habita conditionis, aetatis, sexus, circumstantiarum personae et temporum. Poenitentia ab ipsis literis determinata necessario debet imponi nec potest a confessario mutari, ea vero quam confessarius determinavit, ab eodem, non ab alio, mutari potest. Praesertim ratio habenda est verborum quibus S. Poenit. usa est, an nempe velit imponi poenitentiam *salutarem*, vel *salutarem et gravem*, vel *gravem et longam*, quam unius anni solent auctores intelligere, vel *gravem et diuturnam*, quae solet intelligi trium annorum, vel *gravissimam et diuturnam*, quo casu materia quoque gravior esse debet, vel *gravissimam et perpetuam*, scil. pro tota vita, vel *poe-*

(1) Cf. Ben. XIV l. c. n. 36-38, Monacelli, *Formul. leg. pract.* t. 1, tit. 9, form. 1, n. 45, 47, 71, Scavin. t. 4, n. 605, Caillaud, n. 188-191, tr. Mechl. n. 100, p. 534 sq., de Saint-Exupéry. p. 83 sq., Giovine, t. 2, p. 253 sq. 258, 260 sq. 262, 264 sq. 272 sq. 277.

nitentiae opera perpetua, inter quae sint aliqua quotidiana, quo casu haec quotidiana leviora esse oportet. Quod autem spectat ad unius anni vel trium annorum spatium ab auctoribus indicatum, procedatur solide sed non scrupulose. Poenitentia autem illa est distincta a poenitentia sacramentali.

Ac sacramentali confessione peccatorum suorum, singulis scil. mensibus ut minimum semel, et quoties animae suae saluti expedire judicaveris, vel *aut quoties tibi videbitur*, vel similiter (1). Hic itaque attendi debet utrum tempus literae determinent necne, utrum haec clausula praecise ipsam poenitentiam determinet, an vero confessionem injungi velit ultra poenitentiam imponendam, ut facit in tenore citato, ubi habetur *ac*. Quovis autem modo praecipiatur, omitti non potest, ut declaravit S. Poenit. 4 januar. 1839 (2), juxta quam etiam illa *quoties tibi videbitur* recte intelligi debent, nempe « in poenitentiis arbitrio confessarii relictis non intelligi meram et liberam voluntatem, ita ut possit illas libere injungere prout sibi placuerit, sed importare arbitrium boni viri, habita nempe ratione conditionis, aetatis, sexus. »

Poenitentia aut utrique aut alterutri injungitur, prout aut uterque aut alteruter culpabilis est; propter malitiosam autem intentionem major solet imponi; quae quidem externi quoque fori dispensationibus conveniunt; alia vid. n. 742, 745.

Interdum dicitur *Quodque in pauperes faciant aliquam eleemosynam* (3). Notanda hic est absentia vocis *erogata* (cf. n, 745).

Et aliis quae de jure fuerint injungenda, nempe juxta solita rei moralis principia, ex. gr. poenitentia sacramentali, reconciliatione, restitutione, remotione proximi relabendi periculi, reparatione scandali (4).

(1) Cf. n. 620 sq., de Justis, l. 1, c. 8, n. 142 sqq., Giovine, t. 2, p. 253, 266, 271, 276.

(2) Ap. Caillaud, n. 190.

(3) Cf. n. 745, Monacelli l. c. n. 48, Caillaud, n. 197, Giovine, t. 2, p. 262.

(4) Cf. Monacelli l. c. n. 49 sq., Giovine, t. 2, p. 258.

Dummodo impedimentum occultum (vel *omnino occultum*) *sit* (1). Confessarius itaque impedimentum occultum quidem, non vero omnino occultum, si id requiratur, reperiens, literas non exequitur; de casu quo prudenter dubitat futurum publicum quod adhuc est occultum, vid. n. 713 sub *e*. *Aliudque non obstet canonicum impedimentum* (2).

Dispensandi vel *Dispenses*. Haec dispensatio communius dicitur posse fulminari, licet nondum fuerit impetrata aut fulminata dispensatio fori externi (3); multi tamen tradunt confessarium numquam posse fulminare pro foro conscientiae, nisi post fulminatam fori externi dispensationem (4). Imprimis quidem nimis difficile videtur priorem opinionem cum pluribus ejus patronis extendere ad casum, quo (quod vix umquam fit) additum fuit, *postquam* (in impedimento publico) *dispensatum fuerit*. Extra hunc casum valde probabilis est prior doctrina.

752. Nondum celebrato invalide coram parocho et testibus matrimonio, dicitur fere ut n. 739; sed post matrimonium invalide in forma Tridentina contractum (5) ponuntur ex. gr. sequentia : *Dummodo... separatio inter latorem, et dictam mulierem fieri non possit absque scandalo; ex cohabitatione vero de incontinentia probabiliter timendum esse tibi visum fuerit... cum eodem latore, ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum nusquam detegatur, matrimonium cum*

(1) Cf. n. 85 sqq., Giovine, t. 2, p. 248 sqq. 275, ubi propugnat tuto posse vocem *occultum* non intelligi de *omnino* occulto, etiamsi illi addatur *et ptane ignoretur, quod* cet.

(2) Cf. n. 707, Ben. XIV l. c. n. 52, Caillaud, n. 194, Giovine, t. 2, p. 258 sq.

(3) Cf. Sanchez l. 8, disp. 23, n. 7, Corrad. l. 7, c. 6, n. 79, Kugler, t. 2, part. 4, n. 398, Caillaud, n. 195.

(4) Cf. Giovine, t. 2, p. 17 sqq., ubi tractat quaestionem a nobis habitam n. 689, debeatne dispensatio fori externi esse obtenta, priusquam recurratur pro foro conscientiae, Planchard, n. 509, 519.

(5) Cf. Ben. XIV l. c. n. 60, Giovine, t. 2, p. 266 sqq. 270 sqq.

eadem, et uterque inter se de novo, secrete ad evitanda scandala... contrahere, et in eo postmodum remanere licite valeant, misericorditer dispenses.

Quum impedimentum sit occultum, scandalum oriretur ex separatione habitationis; si vero utraque pars sciat nullitatem matrimonii, tori separatio facienda est nec scandalo dat locum; una tantum parte nullitatem notam habente, saltem debet vitare non conjugatis illicita. Quum autem cohabitatio absque dispensatione profecto incontinentiae periculum adduceret, idcirco delegatus dispensationem exequitur, nec opus est tentare cohabitationem tamquam frater et soror. — Una parte notam habente nullitatem, ut in allata formula supponitur, novi alterius partis consensus, maxime post certiorationem de nullitate, praescriptam necessitatem gravissimis difficultatibus ortum dare in cap. sq. § 1 et 2 patebit. Quae ad sanationem in radice pertinent, ea in cap. sq. § 3 indicantur.

De clausula legitimitatem vel legitimationem prolis sive suscipiendae sive susceptae concernente, vid. n. 740; de voce *gratis*, n. 746 (1).

753. *Ita quod hujusmodi absolutio et dispensatio latori in foro judiciario nullatenus suffragentur*, vel simili modo (2). Nullam enim in foro externo vim hujusmodi pro foro conscientiae gratia habet, et publico evadente impedimento debet, non obstante matrimonii vi dispensationis occultae jam celebrati coram Deo validitate, pro foro externo dispensatio peti (n. 638 sub 1°, 715 sub *e*).

Idcirco etiam adduntur nonnulla, quibus dispensationis in foro externo productio avertitur, scil. *Nullis super his testibus adhibitis, aut literis datis, seu processibus confectis.* Non potest etiam

(1) De dispensatione in voto cf. Giovine, t. 2, p. 263 sqq., de crimine cum machinatione, ib. p. 270 sqq. et nostr. n. 684.

(2) Cf. Ben. XIV l. c. n. 50 sq. 53 sqq., Caillaud, n. 198 sqq., Giovine, t. 2, p. 254 sqq.

confessarius partibus dare literas de dispensatione testantes, nec ulla fit dispensationis in libris parochialibus aut alibi mentio. *Sed praesentibus laniatis, quas sub poena excommunicationis latae sententiae laniare tenearis, ita ut nullum earum exemplum extet, neque eas latori restituas; quod si restitueris, nihil ipsi praesentes literae suffragentur*, vel *Praesentibus post earum executionem sub poena excommunicationis latae sententiae per te combustis vel laniatis*, aliove simili modo. Quamquam poena vitatur si frangatur sigillum, lacerentur literae per medium cet., ita ut in forum externum produci jam nequeant, omnino tamen destruendae literae sunt, sed non prohibetur confessarius pro sua instructione earum textum descriptum non authenticum asservare, quo casu expedit ut diem et annum omittat. Destructionem intra breve tempus, ex. gr. intra triduum, post executionem, vel saltem post matrimonii celebrationem, fieri debere passim docetur. Literis dispensato restitutis, valida quidem manet dispensatio, sed perperam actum est, et literae in foro externo juxta dicta initio hujus numeri non suffragantur.

Clausulam tamen *laceratis* omittit S. Poenit. (1), quando oratores, inter quos nullum existit impedimentum, publice habentur pro conjugibus, sed revera sunt concubinarii, et non contraxerunt in forma Tridentina, atque a S. Poenit. potius quam ab episcopo petunt licentiam secrete, et omissis denuntiationibus, contrahendi coram parocho ac testibus. S. Poenit., quae parocho tunc literas dirigit, non solum omittit vocem *laceratis*, sed et parocho indicat matrimonium esse adnotandum in libro, ita « ut palam omnibus nequeat innotescere... ut testimonium, si forte requiratur, peracti matrimonii tradere possit, causamque suam parochus tueri, si opus fuerit, eodem exemplari literarum S. Poenit., quas ipse reti-

(1) Cf. Ben. XIV l. c. n. 54 sqq., S. Alph. n 1143, Ferrari, t. 2, n. 421, Gury ed. Baller. t. 2, n. 882, Giovine, t. 1, p. 682, t. 2, p. 79, 256 sq., Scavin. t. 4, n. 605 sub 8°, van de Burgt, *De disp.* n. 110 sub A et B, 124.

nebit (1). » — Quodsi inter praefatos oratores insuper dirimens existat impedimentum, solet S. Poenit., praeter literas cum voce *laceratis* directas confessario pro dispensatione impedimenti, alias permittentes secretam matrimonii, omissis denuntiationibus, coram parocho et testibus celebrationem dirigere parocho absque voce *laceratis*, ut hae literae asserventur, et matrimonii descriptio fiat modo supra indicato. « Et si in aliqua urgentissima, sed rarissima circumstantia, haec expeditio alteri sacerdoti, facto verbo cum SS^mo^, et non parocho dirigitur, huic demandatur sacerdoti, ut post aliquod tempus determinatum adnotare faciat in libro parochiali matrimonium, una cum facultate sibi data eidem assistendi (2). » Addit autem Giovine (3) : « In hoc tamen posteriori eventu confessario fas est, ostendere parocho S. Poenit. litteras, antequam easdem dilaceret; et parochus, licet in litteris vera conjugum nomina reticeantur, fidem praestare tenetur confessario, qui ea sibi revelat; juxta dicta a Ben. XIV in *Inst. can.* 87; ut inde matrimonium in libro parochiali adnotet. Uterque tamen lege secreti servandi detinentur. » At haec respiciunt casum, quo S. Poenit. unico rescripto ad confessarium directo usa fuisset; sed ipse Ben. XIV loco a Giovine citato testatur ab hac praxi fuisse recessum, et duo solere diplomata concedi. Praeterea existimamus, matrimonii in praefatis casibus caute faciendam descriptionem fieri in libro matrimoniorum conscientiae (n. 345), non autem in libro ordinario parochiali; et contrarium non probari per nonnulla verba Ben. XIV, neque ex eo quod non episcopo sed parocho descriptio injungitur.

(1) Ben. XIV l. c. n. 55. In rescripto tamen non exprimuntur nomina oratorum.

(2) Secr. S. C. C. (postea Ben. XIV) in causa *Dubium matrimoniorum* 9 sept. 1724 (*Thes.* t. 3); pro libro tamen parochiali videtur juxta mox dicenda potius intelligendus liber matrimoniorum conscientiae.

(3) T. 1, p. 682.

§ 5. *De modo fulminandi vel dispensandi.*

754. Pro foro externo fulminatio literarum Ap. (1), ut et dispensatio vi indulti (2), debet fieri scripto; oretenus vero facta saltem foret graviter illicita, etiamsi omnia necessaria contineret, quum in foro externo debeat ejus probatio asservari. Imo attentis iis, quae pro valore sunt exprimenda, fulminatio literarum Ap. vel dispensatio vix concipitur viva voce fieri posse in praesenti materia, quare plures tradunt scriptum documentum ad validitatem requiri (3). Quamquam a nonnullis auctoribus ponitur, delegatum scripto testari fulminationem vel dispensationem a se, servatis servandis, factam, nihilominus potius est dicendum, verba debere esse ejusmodi, ut omnia exprimant, et fulminationem aut dispensationem ipsa perspicue faciant. Non sufficiunt literae concedentes matrimonii celebrationem, vel parocho permittentes assistentiam (4). Novas conditiones vel clausulas irritantes apponere nequit delegatus vel ex indulto dispensans (5). Ea autem, quae de scripto decreto diximus, pertinent ad ipsam impedimenti relaxationem; quae enim pro clausularum executione praecedere debent, dummodo deinde in fulminationis aut dispensationis decreto memorentur, oretenus possunt effici, licet omnia scripto facere praestet. Pro foro externo fulminatio literarum Ap. vel dispensatio vi indulti, fit extra Confessionem. Extra dioecesim etiam potest delegatus literas Ap. sibi commissas exequi quoad ea, quae non involvunt jurisdictionem contentiosam; potest itaque injungere

(1) Cf. Giovine, t. 2, p. 231-242.

(2) Ib. p. 647 sqq. S. C. de P. F. Instr. 8 dec. 1869, ap. *Collect... ad usum operariorum Ap.* n. 1023. Cur de quasi ordinaria potestate hic non dicamus, intelligitur ex n. 634 sub 7°, 635 sq. 638 sub. 1°; ea nempe soli foro conscientiae videtur inservire.

(3) Cf. Giovine, t. 1, p. 142 sq. 647, t. 2, p. 231.

(4) Ib. t. 1, p. 144 sq., t. 2, p. 238.

(5) S. C. de P. F. 16 mart. 1865, ap. cit. *Collect.* n. 1022.

separationem, poenitentiam, eleemosynam, dare absolutionem ipsamque dispensationem impedimenti et pronuntiare prolis legitimationem, quia sunt actus nudi ministerii, vel certe absolutio, licet dicatur esse jurisdictionis, est tamen jurisdictionis voluntariae. E contra verificatio judicialis (n. 738 vs *Delegatus*) et testium pro ea citatio, quum sint jurisdictionis contentiosae, committi quidem extra dioecesim a delegato possunt alteri existenti intra eam, ipsae vero fieri extra nequeunt (1). An dispensatio vi indulti fieri possit extra dioecesim, vidimus n. 629 (2).

755. Delegatus literas Ap. fulminans in suo decreto memorare debet commissionem sibi a Sede Ap. factam (3), cujus tenor opportune inseritur, verificationem, impletionem clausularum eo ordine quo in rescripto indicantur, injunctionem eorum quae sunt injungenda, et declarat se auctoritate Ap. sibi commissa dispensare, nec omittit prolis pro casuum diversitate legitimationem. Quod si literarum revalidatio necessaria fuerit et obtenta, hoc *Perinde valere* delegatus simili modo fulminat ante prolis legitimationem (n. 729). Diversa quoque verba esse debent, prout agitur de matrimonio contrahendo, aut de revalidando contracto, item prout de revalidando per simplicem dispensationem aut per sanationem in radice. Quod spectat ad formam absolutionis, nulla praescribitur determinata, nec requiritur nupturientium praesentia, idque contra nonnullos (4) affirmandum ducimus, etiamsi adhibeantur verba *in forma Ecclesiae consueta*. In ejus tamen forma « mentio facienda est facultatis Ap., cujus vigore eadem dispensatio impertitur a censuris et poenis ecclesiasticis et a reatibus in literis expositis adeo quidem, ut absolutio primum cadat super censuris et poenis, deinde super ipsis reatibus (5). »

(1) Cf. de Justis, l. 1, c. 6, n. 485, Giovine, t. 1, p. 138, t. 2, p. 148.
(2) De casu quo partes reliquerint dioecesim cf. Planchard n. 296.
(3) Cf. Giovine, t. 1, p. 143 sq.
(4) Cf. Giovine, t. 2, p. 156, et alios ibi citatos.
(5) Cit. resp. privata Romana a. 1868 (n. 689).

Casu subdelegationis permissae, eadem sunt servanda a subdelegato. Sed rite perpendendum est an et quid subdelegari possit. Verificatio semper, etiam absque facultate ad hoc accepta, subdelegari potest, quia pro ea delegato committitur jurisdictio ; reliqua vero, quia sunt nudi ministerii, absque speciali facultate subdelegari nequeunt (1).

Modus pro foro externo dispensandi ex indulto (2) colligitur ex dictis de fulminatione literarum Ap., et ex traditis n. 624-632. Extra Confessionem datur, sed scripto dari debet, facta mentione auctoritatis Ap., verificatione instituta, observatisque indulti terminis et stylo ac praxi S. Sedis ; praemittitur etiam absolutio generalis ad cautelam, de qua n. 736 (3), et ponuntur clausulae quas S, Sedes ponere consuevit. Quamquam autem oportet etiam exigere juramentum excludens malitiosam intentionem (n. 713 sub *b*, et n. 744), non videtur tamen ad id teneri indultarius (n. 720), quum non in omnibus suis pro foro externo dispensationibus, sed in solis Datariae literis, illud exigat ipsa S. Sedes. Ex indulto dispensans potest etiam absolvere a censuris et poenis contractis. Item legitimare prolem, etiam jam susceptam, quamquam in particularibus dispensationibus Datariae vel Poenit. id facere nequit nisi in mandato exprimatur (4). De subdelegatione cf. n. 632 sub *c*, coll. n. 733, 754. Is, cui indultarius dispensationem committere potuit et commisit, procedit et ipse

(1) Cf. n. 733, Excipiunt quidem nonnulli, inter quos Corrad. l. 8, c. 2, n. 19, Giovine, t. 2, p. 152, receptionem juramenti de quo n. 713 sub *b* et n. 744, et absolutionem, si consuetudo ejusmodi alicubi vigeat (Corrad. l. c., Giovine l. c. p. 156, 237). Sed quoad absolutionem indubitanter negat de Justis, l. 1, c. 7, n. 222, notat vero Reiff. cit. App. n. 342, securius esse ut delegatus ipse absolvat.

(2) Cur de quasi ordinaria hic non dicamus. vide n. 754 init.

(3) Cf. Giovine, t. 1, p. 143, 647, 650, 652 sq., S. C. de P. F. 26 sept. 1821, ap. cit. *Collect.* n. 1020.

(4) Cf. n. 740 in fine, et ibi in nota S. Poenit. rescripta 1 jul. 1859, et 29 mart. 1859.

modo supra indicato, facta etiam mentione auctoritatis acceptae. In ejusmodi casu verificatio quoque eidem committitur ; ipso vero indultario dispensante (quod semper melius est, etiamsi subdelegatio fieri posse ponatur), verificatio consistere solet in testimonio una cum supplicatione transmisso (n. 687 in fine), et accuratius suppleto si tempus suppetat, vel solo, una cum morali certitudine de permanente precum veritate, si novo examini faciendo tempus desit (n. 738).

756. Pro foro conscientiae (1) fulminari quidem potest dispensatio extra Confessionem, quando Sedes Ap. non postulat ut in ea fiat, sed in literis S. Poenit solet praescribi fulminatio in Confessione facienda (n. 749), et episcopi quoque solent facultatibus quinquennalibus fori conscientiae ita uti, ut confessario rem delegent, idque omnino requiritur quoties non dispensant per se vel per vicarium generalem (n. 619, 632 sub *c.*) Indultorum termini sunt servandi, sed pro foro conscientiae facile admittitur subdelegatio vel commissio vel fulminatio viva voce, etiam quando extra Confessionem fieri haec potest, quamquam melius est extra Confessionem nihil ejusmodi nisi scripto tractare. De cetero, observandae sunt regulae traditae de fulminatione literarum Ap. (n. 755), et de indultis (n. 632, 697), ac de quasi ordinaria potestate (n. 638, 687). Regularum etiam et clausularum, ab Ordinario dispensante vel subdelegante positarum, ratio est habenda.

Quoties in Confessione dispensatio fulminatur (2), delegatus post absolutionem a censuris et peccatis. vel, si absolutio a peccatis dari nequeat, et dispensationis concessio sit acceleranda, post absolutionem a censuris (n. 749 sq.), mentione facta auctoritatis sive directe a Sede Ap. sive per episcopum acceptae, dispen-

(1) De literarum Ap. pro foro conscientiae executione cf. Giovine, t. 1, p. 144, t. 2, p. 243 sqq. ; de dispensatione ex indulto vel quasi ordinaria potestate, ib. t. 1, p. 650 sq. 652 sq.

(2) An debeat prius fuisse fulminata dispensatio fori externi vid. n. 751 vs. *Dispensandi*.

sationem largitur, et prolis, juxta casuum diversitatem, aut suscipiendae aut etiam jam susceptae, legitimationem decernit ; hanc tamen si in casu quo necessaria est omiserit, potest idem confessarius, non vero alius, actu subsequenti supplere. Quando *Perinde valere* applicandum est, id quoque fit ante legitimationem prolis. Praedicto modo proceditur etiam quando matrimonium revalidatur, sive per simplicem dispensationem sive per sanationem in radice, expressa hujus casus facta mentione.

Viva voce fulminatio in Confesssione perficitur (1), et quamquam nihil prohibet quominus formulam ex scriptura confessarius legat, partibus tamen haec dari nequit. Formulae exemplum passim auctores exhibent ; ex. gr. pro matrimonio nondum invalide contracto : « Et insuper auctoritate Ap. [vel : per episcopum accepta] mihi specialiter delegata dispenso tecum super impedimento... [praestat illud indicare, stricte tamen necessarium non est], ut eo non obstante matrimonium cum dicta muliere publice servata forma concilii Tridentini, contrahere, et in eo manere libere possis et valeas. Eadem auctoritate prolem suscipiendam [vel : susceptam et suscipiendam] legitimam fore nuntio et declaro. In nomine Patris cet. Passio D. N. J. C. » cet., sed haec pars *Passio* omittitur quando non fuit data absolutio a peccatis. Pro casu matrimonii jam contracti pauca tantum mutantur ; ex. gr. omittitur mentio formae Tridentinae, inseritur « de novo, » et « sive susceptam ; » pro sanatione in radice dicitur : « matrimonium a te nulliter contractum in radice sano et consolido, prolemque susceptam et suscipiendam, » cet. Pro casu subjecto quaedam in hujusmodi formula sunt mutanda, ex. gr. pro voto simplici, sive ante matrimonium pro hoc ineundo et voto commutando, sive post matrimonium contractum pro petendo debito (2).

757. Dispensatio in impedimento unam tantum partem directe

(1) Cf. Giovine, t. 2, p. 259, 261, 263, 265, 270, 276. 278.
(2) Cf. Scavin. t. 4, n. 703, Giovine, t. 2, p. 265, 278.

concernente, ex. gr. voto simplici, in eam solam fulminatur ; dispensationem etiam in impedimento utrique communi, sed quod unius tantum culpam conjunctam habet, in hanc solam fulminare opus est, et sufficit ut haec alteri parti sive impedimenti nunc consciae, sive deinde ejus notitiam acquirenti, manifestet dispensationem fuisse obtentam et fulminatam. Nullam quidem id difficultatem habet in casu matrimonii nondum contracti vel sanationis in radice ; in matrimonii autem per simplicem dispensationem revalidatione existit difficultas ex novo utriusque, post partis ignarae certiorationem, consensu praestando, sed de hac difficultate in cap. sq. § 2.

Utraque vero parte impedimenti conscia et culpabili (1), non quidem ad auferendum impedimentum, sed propter clausulas de poenitentia cet. utrique applicandas, in utramque fulminari dispensatio debet. Quod quidem quomodo sit praestandum si non eumdem adeant confessarium, docemur sequenti resp. S. Poenit. 15 nov. 1748 : « S. Poenitentiaria ad propositum dubium circa executionem literarum suarum, quibus committitur facultas dispensandi super occulto matrimonii impedimento cum duobus ejusdem impedimenti consciis respondet, quod quamvis hujusmodi literae dirigantur confessario per latores eligendo, necessarium tamen non est, quod unus idemque confessarius ab utroque eligatur ad eas literas exequendas : sed potest unus confessarius ab uno ad id eligi, alter ab altero. Tunc autem prior confessarius post dispensationem uni ad formam literarum concessam debet literas Sacrae Poenitentiariae poenitenti tradere, ut per illum alteri parti tradantur, quae similiter easdem literas secum exequi faciat per alium confessarium, cujus erit in hujusmodi casu, confecto negotio, literas lacerare. Et quamvis impedimentum ejusmodi esse soleat, ut sublatum quoad unum maneat eo ipso sublatum quoad alterum, nihilominus mens Sacrae Poenitentiariae est,

(1) Cf. Giovine, t. 2, p. 262 sq.

ut erga utramque personam literae executioni mandentur, sin minus ad auferendum impedimentum, quod per priorem cum una dispensationem jam ablatum praesupponitur, saltem ad congruas poenitentias salutares utrique imponendas, quas non convenit ab uno tantum exigi, ubi communis est culpa (1). » Quando ad determinatum confessarium literae diriguntur, ita fieri nequit; atque idcirco in casu praesertim, quo partes praevidentur non eumdem aditurae, curandum est ut aut non delegetur determinatus confessarius, aut saltem addatur « vel alteri ab oratoribus eligendo (n. 747); » his autem additis, literas aperire licite nequit determinatus ille confessarius, nisi ipse, interrogatione facta, fuerit electus. In omni hujusmodi casu id est observandum.

Propter difficiles circumstantias alia etiam hac in re obtineri possunt, ex. gr. ut, considerata unius partis dispositione, sufficiat fulminatio in unam partem culpabilem, imo in solam partem insontem, vel ut fulminatio extra Confessionem fiat. Praevideri enim interdum potest fore ut partes earumve alterutra ad Confessionem instituendam adduci nequeant. Hoc idem in fori externi dispensationibus interdum contingit quoad clausulam n. 742 in fine indicatam; in ejusmodi autem casu prudenter petitur ut clausula non apponatur. Imo ipsa rerum in supplicatione narratio omnem hujusmodi difficultatem praevenire solet.

Dispensationes pro foro conscientiae quasi ordinaria potestate concessae non debent necessario in Confessione fulminari, nisi Ordinarius hanc conditionem posuerit.

758. Dispensationis pro foro conscientiae fulminatae nulla asservatur scriptura. Ipsae literae Ap. non possunt asservari, nisi quando omissa fuit vox *laceratis* (n. 753), et expedit ut literae etiam Ordinarii, vi indulti vel quasi ordinaria potestate pro foro conscientiae dispensantis vel committentis, post executionem destruantur.

(1) Ap. Collet, *Traité des dispenses*, t. 3, lettre 41.

Contra vero Sedis Ap. literae fori externi in forma commissoria asservantur in curia episcopali, vel, si parocho commissae fuerint, in archivo parochiali ; partibus vero datur fulminationis authenticum exemplar vel copia vel attestatio, cujus etiam fit asservatio in curia vel archivo fulminantis. Pro Ordinarii literis fulminationem committentibus simili modo agit delegatus, qui insuper rei peractae documenta committenti communicat, ut acta penes hunc asserventur. — Literarum in forma gratiosa aut ipsum exemplar originale aut copia vel attestatio authentica partibus datur, et dispensationis uno alterove modo scriptum documentum apud episcopum vel resp. parochum conservatur. Sed in his omnibus iu diversis dioecesibus diverse proceditur.

Dispensationis fori externi adnotatio in matrimoniorum libro fieri debet; dispensationis vero fori conscientiae nulla fit adnotatio, licet juxta dicta n. 753 matrimonii fiat inscriptio quando omissa fuit vox *laceratis*.

De dispensationis fulminatae acceptatione et notitia nihil opus est dicere post tradita n. 745 sub *c*, 730, 742.

CAPUT XXXV.

DE MATRIMONII REVALIDATIONE ET IN LIBRO MATRIMONIORUM INSCRIPTIONE.

759. Frequens fuit mentio eorum quae spectant ad dispensationem, per quam matrimonium nulliter initum validatur ; restant gravia quaedam exponenda circa ulteriorem fulminationis peractae executionem, renovationem consensus, sanationem in radice, observationem formae Tridentinae, et universe etiam circa matrimoniorum in libris inscriptionem. Generalem autem hanc praemittimus monitionem, quantum fieri potest curandum esse, ut eo momento quo matrimonium sive per consensus post fulminatam

dispensationem renovationem, sive per sanationem in radice, validatur, partes, vel saltem pars conscia, sint in statu gratiae. Quod tamen si curari nequeat vel si matrimonii revalidatio sit acceleranda, nihilominus haec facienda est.

§ 1. *De renovatione consensus pro validando matrimonio irrito ob solum defectum consensus substantialis* (1).

760. Consensu substantiali deficiente ab utraque parte, utraque debet novum praestare, non mere prioris confirmatorium, sed ab eo independentem seu vere novum, externum etiam, sive tamen verbo sive signo vel facto, ex. gr. cohabitatione vel copula conjugali animo habita; disputatur an revera externus esse debeat, sed in praxim haec controversia influxum non habet, quum signum externum numquam desit. Certo etiam postulatur ut novus consensus praestetur post cognitum errorem ex. gr. in persona; imo auctores communius exigunt praeviam nullitatis matrimonii notitiam; sunt tamen qui sentiunt hanc essentialiter non requiri, sed sufficere ut, cessante causa nullitatis, vere detur novus consensus. Prior quidem doctrina quantum fieri potest in praxi servanda est, eamque Sedes Ap. applicare solet, posterior tamen in casu necessitatis potest inservire.

Substantiali consensu ex parte unius tantum deficiente, hujus quidem praedicto modo praestandus novus consensus necessarius est; de altera vero parte disputatur, an novus ejus postuletur consensus, isque post habitam nullitatis notitiam praestandus. Utrumque a gravibus auctoribus affirmatur, sed communiter pro-

(1) Huc referuntur n. 106, 110, 112 sqq. 118, 126 init., 397, 566, 584. Cf. S. Alph. n. 1114, Quaest. reform. 90, *Hom. Ap.* tr. 18, n. 80, Scavin. t. 4, n. 614, Carr. n. 1397 sqq., *Comp.* n. 275, Gury ed. Baller. t. 2. n. 891, Baller. ad Gury, ib. n. 832, Gury, *Casus* ed. 1866, t. 2, n. 1061-1064, Bangen, tit. 3, p. 152 sq., van de Burgt, *De disp.* n. 107 sqq., tr. Mechl. n. 94.

pugnatur contrarium, dummodo altera pars consensum non revocaverit; et hanc sententiam S. Alph. dicit communem et veriorem. Quando absque gravi incommodo potest obtineri alterius quoque consensus, in praxi curandum ut obtineatur, idque, si fieri possit, post certiorationem de matrimonii nullitate. Verumtamen quum haec in ejusmodi casu soleat esse occulta, ideoque novus alterius consensus, praesertim post certiorationem, ordinarie nequeat obtineri (cf. § sq.), in casu arduo maximae utilitatis est sententia, juxta quam matrimonium validatur novo unius consensu concurrente cum alterius non revocato sed virtualiter perseverante. Ut autem iste censeatur revocatus, nequaquam sufficit habitualis seu interpretativa dispositio, qua si nullitatem nosceret non credatur consensurus, sed revocationis argumentum necessarium est. Augetur praefatae sententiae valor, saltem quod spectat ad certiorationem, ex iis quae Ben. XIV (1) de difficiliori illo casu scribit, quo propter juris ecclesiastici impedimentum irritum matrimonium est. Innuit enim S. Poenitentiariam amplexam esse sententiam de habendo post certiorationem novo alterius consensu, quia tutioribus sententiis adhaerere consuevit; sed posse, etiam absque sanatione in radice, obtineri a S. Poenit. remissionem clausulae de certioranda comparte. Maxime vero robur hisce accedit ex recentius mutata formula facultatum S. Poenitentiariae; cf. § sq.

§ 2. *De renovatione consensus pro validando matrimonio irrito propter impedimentum aliud, quam defectum consensus substantialis.*

761. Matrimonium irritum propter impedimentum juris divini, ex. gr. ligaminis, ex communi doctrina non validatur, nisi per novum utriusque post cognitam nullitatem consensum, neque etiam potest in radice sanari (n. 82, 440, 446, 457, 769). Quod

(1) *Inst. eccl.* 87, n. 70, 80.

autem spectat ad impedimentum juris ecclesiastici, quum vitiet consensum (n. 82), quaestio de utriusque novo consensu necessario necne difficilior est, quam ubi solus substantialis consensus unius partis defuit. Minorem tamen difficultatem involvit, quando impedimentum juris ecclesiastici est ejusmodi, ut matrimonium novo consensu et absque dispensatione sit sanabile, quam ubi absque dispensatione validari nequit. Quum enim prioris speciei impedimentum reducatur ad vitium aliquod consensus solo novo consensu sanabile, solent auctores de tali impedimento, ex. gr. de metu, loqui ut de ipso defectu consensus substantialis, idque sive metum dicant esse juris ecclesiastici, sive juris naturae impedimentum. Ut itaque validetur matrimonium irritum ex gravi metu, absque dubio requiritur metum passi novus consensus, cessante metu, praestitus sive verbo sive signo sive facto, ex. gr. cohabitatione vel copula animo conjugali habita (n. 145); an requiratur nullitatis matrimonii notitia, et de alterius partis novo, et quidem post certiorationem, consensu vid. n. 760 (1). Matrimonium irritum propter ignoratam compartis conditionem servilem validatur per ignorantis novum consensum, post notam compartis conditionem praestitum (2).

Quando matrimonium irritum est propter solam clandestinitatem, non potest, in loco ubi lege Tridentina ligantur, extra casum sanationis in radice (n. 684 et § sq.), validari nisi per novum utriusque in forma Tridentina consensum. In loco autem ubi lege Tridentina irritante non ligantur, validatur (per se tamen non licite) novo ibi, saltem alteruter, habitantium vel vagorum consensu, sive verbis sive signo vel facto, ex. gr. cohabitatione vel copula animo conjugali habita, praestito (n. 313). Redit autem in altero hoc casu quaestio sitne necessaria nullitatis matrimonii notitia, de qua vid. n. 760; Sedem Ap. in praxi applicare senten-

(1) Cf. Baller. ad Gury, t. 2, n. 832.

(2) Cf. n. 122, 123 sub 2°, c. 2 et 4 *De conjug. serv.*, Ben. XIV, *Inst. eccl.* 87, n, 68.

tiam affirmantem patet ex S. Off. a. 1842 et 5 jul. 1848 (n. 313). Praeterea in eodem casu oritur quaestio de necessario necne novo partis in bona fide existentis, et quidem post certiorationem, consensu, et de modo hunc eliciendi; de his autem vid. n. 762 sqq.

Quandonam debeat in aliis etiam casibus consensus pro convalidandis nuptiis praestari in forma Tridentina, in § 4 notabitur, ubi etiam videbimus quid sit faciendum, si una pars se coram parocho et testibus sistere nolit.

762. Longe gravior quaestio est, an pro convalidandis nuptiis propter aliud impedimentum juris ecclesiastici irritis necessario requiratur novus utriusque partis post fulminatam dispensationem consensus, idque post habitam nullitatis matrimonii notitiam. Solam simplicem dispensationem haec quaestio respicit, nam sanatio in radice eum potissime finem habet, ut ab ejusmodi necessitate eximat. Nec movetur ea quaestio circa casum publicum, et quo utraque pars est impedimenti seu nullitatis matrimonii conscia; tunc enim absque dubio novus utriusque consensus requiritur; sed respicit casum occultum, et unius partis consciae (quae certo debet novum praestare consensum), alterius ignarae. Considerari autem potest tum spectata rei substantia, et abstrahendo a clausulis literarum Sedis Ap., tum spectatis hisce clausulis.

S. Poenit. clausulam ponit postulantem novum utriusque consensum praestandum post certioratam partem ignaram, certiorationem tamen ita caute faciendam, ut partis consciae delictum non detegatur (n. 752). Haec autem clausula certiorationem, non de causa nullitatis, sed de nullitate requirens, non est mera instructio, sed stricta pro valore conditio (1). Ei implendae, simulque partis consciae infamiae aliisque gravibus incommodis vitandis, variis excogitatis modis, incumbunt auctores (2). Non omnes

(1) Cf. Ben. XIV l. c. n. 67 sq., 70 sq., Giovine, t. 2, p. 267 sq.
(2) Cf. Ben. XIV l. c. n. 71-80, et litt. 29 dec. 1742 ad. card. ep. Vra-

illi modi clausulae S. Poenit. satisfaciunt, saltem quod spectat ad certiorationem; sed hac in re auctores alii aliis sunt faciliores. Distinguendum autem est tum inter novum consensum uno alterove modo praestitum, et certiorationem per eum factam, tum inter ea quae extra casum necessitatis, et ea quae in hoc casu facere licet. Praeterea modi illi omnes, praesertim nonnulli, gravissima incommoda infamiae partis consciae, dissociationis vitae conjugalis cet., facile adducunt, et maximam parochi et confessarii prudentiam postulant, praesertim quando non est inter partes animorum concordia vel sola mulier rei conscia est.

1° Quando non potest, ut esse solet, res clare manifestari, modus certo satisfaciens est ut impedimenti conscius declaret, se tempore celebrationis matrimonii non recte consensisse, ideoque ex confessarii consilio et tranquillitatis causa oportere novum consensum mutuum praestari, seque id libenter facturum, et a comparte etiam fieri optare. Mutuo dein renovato consensu, omnia recte se habent.

2° Alius modus in eo poni solet, ut pars conscia, se ignaram fingens, dicat se suspicari vel scrupulis angi ne irritum sit matrimonium, ideoque ad anxietatem omnem pellendam optare ut mutuum consensum denuo praestent. Certiorationem tamen iste modus non continet (1), quamquam mutuus dein praestitus consensus S. Alphonso videtur certo novus et independens a priore, in quo S. Alphonsum auctores passim sequuntur.

3° Si pars conscia ab ignara novum amoris testimonium eliciat, dicendo se idem matrimonium inire esse paratam, si adhuc esset libera, et, altera quoque idem dicente, mutuus deinde praestetur

tislaviensem (sup. n. 282), S. Alph. n. 1115 in fine, 1117, *Hom. Ap.* tr. 18, n. 81 sq., Carr. n. 1411 sqq., *Comp.* n. 279, Scavin. t. 4, n. 606, 616, Gury ed. Baller. t. 2, n. 900, Bangen, tit. 3, p. 155 sq., van de Burgt, *De disp.* n. 118, Kutschker, t. 5, § 349, tr. Mechl. n. 94, Caillaud, n. 211, 402, Giovine, t. 2, p. 268 sq., *Nouv. rev. théol.* t. 4, p. 544 sq.

(1) Cf. Ben. XIV l. c. n. 75.

consensus, rursus non habetur certioratio. Hanc tamen adesse nonnulli putant si dicatur : « si matrimonium nostrum esset nullum ; » at vera certioratio haec non est ; imo S. Alph. ibi nec videt novum consensum independentem a priore, nisi in mente alterius revera oriatur dubium vel suspicio de matrimonii nullitate.

4° Si ob gravissimas difficultates nullus alius modus suppetat, indicatur iste, ut pars conscia animo conjugali utatur matrimonio ; profecto tamen non continet certiorationem. Ne novum quidem consensum S. Alphonsus admittit in hoc aliisque nonnullis modis a se memoratis, et ad solum necessitatis casum eos ablegat, quod pariter praestare dicendus est circa omnem modum qui non contineat certiorationem.

765. Ben. XIV ll. cc. ut doctor privatus firmiter adhaeret modo quem sub 1° retulimus, sed in *Inst. eccl.* 87, n. 79, dicit se, antequam hanc publicaret, eam viris doctrina praestantibus communicasse, monitum autem ab iis fuisse rem esse gravissimam, quid sit agendum si conjux haud immerito suspicetur, ne alter conjux novum consensum dare recuset, ideoque gravissima sequantur incommoda ; an nempe, omissa tunc ratione agendi sub 1° indicata, aliam seligere liceat ex allatis sub 2°, 3°, 4°, et a Benedicto improbatis, sed plurium scriptorum auctoritate roboratis. Idcirco n. 80 inter alia scribit, se praetermittere pericula omnia, quae ex aliis modis dimanare possint, ita ut necessario ad relatum sub 4° deveniendum esse videatur. Pro casu itaque necessitatis alios hujusmodi modos non rejicit, idque porro sufficienter indicat. Vult enim ut, si non possit fieri quod sub 1° dictum est, confugiatur ad Majorem Poenitentiarium, qui tunc « magnis illis difficultatibus fortasse adductus, aut aliquid de severitate remittet, aut facultates a Pontifice necessarias postulabit, » scil. pro sanando in radice. Si vero periculum sit in mora nec adiri S. Poenit. queat, a parocho vel confessario recurrendum esse ad episcopum, a quo illud consilium dabitur, quod ma-

gis rei convenire videbitur. Sufficienter itaque innuit Benedictus, posse episcopum in casu necessitatis sufficientem declarare aliquem ex modis extra illum casum insufficientibus; ex ipsis etiam circumstantiis forsitan poterit juxta Benedictum alius aliquis modus deprehendi ab ipso non memoratus.

Ex toto Benedicti loquendi modo aliisque rationibus concludimus, praeferendum esse id quod sub 1° retulimus; si vero id fieri nequeat, recurrendum esse ad S. Poenit., tempore autem non suppetente (vel dispensatione data ab episcopo) ad episcopum. Sive autem ab hoc consilium expetatur, sive ne id quidem tempus permittat, praeferendum esse modum ex aliis meliorem, ultimum vero locum esse dictis sub 4°, quae etiam sub respectu novi consensus mutui ultimo tantum loco adhiberi posse docet S. Alphonsus. Semper autem praeferendum est id quod aliquam certiorationis speciem, dein vero, si non certiorationem, saltem novum consensum a priori independentem continere videtur. Per hujusmodi aliquem modum non stricte satisfit clausulae S. Poenit., verumtamen hanc non ab ipsa rerum essentia postulari, sed quia S. Poenit. tutioribus sententiis adhaerere consuevit, colligitur ex ipso Benedicto n. 70, qui n. 80 ponit eam posse remitti absque sanatione in radice. Ex altera vero parte, ut scribit S. Alph. n. 1117 : « In hoc casu necessitatis censetur S. Sedes relaxare praefatam conditionem, providendo meliori modo quo potest bono animarum, cum talis conditio tunc sit moraliter impossibilis executioni. In hoc igitur casu licite potest hic modus in praxim deduci, cum valde probabile sit (ut ostendimus n. 1114) sufficere consensum partis consciae impedimenti expressum per copulam conjugalem cum consensu alterius virtualiter perdurante; » et n. 1116 : « Eo casu ratione necessitatis etiam cum periculo frustrationis sacramenti licitum est sequi opinionem tantum probabilem; » cf. sup. n. 648 sub 4°. Sed et ex ipsa S. Poenit. auctoritate minor nunc est rei difficultas; nam in recentissima formula facultatum quas aliis concedere solet ipsa nunc addit : « et

quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, re novato consensu juxta regulas a probatis auctoribus traditas ; » cf. n. 620.

764. Abstrahendo nunc a clausula quam Sedes Ap. adhibet, et considerata sola rei substantia, imprimis quidem seponatur hypothesis impedimenti consensum unius tantum vitiantis, ex. gr. consensum fidelis qui nupsit infideli. Quum enim juris ecclesiastici impedimentum non vitiet nisi partis fidelis consensum, de alterius post infidelitatis cessationem vel dispensationis fulminationem novo consensu dicendum est ut n. 760 sq.

De impedimento utramque partem ligante communior doctrina est, requiri vere novum et a priori independentem consensum, non solum partis consciae, sed etiam ignarae ; inter alia autem argumenta adducitur, praesertim hoc partis ignarae necessario novo consensu differre simplicem dispensationem a sanatione in radice. Plerique autem hanc communiorem doctrinam propugnantes simul docent, novum partis etiam ignarae consensum emitti debere post notam matrimonii nullitatem seu certiorationem, vel saltem nullitatis suspicionem, quum alias verum novum consensum non concipiant. Sunt tamen graves auctores qui sustinent, novum partis ignarae consensum essentialiter seu ex rei substantia non postulari, quia prior consensus matrimonium quidem producere non potuit, verus tamen fuit consensus naturalis ; consequenter, sublato impedimento, coalescit matrimonium ex novo partis consciae consensu concurrente cum alterius non revocato sed virtualiter perseverante. Addunt autem, ipsam sanationem in radice hanc consensus naturaliter validi existentiam et virtualem perseverantiam pro fundamento habere nec sine ea intelligi, ideoque novum partis ignarae consensum non posse esse substantialiter requisitum.

Sedes Ap. priorem sententiam in praxi applicare solet, estque haec, quum agatur de valore Sacramenti, extra necessitatem omnino tenenda, etiam abstrahendo a quacumque clausula, ideo-

que etiam quando Ordinarius vi indulti, licet non sit S. Poenitentiariae, vel quasi ordinaria potestate dispensat.

Sed in necessitate licet secundam sententiam applicare, observatis iis quae n. 763 tradidimus, ita ut, si fieri possit, recurratur pro sanatione in radice aliove remedio, et tempore non suppetente, saltem pro consilio Ordinarii exquirendo ; si vero ne id quidem fieri queat, procedatur adhibito juxta supra tradita uno alterove modo, qui meliorem certiorationis speciem, sin vero hanc, saltem meliorem novi consensus a priori independentis significationem contineat vel continere videatur ; demum, nullo alio hujusmodi modo suppetente, adhibeatur indicatus n. 762 sub 4°. Quae quidem in casu necessitatis procedendi ratio innititur motivo, et S. Poenit. auctoritate, in fine n. 763 relatis (1).

Ex tanta rei difficultate colligitur in hypothesi unius partis ignarae ordinarie non sufficienter provideri per simplicem dispensationem, sed propter gravia incommoda, quae tamen prudenter praevideantur, esse tempestive loco illius petendam sanationem in radice. Quae igitur de casu necessitatis exposuimus, ea inserviunt quando petita non fuit nec peti jam potest sanatio in radice.

§ 3. *De dispensatione in radice matrimonii seu matrimonii sanatione in radice.*

765. Antiquiores auctores de ea vix aliter scribunt, quam ut de plenissima prolis legitimatione ; recentiores vero potissimum ut de medio quo occurratur incommodis ex necessitate renovandi consensum orituris, praesertim a parte nullitatis ignara. Amplior de ea mentio jam reperitur ap. Ben. XIV, sive ut S. C. C. secre-

(1) De ea, quam habuimus quaestione cf. S. Alph. n. 1115-1117, *Hom. Ap.* tr. 18, n. 81 sq., Carr. n. 1404 sqq. *Comp.* n. 279, Scavin. t. 4, n. 614, 616, Gury et Baller. t. 2, n. 895 sqq., Gury, *Casus*, ed. 1866, t. 2, n. 1069. tr. Mechl. n. 94, Bangen, tit. 3, p. 153 sqq., Caillaud, n. 212, 370 sub 1°, 402, Kutschker, van de Burgt, Giovine ll. cc.

tarium, sive in operibus ante Pontificatum editis, sive in pontificio decreto a. 1755, quod infra citamus (1). Ante Benedictum autem non solebat sanatio in radice concedi nisi pro magna hominum multitudine (2) ; sed interdum sub Benedicto, postea vero et recentioribus maxime temporibus frequenter, in casibus individuis concedi coepit. Contra vero quando in aliqua regione multa matrimonia fuerunt invalide contracta, interdum quidem Pontifex omnia sanat in radice, sed saepe rescribit non esse inquietandos existentes in bona fide (3), interdum vero hodie solet episcopis concedere facultatem sanandi in radice singula matrimonia, pro quibus ad ipsos recursus habitus fuerit (n. 614 sub 3°, et p. 536 sqq. et n. 697).

Posse Romanum Pontificem concedere sanationem in radice probatur ipso usu, post quem nonnisi summa temeritate illud negaretur ; exempla exercitae hujus potestatis plurima referunt auctores ; usu quoque hodierno frequentissimo res constat ; soli tamen Pontifici competit (4).

766. Natura etiam sanationis in radice (5) eam potestatem demonstrat. Simplex dispensatio effectus habet pro futuro tantum, et non sanat consensum jam praestitum, sed dispensatio in radice

(1) Cf. eum in *Pragen. Matr.* 13 jul. 1720, 16 januar. 28 aug. 18 sept. 1723 (*Thes. S. C. C.* t. 1 et 2), *Florentina seu Lucana* 28 sept. 1746 (Ib. t. 3), *Inst. eccl.* 87, n. 80, *De syn. dioec.* l. 13, c. 21, n. 7, et § 2 et 7 decreti 27 sept 1755, quod meminimus n. 589, 703 sub *b*.

(2) Cf. Ben. XIV, *Inst. eccl.* 87, l. c.

(3) Cf. Rigant. n. 4 in reg. 49 Canc.

(4) Cf. Carr. n. 1432, Kutschker. t. 5 § 355, Perrone, *De matr. christ.* ed. Rom. t. 2, p. 163 sqq., Giovine, t. 1, p. 597 sq., Gury et Baller. t. 2, n. 902, 905 q. 3, et nos sup. n. 614 sub 3°, et p. 536 sqq., et n. 697, coll. App. n. IV. et n. 697.

(5) De sanationis in radice explicatione varia habes ap. Ben. XIV ll. cc. passim, Perrone l. c. p. 160 sqq. 168 sq., Caillaud, n. 371 sq.. tr. Mechl. n. 102, *Acta S. Sedis*, t. 1, p. 189 sqq., Gury et Baller. t. 2, n. 901 sq., Giovine, t. 1, p. 595 sq. 603 sqq. 615 sqq., t. 2, p. 193, Palmieri, *Tr. de matr. christ.* Rom. 1880, p. 299 sqq.

consensus jam praestiti sanationem operatur retroagendo, quia Pontifex, quod in omni lege ecclesiastica facere potest, legem impedimenti abrogat ex tunc, quamquam in particulari nunc casu. Consensus erat naturalis, sed ineficax et invalidus ad efficiendum matrimonium; hinc invalidum hoc erat et proles illegitima (n. 82). Dispensatio autem in radice sanat radicem, seu consensum initio vitiose praestitum, adeo ut iste, quemadmodum olim actu praestitus absque obice impedimenti effecisset validum matrimonium prolemque consequenter legitimam, ita nunc virtualiter perseverans, ex tunc sublato obice, illico et natura sua validum efficiat matrimonium et proinde prolem legitimam. Realiter validum matrimonium non fit nisi eo momento, quo sanatio in radice applicatur modo paulo postea indicando, sed proles legitima habetur inde ab initio matrimonii. Diversimode enim pro natura sua producuntur isti indirecti effectus.

Quoad matrimonii ex nunc validitatem, Pontifex vitium consensus olim actualis et nunc virtualiter perseverantis sanandi postestatem habet, quia impedimentum juris ecclesiastici ex tunc tollere potest, et, hoc ex tunc directe sublato, consensus substantialiter requisitus ipsa sua natura effectus etiam suos producit, sive quia juxta alios impedimenta juris ecclesiastici non absolute irritant, sed suspendunt consensus naturalis efficacitatem, et exceptionem seu conditionem habent adnexam pro eventibus extraordinariis in legislatoris arbitrio positis, sive quia juxta alios impedimenta quidem non habent vim tantum suspensivam, consensus tamen renovatio ex sola Sedis Ap. voluntate requiritur. At quum Pontifex non possit efficere ut matrimonium antea non fuerit invalidum, ex nunc tantum validum hoc est.

Quod vero ad prolis legitimitatem attinet, ut Pontifex legem ecclesiasticam aliam potest abrogare quoad effectus jam productos ejus potestati omnino subjectos, adeo ut hi prorsus non considerentur, sed deleantur ac si numquam lex extitisset; ita potest eodem modo abrogare seu tollere illegitimitatis effectus, et velle

ut proles legitimitatis juribus gaudeat inde ab initio matrimonii. Directe itaque ex tunc abrogata lege impedimenti et vitio consensus sanato, alter quoque iste sanationis effectus indirectus est, ut in re plenissime ejus potestati subjecta Pontifex deleat effectus consensus invalidi, eosque habeat ut non productos, sive fictionem juris sive alio nomine id appellaveris.

Ex his intelligitur posse Pontificem, si consensum matrimonialem initio dederunt, aut neutrius novum consensum postulare, quo casu validum fit matrimonium per ipsam sanationis in radice sive concessionem in forma gratiosa sive commissae fulminationem, aut novum exigere consensum unius partis consciae, quo casu validatur matrimonium per sanationem in radice supra dicto modo applicatam, una cum subsecuto partis illius consciae novo consensu.

Quum sanationis in radice manifestum fundamentum sit consensus naturalis olim revera praestitus, et, quod spectat ad convalidandum matrimonium atque in eo permanendum, simul etiam illius consensus perseverantia virtualis, singulariter inde firmatur, impedimenta juris ecclesiastici non auferre substantialem seu naturaliter validum consensum, et consensus, fulminata simplici dispensatione, renovationem non esse per se seu essentialiter necessariam. Pariter per sanationum in radice existentiam confirmatur, ex rei essentia non fluere necessitatem certiorationis seu notitiae nullitatis matrimonii.

767. Sanatio in radice interdum datur pro sola prolis legitimatione, nedum utroque conjuge vivente, sed etiam utroque vel alterutro vita functo (1). Nobis vero negotium potius est de sanatione in radice eximente a renovando consensu et ipsum matrimo-

(1) Cf. Rigant. n. 107 in reg. 50 Canc., secr. S. C. C. (postea Ben. XIV) in causis supra citt., Carr. n. 1427 sqq., Kutschker, t. 5 § 364, Perrone, l. c. p. 162 sq. 172 sqq. 176 sqq., Giovine ll. cc., S. C. C. in una *Dubium dispensationis seu sanationis in radice* 22 junii 1844 (ap. Lingen et Reuss, *Causae selectae*, n. 519).

nium coavalidante ; ad eam autem requiruntur quaedam conditiones partim ex rei essentia, partim ex Romanorum Pontificum voluntate.

1° Necesse est consensus vere matrimonialis datus fuerit tempore celebrationis matrimonii ; idcirco tradi solet requiri ut conjunctio, saltem initio, habuerit extrinsecam matrimonii speciem seu figuram, nec fuerit mera cohabitatio manifesto fornicaria.

Necessitas consensus vere matrimonialis initio dati evidens est; sanari enim nequit radix quae non extitit. Si itaque tempore celebrationis una pars consensum matrimonialem non praestitit, hujus novus consensus est essentialiter requisitus, nec potest ei applicari sanatio in radice ; huic tamen locus est ad sanandum consensum non revocatum alterius partis; conceditur autem quando hujus novus post certiorationem consensus praevidetur non posse obtineri; matrimonium tunc convalescit per applicatam sanationem in radice, simul cum subsecuto prioris partis novo consensu.

Si tempore celebrationis uterque consensum matrimonialem dederunt, sed aut uterque aut alteruter erant in mala fide circa impedimentum, vel bona fides tempore celebrationis existens postea cessavit, estne locus sanationi in radice (1)? Regulariter cum mala fide circa impedimentum seu hujus notitia non consistit consensus matrimonialis, consistere tamen potest, quia non satis attenditur ad vim irritantem impedimenti vel haec ignoratur vel non creditur vel non satis perspecta habetur. Hujusmodi autem aliquo casu posito, stricte loquendo potest semper convalidari matrimonium per sanationem in radice, dummodo consensum neuter revocaverit; ad matrimonium tamen convalidandum et in eo permanendum non solet concedi, nisi quando una pars, sive quia moneri nequit sive aliunde, ad consensum renovandum adduci nequit, ejus tamen consensus nec probatur nec timeri debet revocatus.

(1) Cf. Gury ed. Baller. t. 2, n. 904 q. 2, Caillaud, n. 142, 147, Giovine, t. 1, p. 607 sq., t. 2, p. 73, et nos sup. n. 407.

768. Pauca quaedam sunt notanda de extrinseca matrimonii specie. Veri consensus matrimonialis tempore celebrationis praestiti conditio essentialis est; ea autem impleta, videtur extrinseca matrimonii, tempore celebrationis, species seu figura non ad rei ipsius essentiam sed ad voluntatem Pontificiam referenda, quae illam exigat sive quia ex sola conjunctione ejusmodi ad consensus matrimonialis existentiam concluditur, et ex manifesto fornicaria conjunctione seu cohabitatione colligitur consensus matrimonialis absentia, sive etiam propter scandali rationem.

Extrinseca saltem matrimonii species adest imprimis quidem in omni matrimonio celebrato coram Ecclesia, sed invalide propter occultum impedimentum; adest etiam in matrimonio quod in loco, ubi alterutrum lex dirimens clandestinitatis non obligabat, contractum fuit invalide propter occultum impedimentum, sive coram civili magistratu sive coram ministro acatholico sive alio modo matrimonii intentionem attestante. Imo species extrinseca matrimonii excludi non potest ab iis matrimoniis, de quibus serio dubitatur an in loco celebrationis sint lege Tridentina ligata, et quae uno alterove modo supradicto contracta fuerunt (n. 592 in fine). E contra vero extrinseca haec species deest matrimoniis clandestine, etiamsi matrimoniali aliqua forma, ex. gr. juxta mores regionis, celebratis in loco ubi ex hac causa notorie sunt invalida; et multo magis iis conjunctionibus quae nullam habent sive civilem sive aliam formam matrimonialem, sed in mera cohabitatione evidenter fornicaria consistunt. In his quidem nullus omnino consensus matrimonialis cogitatur, et consequenter locus non est sanationi in radice. In illis vero, licet et ipsae pro manifesto fornicariis habeantur, fieri tamen potest ex una alterave causa in fine n. 767 indicata, intentionem seu consensum matrimonialem revera non defuisse (1); et deest quidem illa matrimonii species extrinseca seu figura, quam regula supra posita exigit, unde pro iis validand's Pontifices non facile concedunt

(1) Cf. van de Burgt, *De disp.* n. 119, p. 110 sq.

sanationem in radice; attamen concedi ab iis potest et interdum conceditur, dummodo consensus vere matrimonialis probetur praestitus, et scandalum auferatur vel non oriatur.

Hinc potest in quibusdam circumstantiis obtineri sanatio in radice etiam in impedimento clandestinitatis, ex. gr. quando in loco, ubi uterque lege clandestinitatis irritante ligantur, una pars aut moneri nequit, aut non potest adduci ut ullo modo consensum in forma Tridentina renovet, consensum tamen non revocavit, et in matrimonio vult permanere, et scandalum aut non orietur, quia in loco, in quo nunc sunt, publice habentur pro conjugibus et occultum est clandestinitatis vitium, aut avertitur per convalidationis factae divulgationem. Aliud exemplum est, quando in loco, ubi uterque impedimento dirimente clandestinitatis ligabantur, contracto invalide matrimonio, nunc in loco, ubi alteruter saltem ibi habitans vel vagus eo impedimento non ligatur, petitur sanatio in radice, quia altera pars aut moneri aut ad novum consensum adduci nequit, consensum tamen non revocavit sed in matrimonio vult permanere; scandalum autem tunc ordinarie non erit, quia solent in novo illo loco pro conjugibus haberi; si vero existeret, deberet per convalidationis divulgationem averti.

Sequitur ex dictis posse etiam interdum matrimonium civiliter tantum contractum, etiam in loco ubi uterque notorie ligabantur impedimento clandestinitatis, servatis tamen supra expositis, sanari in radice. At fatendum est consensum matrimonialem saepe deesse in iis, qui in ejusmodi loco contrahunt clandestine, quamquam civiliter, ideoque raro esse tali sanationi in radice locum, et ante omnia de consensu matrimoniali praestito debere constare; sanationem autem, si de eo consensu constiterit, ob difficillimas tantum casus circumstantias et pro salute animae resipiscentis concedi. Servatis autem servandis, clandestinitatis impedimentum et matrimonium civile non penitus excludi, constat ex praxi et indulto interdum episcopis concesso (1).

(1) Ceterum cf. secr. S. C. C. (postea Ben. XIV) in cit. *Pragen.*, Carr.

769. 2° Requiritur ut agatur de impedimento juris ecclesiastici; consensum enim impedimento juris naturae vel divini, ex. gr. ligaminis, vitiatum sanare Pontifex nequit (n. 761). Si vero ejusmodi impedimentum post invalide ob ecclesiasticum impedimentum celebratum matrimonium supervenerit, ex. gr. impotentia perpetua, nihilominus potest sanari matrimonium in radice; respectu enim futuri matrimonii foret haec impotentia antecedens, sed respectu jam contracti est subsequens. Difficile quidem est concipere sanationem in radice, quum matrimonium revera non fiat validum nisi ex nunc, seu quando sanatio applicatur, ideoque revera videri potest impotentia matrimonium antecedere; verum explicandi ratio est petenda a peculiari natura sanationis in radice, qua consensus olim actu praestitus per impedimenti ex tunc abrogationem sanatur; ad manum habemus ejusmodi sanationem in radice a Pio IX concessam a. 1848. Uti tamen matrimonio partes profecto non possunt. — Clandestinitatis etiam impedimentum non excludi vidimus n. 768; sed in amplissimis licet indultis semper excluduntur Ordo sacer et professio Religiosa. — Quamquam ordinarie sanatio in radice datur pro nullitate occulta, nihilominus in quibusdam circumstantiis difficillimis, et positis quibusdam conditionibus, pro publica quoque nullitate concedi colligitur ex n. 768 (1).

770. 3° Causa gravis et urgens postulatur; et quamquam valida foret sanatio absque ejusmodi causa scienter a Pontifice data, ita tamen eam concedere non vult, et irrita est sanatio si causa falsa est; ex. gr. si absque gravi incommodo novus consensus potest obtineri. Invalida etiam est sanatio absque gravi et urgenti causa concessa ab indultario, et quoties absque gravi incommodo obtineri novus consensus potest. Verumtamen prudens ea in re

n. 1442 sq., *Comp.* n. 284, Caillaud, n. 141, 143, 368 sub 3°, 378, de Saint-Exupéry, p. 114 sq., tr. Mechl. n. 102, q. 4, Perrone l. c. p. 170 sq., Gury ed. Baller. t. 2, n. 904 q. 2.

(1) Cf. n. 772, Giovine, t. 1, p. 617 sq.

judicium sufficit, nec debet negotium, mathematicam inquirendo certitudinem, totum pessumdari.

Causa urgens et gravis frequentior ea est, quod impedimentum uni parti sit notum nec possit absque gravis incommodi periculo nullitas manifestari comparti, hujusque consensus novus elici; ex. gr. impedimentum occultum affinitatis illegitimae. Alia causa est, si una pars nequeat adduci ut uno alterove modo consensum renovet in forma Tridentina (n. 777), attamen consensum non revocaverit, et, ut loquitur card. Caprara in parte 3 instr. 25 apr. 1803 (1), « de praesenti exhibeat consensum remanendi in matrimonio. » Tertiam causam plures allegant, quando nempe propter rationem urgentem neutra pars potest de nullitate matrimonii moneri, ex. gr. propter earum dispositionem vel propter invaliditatem provenientem a culpa Ordinarii, parochi, confessarii. Sed quamquam Sedes Ap. interdum sanat in radice matrimonia in ejusmodi casu nulliter contracta ex culpa aliorum, ordinarie tamen, opinor, bonae fidei ejusmodi matrimonia relinquit, vel Ordinarium munit facultate sanandi in singulis casibus, pro quibus ad ipsum recursus habitus fuerit. Potest profecto ob tertiam illam causam dari sanatio, sed existimamus in casu, quo neutra pars neque nunc neque postea moneri potest, non esse petendam sanationem in radice, sed bonae fidei negotium esse relinquendum (n. 598 in fine, 687 init.).

771. 4° Plerique requirunt ut illius, cujus novus consensus obtineri nequit, consensus perseveret; quam tamen conditionem aliqui non exigunt, nisi in rescripto postuletur. Pro sola filiorum legitimatione secundam hanc opinionem facile admiserim, nequaquam vero pro ipso matrimonio validando in eoque permanendo; hac autem de re nobis sermo est. Quomodo enim coalesceret matrimonium et permanebitur in eo, si novus unius consensus jam nequit concurrere cum virtualiter perseverante alterius consensu, utpote ab eo revocato (2)?

(1) Ap. Moser, App. n. 16.

(2) Plura vid. ap. Carr. n. 1447 sqq., *Comp.* n. 284, tr. Mechl. n. 102,

Si vero quaeratur debeatne constare, consensum perseverare seu non esse revocatum, imprimis quidem affirmari id debet quoties in rescripto praescribitur; modus etiam in eo praescriptus servari debet. Rescripto autem hac de re silente, sufficit non haberi revocationis argumentum, sed consensum prudenter judicari non revocatum; habitualis seu interpretativa dispositio non praebet revocationis argumentum, nec imprudenti modo est in consensus perseverantiam inquirendum. Imo scribunt *Acta S. Sedis* (1) : « Licet autem haec dispensatio non concedatur... quando saltem unus ex conjugibus, ex cognita matrimonii nullitate, suam vindicet libertatem; tamen conceditur in casu quo unus conjux noverit impedimentum, et alter ignoret, etiamsi certo praevideretur quod si alter impedimentum novisset, plenum faceret divortium. Imo etiamsi conjux impedimenti ignarus, nolit cohabitare et divortium quaerat, sive semiplenum, ut evenit quando ob legitimas causas conjuges separantur citra matrimonii nullitatem; sive etiam plenum ut si quaeratur declarari matrimonii nullitas ex praesumpto impedimento : tamen si aliquis cui intersit, detecto vero impedimento, conjugi vel conjugibus ignoto, imploret hanc dispensationem, concurrentibus gravibus urgentibusque causis, haec dispensatio conceditur. »

772. In supplici pro obtinenda sanatione libello (2) non solum exprimenda sunt quae pro aliis dispensationibus, speciatim etiam post matrimonium invalide contractum, exprimi debent, sed praeterea exponendae sunt circumstantiae, quae circa quatuor supra traditas conditiones versantur, et, ut sanationi in radice sint

q. 4, Gury ed. Baller. t. 2, n. 903, Caillaud, n. 144 sq., Bangen, tit. 3, p. 158, van de Burgt, *De disp.* n. 119, p. 111, Perrone, l. c. p. 173 sqq., Giovine, t. 1, p. 146 sq. 609 sqq., t. 2, p. 73, *Acta S. Sedis* l. c. p. 186 sq. 188, 190, ubi affirmant sanationem in radice non concedi, quando unus conjugum, cognita matrimonii nullitate, suam vindicat libertatem seu dispensationi obnititur; « ex hac enim consensus revocatione cessat matrimonialis status ex vi prioris consensus inductus. »

(1) L. c. p. 186 sq.

(2) Cf. Giovine, t. 2, p. 73 sq. 77.

propriae, ita in casu falsitatis proprium ei subreptionis vel obreptionis vitium adducunt, ideoque causam nullitatis novo, si fieri possit, recursu sanandam. — Singulorum rescriptorum clausulae a delegato sunt ponderandae; multum enim sunt diversae pro circumstantiarum diversitate; idem de indultis dicendum. — Universe in literis Ap. injungitur delegato, ut declaret se agere auctoritate Sedis Ap. specialiter sibi facta, serio moneat de gravissimo patrato scelere, poenitentiam imponat, a censuris absolvat, declaret ob hanc dispensationem a supplicante acceptatam matrimonium fieri validum et indissolubile, prolemque susceptam et suscipiendam pro legitima esse habendam. Etiamsi autem delegatus hanc de prolis legitimitate declarationem omiserit, nihilominus, quum non agatur de simplici dispensatione, proles tam suscepta quam suscipienda legitima est.

Sanationis in radice sive pro foro externo sive pro foro conscientiae fulminatio sequitur in omnibus fulminationem dispensationis simplicis, ea tantum facta mutatione vel additione, quam propria sanationis natura, clausulae rescripti vel indulti cet., exigunt (1). In casu publico, vel matrimonii nondum contracti in forma Tridentina, solent literae Apostolicae praecipere, ut autographum concessionis, absolutionis a censuris, acceptationis et declarationum dispensato factarum documentum servetur in curia episcopali, et exemplar authenticum eidem sedulo custodiendum tradatur; praecipitur tunc insuper descriptio in regestis facienda juxta casuum diversitatem, de qua in § sq. Praeterea casu impedimenti utrique noti exigi solet, ut conjux renitens prudenter certioretur de peracta sanatione in radice, ut sciat se in legitimo matrimonio versari. In casu autem publico tum hoc idem fieri debet, tum scandalum meliori modo removeri, ex. gr. per prudentem divulgationem.

Demum haec citaverim scripta a Giovine (2) : « Quod si impe-

(1) Cf. n. 754 sqq., Giovine, t. 2, p. 270.
(2) T. 1, p. 617 sq. Cf. etiam nos sup. p. 536 sqq. et n. 697.

dimentum de facili publicum reddi, aut saltem conjugi ignaro lapsu temporis enunciari possit, non satis consuliter ejusmodi conjugum et prolis necessitati, petendo dispensationem in radice pro foro tantum conscientiae, quae in foro fori suffragari nequit. Quare in tali eventu necessum est, ut impetretur sanatio in radice valitura quoque pro foro externo; et tunc opus est, ut confessarius suum poenitentem impedimenti conscium moneat, ut rem secreto patefaciat proprio Antistiti, qui ita se gerere potest, ut res adhuc ignota maneat. Neque tamen timeri potest, ne evulgaretur impedimentum, dum impetratur sanatio in radice pro foro quoque externo valitura. Etenim in hujusmodi eventu Ordinarius non per consuetas testimoniales gratiam a Pontifice impetrabit, sed per specialem commendatitiam clausam, suoque sigillo obsignatam, atque per organum Majoris Poenitentiarii petet. Quin imo quoties agitur de pluribus conjugiis dicto modo sanandis, potest casus exponi relictis putatorum conjugum nominibus, impetrando facultatem concedendi sanationem in radice valituram quoque pro foro externo. Etenim in tali eventu insequenti modo S. Sedes rescribere Ordinario consuevit. — S. Poenit., benigne sic annuente SS^mo^ D. N. Pio PP. IX, dilecto in Christo Ordinario... *facultates* necessarias et opportunas *concedit* ad hoc, ut matrimonia, de quibus, et *prout in precibus* contracta, *super respectivis impedimentis*, quibus singuli conjuges detinentur, dispensando Ap. auctoritate *in radice sanare*, et proles sive *susceptas* sive suscipiendas exinde legitimas declarare valeat, *descriptis in calce praesentium propriis conjugum nominibus et cognominibus*, ac praesenti gratia *pro quolibet futuro eventu* in episcopali cancellaria *caute asservanda*. Contrariis non obstantibus. Datum Romae die... anni 1863 —. »

773. Consensus ab una parte renovatio per se necessaria est, quando illa consensum initio non dedit vel eum revocavit; in reliquis vero casibus interdum non praescribitur, interdum praescribitur, praesertim si pars sanationem obtinens malae fidei fuit

tempore celebrationis. Consensus renovatio uni parti praescripta ad valorem requiritur; non praescripta utilis tamen est. Novo consensu praescripto vel per se necessario, convalescit matrimonium eo momento, quo post sanationem fulminatam consensus renovatur; novo autem consensu neque per se necessario neque praescripto, matrimonium per ipsam sanationis fulminationem convalescit.

§ 4. *De forma Tridentina observanda necne, et de matrimonii in libro inscriptione* (1).

774. Dispensatione concessa et fulminata pro matrimonio nondum invalide contracto sed primum contrahendo, deinde in loco, ubi decreto *Tametsi* uterque ligatur, pro valore requiritur celebratio in forma Tridentina. Nec licet hanc facere nisi publice seu ita ut populo innotescat; secreto tamen celebratur matrimonium conscientiae (n. 343 sqq.), et illud de quo actum est n. 753 vs. *Clausulam tamen*. Inscribitur matrimonium in libro matrimoniorum parochiali, matrimonium vero conscientiae, et illud etiam, opinor, de quo sup. n. 753, vs. *Clausulam tamen*, in secreto matrimoniorum libro, qui apud episcopum asservatur (n. 345). Fit mentio dispensationis fori externi, nulla vero fori conscientiae. — Ubi forma Tridentina partes non ligat, clandestina tamen matrimonia sunt illicita; sacerdos autem curam habet tum publicitatis valide contractorum, tum inscriptionis praedictae (n. 319).

(1) De praecipuis huc pertinentibus varie scribunt Conrad. l. 7, c. 7, n. 7 sqq., l. 8, c. 3. de Justis, l. 1, c. 6, n. 388 sqq., Pignatell. *Consult. can.* 22 (t. 8), Ben. XIV, *Inst. eccl.* 87, n. 62 sqq., S. Alph. n. 1110, Carr. n. 1453 sqq. *Comp.* n. 280, Bangen, tit. 3, p. 78 sqq. 151 sq. 159 sqq., Caillaud, n. 138, 213, 370 sub 2° et 6°, 398 sub 2°, ubi S. Poenit. 26 febr. 1836, van de Burgt, *De disp.* n. 107 sq. 110 sqq. 124, tr. Mechl. n. 94. Gury ed. Baller. t. 2, n. 892 sqq. 898, *Casus* ed. 1866, t. 2, n. 1065, 1073-1078, *Acta S. Sedis*, t. 2, p. 6 sqq., Giovine, t. 1, p. 593 sqq., t. 2, p. 146, 189 sqq., et nos sup. n. 342.

Quando aut absque dispensatione, aut fulminata dispensatione simplici, revalidandum matrimonium est, debet in loco, ubi lex irritans Tridentina utrumque obligat, pro valore novus consensus praestari in forma Tridentina, quoties aut matrimonium nondum fuit in hac celebratum (n. 761), aut aliis publicum est impedimentum quod matrimonio ita jam contracto obstabat, vel saltem dispensatum fuit tamquam in casu publico seu pro foro externo; sed non requiritur forma Tridentina quando matrimonium jam fuit in ea contractum, et impedimentum est occultum seu dispensatum fuit pro solo foro conscientiae.

775. Quando publicum est impedimentum quod obstabat matrimonio, sive jam celebrato sive non celebrato in forma Tridentina, debet in hâc forma celebrari publice, sed potest Ordinarius non solum dispensare in proclamationibus, sed et permittere secretam in forma Tridentina celebrationem, dummodo deinde per prudentem divulgationem scandalum auferatur. Inscribitur autem matrimonium cum dispensationis mentione, die et anno et testium nominibus in consueto libro parochiali; casu autem matrimonii olim in forma Tridentina contracti, aut fit nova hujusmodi inscriptio cum remissione ad priorem, aut ad hanc tota res debite adnotatur. Modum inscribendi etiam Rituale Romanum exhibet.

Eodem modo proceditur quando impedimentum adhuc aliis publicum non est, sed, quia prudenter timebatur futurum publicum, dispensatum fuit tamquam publicum seu pro foro externo; attamen in isto casu semper obtinenda est proclamationum remissio et secreta in forma Tridentina celebratio, et deinde, impedimento facto publico, prudenter divulganda matrimonii validatio. Si gravia incommoda timerentur, interdum posset in casu extraordinario fieri inscriptio in libro episcopali secreto, et, superveniente publicitate, transferri in librum consuetum.

776. Si occultum est impedimentum quod obstabat matrimonio jam celebrato in forma Tridentina, et pro solo foro conscientiae

fuit dispensatum, sufficit mutuus partium inter se novus consensus, de quo rite dando opportune instruuntur, neque ulla fit inscriptio. Si tamen facile fieri queat, mutuum consensum saltem coram confessario renovari utiliter interdum consulitur.

Sollicite aliqui inquirunt an, quando mutuus inter partes novus consensus sufficit, saltem pro habenda ratione Sacramenti vel gratiis sacramentalibus sit recipienda benedictio nuptialis. Quocumque tamen sensu haec benedictio accipiatur, sive de benedictione solemni, sive de ordinaria benedictione quae continetur verbis *Ego vos conjungo*, imprimis non est necessaria nec praecepta, nec ad Sacramenti rationem nec ad gratias sacramentales requiritur, quum certum jam sit contrahentes esse Sacramenti matrimonii ministros. Deinde nec fieri potest, nisi quando executor, qui in isto casu solet esse confessarius, simul est nubentium parochus, et uterque notam habent nullitatem et consensum coram eo renovant. Sed in hoc ipso casu non potest cogitari de benedictione solemni, quae sub Missa tantum datur (n. 554), et non est danda nuptiis jam benedictis, quod a multis traditur etiam de iis quorum matrimonium irritum erat (1). Si autem consensus renovetur coram confessario, qui simul sit nubentium parochus, adhiberi quidem ab isto possunt verba *Ego vos conjungo ;* sed ipsa ratio loquendi S. Poenit. mutuum inter ipsos consensum sufficere indicat, et obligari ad aliud nequeunt.

Quaeri etiam solet sitne iteranda forma Tridentina, et consequenter ipsa quoque dispensatio peti debeat pro foro externo, si universe quidem aliis occultum sit impedimentum, sed notum parocho et testibus, imo tempore celebrationis his notum fuerit (2). Huic quaestioni vix practicae generatim negative respondendum opinamur.

(1) Cf. De Herdt, *Sacrae Liturgiae praxis*, t. 3, Lovan. 1870, n. 278.

(2) Cf. S. Alph. n. 1112, Carr. n. 1462, Bangen, tit. 3, p. 160, Caillaud, n. 213, 398, Gury ed. Baller. t. 2, n. 899, tr. Mechl. n. 94, Giovine, t. 2, p. 191 sq.

777. Si, dum novus in forma Tridentina consensus requiritur, neutra pars ad eum sive in ecclesia sive alibi praestandum potest adduci, absolute quidem loquendo dari potest sanatio in radice, sed non obtinebitur, et nihil restat quam ut oretur pro ipsis eorumque resipiscentia procuretur. Una vero parte renuente, ad normam cit. (n. 770) instr. card. Caprara, part. 2, allaborandum est, ut, servatis servandis (n. 300), faciat per procuratorem, si et hoc renuat, per literas, denique recurrendum ad sanationem in radice. Postremum hoc remedium non raro adhibendum est, ne tentatis quidem prioribus.

778. Sanatione in radice concessa in foro conscientiae pro matrimonio jam contracto in forma Tridentina, nulla fit inscriptio; in eodem foro concessa sanatione pro matrimonio nondum in forma Tridentina contracto, matrimonium inscribitur, cum nota diei et anni sed absque mentione sanationis, in libro matrimoniorum secretorum (1). At concessa sanatione pro foro externo, in libro consueto fit inscriptio, facta etiam mentione sanationis, et quando ita in foro externo sanatur matrimonium jam contractum in forma Tridentina, haec inscriptio aut fit nova inscriptione cum remissione ad priorem, aut ad hanc adnotatione debite facta. Verba indultorum episcopis interdum concessorum non semper eadem erant (2).

779. Invalide contracto matrimonio in loco, ubi saltem alteruter non obligabatur lege Tridentina, validum quidem fit per novum inter partes post fulminatam dispensationem consensum, nisi dispensans strictam posuerit conditionem contrariam, sed non semper per se licita est talis revalidatio. Licita est quando dispensatum fuit in foro conscientiae pro matrimonio non clandestine olim sed coram sacerdote contracto. At fulminata dispensatione fori externi seu in impedimento publico, matrimonium, etiamsi

(1) Recole dicta n. 753 vs. *Clausulam tamen*, et n. 772, vs. *Sanationis*.
(2) Cf. p. 536 sqq. et n. 697, de Saint-Exupéry, p. 114 sq.

olim in forma ecclesiastica celebratum, contrahendum est ac si primum celebraretur. De ejusmodi autem regione haec porro scribit Kenrick (1) : « De matrimoniis contractis coram magistratu, vel praecone haeretico, idem dicendum videtur. Si enim impedimentum latuerit quo ea irrita sunt, et periculum nullum sit illud notum futurum, secreto renovari poterit consensus, quum de contractu alias satis constet. Quod si irritum fuerit matrimonium ob disparitatem cultus, vel aliud impedimentum canonicum, renovandus erit consensus, dispensatione impetrata, coram sacerdote : sed quoties pars acatholica non vult coram eo se sistere, secreta renovatio permitti potest. » Semper autem curandum est ut scandalum aut non oriatur aut per prudentem divulgationem auferatur. — Quae ad secretam in forma ecclesiastica renovationem, ad sanationem in radice et inscriptionem pertinent, ea ex supra traditis innotescunt. — De matrimonii in loco, ubi uterque lege Tridentina tenebantur, nulliter celebrati revalidatione in alio loco, ubi saltem alteruter ea lege non tenetur, vid. n. 761, coll. n. 313, 774, et hoc ipso n. 779.

Postquam vero, etiam in casu quo illicite fit, valide contractum vel revalidatum matrimonium fuit, Ecclesia, teste Ben. XIV (2), non urget renovationem coram sacerdote. Quare de catholicis, qui in loco, ubi Tridentina lex non obligat, sacerdotis operam neglexerint, et matrimonium contraxerint ex. gr. coram ministro acatholico, scribit Kenrick (3) : « Non est iis facile indulgendum ut benedictio detur, vel ritus sacer peragatur, quo se indignos praestiterunt; nam Benedictus XIV testatur nullam ab Ecclesia sollicitudinem demonstrari ut ritus sacri suppleantur, matrimonio valide contracto. Multo minus licet consensum exigere, vel excipere, quae ratio agendi errori faveret, quasi contractus foret in-

(1) Tr. 21, n. 226.

(2) *De syn. dioec.* l. 8, c. 13, n. 8.

(3) Tr. 21, n. 188; cf. quae diximus n. 574, coll. n. 554. De non permittenda consensus renovatione vid. n. 202, 305.

validus. Quod si verae poenitentiae indicia exhibuerint, et scandalum reparaverint, poterunt ritus suppleri, nisi Praesuli aliter visum fuerit. » Ex his autem, et simul collatis iis quae c. 26 de matrimonio mixto tradidimus, liquet quid de ejusmodi matrimonio licite revalidando vel illicite revalidato sit dicendum. Illud vero praesertim mente tenendum est, quotiescumque etiam posset aliunde hujusmodi matrimonium absque alia dispensatione validari, nihilominus ad licitam revalidationem semper requiri praeviam in mixta Religione dispensationem (n. 573).

CAPUT XXXVI.

DE MATRIMONIO, UT VOCANT, CIVILI.

780. Civilis, ut vocant, matrimonii non ea in multarum regionum legibus civilibus significatio est, ut dotalem aliumve de rebus temporalibus contractum denotet, sed ipsum matrimonium ejusque vinculum, ipsa consensus matrimonialis mutua declaratio, ea voce intelligatur, adeo ut palam sit civiles leges de re non sua, verum soli Ecclesiae concredita, etiamsi non eodem ubique modo, disponere. Alibi, poenis appositis, interdicitur ne ante civilem matrimonii celebrationem celebretur coram Ecclesia; alibi praevia quidem coram Ecclesia celebratio non prohibetur, civilis tamen quoque prorsus necessaria dicitur, et juxta hanc de matrimonio ejusque vinculo judicatur; alibi demum ecclesiastica matrimonii celebratio et libera et sufficiens esse ponitur, sed iis, qui eam nolunt vel quibus eam Ecclesia negaverit, injungitur matrimonii coram civili magistratu celebratio, et hujusmodi matrimonii, non obstante ejus coram Deo et Ecclesia nullitate, ex civilibus legibus subsistentia affirmatur, et juxta hanc de vinculo ipso judicatur. Quaecumque ejusmodi legibus civilibus ratio assignetur, nulla est quae falsis doctrinis non innitatur, illi praeci-

pue, qua matrimonium instar civilis contractus habeatur, vel in matrimonio christianorum contractus naturalis mutuo consensu initus a Sacramento realiter separari posse credatur. Priorem illum errorem saepissime reprobavit Sedes Ap.; posteriorem quoque doctrinam recentissime plus semel proscripsit, et graviter saepe conquesta est de legibus ejusmodi civilibus, utpote laedentibus jura Ecclesiae, et matrimonii christiani sanctitatem, unitatem, indissolubilitatem (1).

781. Quum in matrimonio christianorum non possit umquam Sacramentum realiter a contractu separari, neque validum inter eos esse matrimonium quin simul sit Sacramentum, ac praeterea quaecumque vinculum respiciunt, soli Ecclesiae competant, sponte sua fluit, ipsam matrimonii celebrationem coram Ecclesia fieri debere, et per se non licere nuptias inire coram civili magistratu. Ii quidem, qui a decreto *Tametsi* sunt liberi, valide agunt, dummodo verum consensum matrimonialem praestent, nec ullo impedimento canonico dirimente ligentur; illicite tamen faciunt, quia tam ante quam post Conc. Trid., etiam ubi hujus decretum non viget, clandestina et non coram proprio sacerdote inita matrimonia prorsus fuerunt et sunt prohibita, ut ex supra indicatis principiis sequitur. Ii vero, qui decreto *Tametsi* ligantur, quantumvis ipsi verum consensum matrimonialem praestare velint, ne valide quidem ita contrahere possunt, quum Tridentini forma sub infirmitatis poena obliget, etiamsi lex civilis aliam formam praestituat, et velit, hac nova forma interveniente, matrimonium valere (n. 7). Verumtumen si parochus, vel ab eo aut ab Ordinario delegatus sacerdos, adiri nequeat (n. 303), valide et licite matrimonium initur coram duobus testibus, et consequenter nihil impedit quominus contrahatur eo ipso momento, quo

(1) Cf. c. 1 § 1, praesertim n. 7, 15, 45, 53 sq. 58 sqq. Plura etiam de matrimonio, quod vocant civile, habes ap. *Nouv. rev. théol.* t. 2, p. 549 sqq. t. 4, p. 229 sqq., de Angelis t. 3, part. 1, p. 36 sqq.

civilis ceremonia impletur; valor tamen hujusmodi matrimonii non est ex civili ceremonia, sed ex contractu, qui mutuo partium consensu coalescit. Praeterea, ad licite coram solis testibus contrahendum, opus est ut nullus prorsus sacerdos possit haberi. Nihilominus in illis ipsis loci circumstantiis illicite, quamquam valide, coram civili magistratu verus consensus matrimonialis praestaretur, si ex peculiaribus adjunctis haberetur ab ita contrahentibus communicatio in sacris seu divinis cum haereticis vel schismaticis (1). Extra praefatum impossibilitatis casum stat generalis regula, matrimonium ipsum coram civili magistratu contrahi non posse, idque nec valide nec licite ab iis qui decreto *Tametsi* ligantur, non licite vero ab iis qui eo non ligantur. Sed licetne saltem, dummodo non praestetur ipse consensus matrimonialis, actum civilem lege praescriptum implere? Diserta Sedis Ap. documenta solutionem praebent; cf. etiam n. 71 sq.

782. Solent leges civiles nuptiis denegare civiles effectus, nisi actus a se praescriptus fuerit impletus; unde partibus licitum est eum in finem coram magistratu se sistere, ne civilibus effectibus ipsi et proles priventur, excepto tamen casu, quo catholici simul ita declararent se non esse catholicos (2). Quodsi civilis potestas, cujus est de civilibus his effectibus disponere, eo modo id praestare vellet, qui solus principiis consonus est, ea id ratione facere deberet, quam indicat Pius IX in litt. ad regem Sardiniae (vid. n. 53, coll. n. 14, 71). Sed etiamsi aliam seu indebitam in disponendis civilibus effectibus normam lex civilis adhibeat, nihilominus actus lege praescriptus poni potest, tum in locis ubi decretum *Tametsi* obligat, tum in aliis, ne gravissimum detrimentum conjuges et proles subeant. Ubi tamen fieri potest, prius coram Ecclesia celebrandum est ipsum matrimonium, et nonnisi hoc facto adeundus civilis magistratus. Sic enim et agnoscitur jus soli

(1) Cf. Pii VI Instr. 28 maii 1793 (n. 35).
(2) Cf. Pii VI Instr. 26 sept. 1791 (n. 35).

Ecclesiae competens, ac periculum avertitur ne forte coram magistratu consensus ipse praestetur, et simul gravissima praeveniuntur incommoda, quae ex non secuto forsitan deinde coram Ecclesia matrimonio possent oriri (1).

Si lex civilis necessitatem imposuerit prius adeundi magistratum, licite id fideles exequuntur, ita tamen ut non intendant ipsum matrimonium coram civili magistratu contrahere; hoc enim in locis decreto *Tametsi* subjectis et illicitum et invalidum, alibi vero illicitum foret; sed ut mere civilem ceremoniam agant, quamcitius deinde coram Ecclesia contracturi matrimonium, et interim separati manentes. Hanc quoque normam saepius indicavit Sedes Ap. (2), eamque in locis etiam non subjectis decreto *Tametsi* servari debere, ex principiis initio n. 781 indicatis manifestum est (3).

783. Si qui clandestinitatis lege Tridentina obligati, nihilominus, extra casum impossibilitatis in loco existentis, contrahunt absque forma Tridentina, etiamsi coram civili magistratu, eorum conjunctio non habet matrimonii substantiam seu valorem, sed, quantumcumque illi consensum praestare velint, et quidquid lex civilis praecipiat, nihil aliud est nisi turpis et exitialis concubinatus (4).

Sed intricatior est quaestio an ejusmodi mere civile matrimonium, initum ab iis qui decreto *Tametsi* ligantur, figuram saltem seu speciem matrimonii habeat. Si enim species seu figura matri-

(1) Vid. Ben. XIV litt. *Redditae sunt Nobis* (n. 30), Pii VI Instr. 28 maii 1793 (n. 35), S. Poenit. Instr. 15 januar. 1866 (sup. p. 9 not. 2).

(2) Vid. Ben. XIV cit. litt. *Redditae sunt Nobis*, et S. Poenit. cit. Instr. a. 1866.

(3) Cf. etiam n. 571, et S. C. de Prop. Fide 20 febr. 1801, ap. Perron. *De matr. christ.* ed. Rom. t. 2, p. 292 sq.

(4) Vid. Ben. XIV citt. litt. *Redditae sunt Nobis*, Pii IX breve *Ad Ap. Sedis* 22 aug. 1851 (n. 7), litt. 19 sept. 1852 ad regem Sardiniae (n. 53), Allocut. 27 sept. 1852 (n. 54), Syllabi a. 1864 prop. 66, 71, 73, S. Poenit. cit. Instr. a. 1866, S. C. C. 31 jul. 1867, ap. *Acta S. Sedis*, t. 3, p. 243 sq.

monii unice repetatur ex forma ecclesiastica externa, in qua matrimonium fuerit celebratum, figuram illam seu speciem, saltem pro iis qui decreto *Tametsi* sunt subjecti, non habet nisi matrimonium in forma Tridentina celebratum, licet aliunde invalidum; eam vero non habet matrimonium absque forma Tridentina celebratum et idcirco invalidum. In hoc sensu non pauci speciem seu figuram matrimonii intelligunt, uti videre est apud eos, qui publicam honestatem ex matrimonio ob clandestinitatem invalido oriri negant (n. 405). E contra, si matrimonii species seu figura putetur consistere in externe manifestato mutuo consensu, quo, licet vinculum non inducente, utpote propter impedimentum nullo et irrito, externa tamen adsit matrimonii imitatio seu adumbratio seu forma generalius accepta; tum quidem haec species seu figura seu forma generalius accepta aderit in matrimonio etiam clandestino. Generaliori hoc sensu non pauci intelligunt figuram seu speciem matrimonii, praesertim ubi ex matrimonio propter clandestinitatem invalido publicam honestatem oriri volunt (n. 406). Revera in matrimoniis ob clandestinitatem irritis figuram hujusmodi seu speciem matrimonii agnosci, deducitur ex Sedis Ap. decisionibus affirmantibus publicae honestatis impedimentum ex iis oriri (n. 400 sqq.).

Quo posito, videtur dicendum (1), etiam in matrimonio mere civili figuram ejusmodi seu speciem adesse; quod pariter insinuant tria S. Poenit. rescripta citata n. 401 sq. Ad eam autem excludendam non videtur sufficere difficultas, quae peti potest ex S. C. C. in *Treviren. Dubium matrimonii* 29 januar. 1853 (n. 592). Ex alia vero parte argumentum pro eadem affirmanda cum nonnullis duci nequit ex eo, quod S. Sedes interdum sanet in radice matrimonium mere civile; extrinseca enim species matrimonii

(1) Cf. Avanzini, Camment. ad const. *Ap. Sedis* ed. 2, p. 29 sq., Giovine, t. 1, p. 409. Godschalk, *De censuris in particulari*, Gestel S. Michaëlis, 1874, p. 100 sq., de Angelis t. 3, part. 1, p. 135, 331 sq. Inter contradicentes sunt editores *Act. S. Sedis* t. 11, p. 41, et continuator operis Avanzini *Comment. in const.* Ap. Sedis t. 2, p. 21.

juxta multos non est conditio essentialis sanationis in radice (n. 767 sq.).

784. Ex iis quae praecedunt deducimus matrimonium mere civile saltem habere denominationem matrimonii attentati, et consequenter, 1° si concurrat cum adulterio, adesse impedimentum criminis (1). 2° Excommunicationem Ordinario reservatam incurrere etiam in locis ubi viget decretum *Tametsi* clericos in sacris constitutos vel Regulares aut Moniales, post votum solemne castitatis matrimonium, licet mere civile, contrahere praesumentes, nec non omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium quamquam mere civile contrahere praesumentes (2). 3° Supradictos clericos, si mere civile matrimonium consumment, contrahere irregularitatem ex bigamia similitudinaria (3). 4° Affinitatem ortam ex copula habita in matrimonio mere civili ad quartum incl. gradum, non vero ad secundum tantum incl. gradum se extendere (4) 5° Ante SS. D. N. Leonis XIII decretum 17 mart. 1879 (n. 403, 785) disputabatur an et ex quo capite matrimonium mere civile induceret publicam honestatem. Diversimode solebant distinguere plures auctores, praesertim utrum necne postea intenderetur contrahi coram Ecclesia ut inde discerneretur an civile illud matrimonium haberet rationem sponsalium, an vero matrimonii clandestini (5). Ceterum, quoties verus consensus deerat, et nihil nisi civilis ceremonia intendebatur, nullus erat publicae honestati locus.

(1) Cf. n. 451 in fine, 457, Giovine, t. 1, p. 409, van de Burgt, *De matr.* n. 141, de Angelis, t. 3, part. 1, p. 139, ubi S. Poenit.

(2) Cf. n. 504, 514, Avanzini et Godschalk ll. cc., de Angelis l. c. p. 138 sq. coll. t. 2, part. 1, p. 35, contin. Avanzini t. 2, p. 19 sqq., *Nouv. rev. th.* t. 11, p. 62 sqq., t. 15, p. 230 (234) sqq. Haec sententia auctoritate Ap. est firmata; vid. S. Off. 22 dec. 1880, ap. contin. Avanzini l. c. p. 21 sq., *Acta S. Sedis* t. 15, p. 536 sqq., *Nouv. rev. th.* t. 15, p. 239 (243) sqq., Vering, *Archiv* t. 46, p. 24 sqq., t. 50, p. 441 sqq. In sensu contrario scripserant *Acta S. Sedis* t. 11, p. 38 sqq., cf. etiam contin. commentarii Avanzini, t. 2, p. 22.

(3) Cf. de Angelis t. 1, part. 1, p. 303 sq., t. 3, part. 1, p. 139, 175.

(4) Cf. n. 378, de Angelis t. 3, part. I, p. 138, 231 sq.

(5) Cf. Carr. n. 365, 822, tr. Mechl. n. 3, 80, Giovine t. 1, p. 540, t. 2,

Vis sponsalium matrimonio, ut vocant, civili omnino erat neganda (1). Ipsi imprimis civili ceremoniae haec vis esse non poterat, tum quia in ea proferuntur verba de praesenti, tum quia mere civili ceremoniae qua tali vis nulla in hac re potest agnosci. Nec poterat repeti ex intentione partium; hae enim non solum non considerant civilem actum tamquam contractum sponsalitium, sed nec mentem sponsalitiam externe manifestant. Quodsi civile illud matrimonium consideretur ut matrimonium clandestinum, rursus vim sponsalium in locis, ubi decretum *Tametsi* obligat, non habebat, nisi, ut communiter tradebatur, ageretur de duobus impuberibus vel pubere et impubere, vim sponsalium non excludentibus (n. 282, 398, 400 in fine, 534 sq). In solo igitur isto casu tamquam ex sponsalibus dici poterat oriri publica honestas. In reliquis vero unice perpendendum videbatur, an civilis ejusmodi celebratio tamquam matrimonium clandestinum considerari posset. Ut autem ii, qui sive jam contraxerant sive postea contrahebant in forma Tridentina, dici non poterant clandestine contrahere coram magistratu, ita contrarium affirmandum videbatur de iis, qui coram eo solo contrahebant. Unde non intentio civiliter contrahentium, sed factum ipsum considerari debebat utrum necne celebrationem coram parocho et testibus revera omisissent.

Quod autem hanc omittentes dici deberent clandestinum inire matrimonium, negari non posse existimamus, quum idipsum praedicandum sit de iis, qui consensum per verba de praesenti praestant, solis vel nullis testibus adhibitis. Jamvero, juxta exposita n. 400 sqq., ex matrimonio clandestino oritur publica honestas ad quartum incl. gradum. Haec ergo oriebatur etiam ex matrimonio mere civili, et nihil in contrarium poterat adduci, quod

p. 49, van de Burgt, *De matr.* n. 181, Scavin. t. 4, n. 463, alios ap. *Nouv. rev. th.* t. 2, p. 572, t. 4, p. 229 sqq., Gury et Baller. ed. 1866, t. 2, n. 730, 819, coll. tamen Baller. ad eadem loca ed. 1869.

(1) Cf. Avanzini et *Nouv. rev. th.* ll. cc.

non posset adduci contra publicam honestatem ex matrimonio clandestino universe.

785. Nec dici poterat 1° effectum aliquem ita tribui matrimonio civili, quum tamen Pontifices saepissime declaraverint esse actum mere civilem. Manebat enim verum et verissimum, meram esse ceremoniam civilem, eosque qui, decreto *Tametsi* ligati, nonnisi civiliter contrahunt, esse in mero concubinatu; publicae autem honestatis existentia non producebatur a solemnitatibus illis civilibus, sed ab ecclesiastica lege, quae naturali consensui, si vere existebat, etiam in ejusmodi matrimoniis effectum illum tribuebat (1), ut in doctrina a nobis adoptata facit pro matrimonio ob clandestinitatem invalido universe. Neque excludi poterat publica honestas dicendo 2°, ejusmodi matrimonium, licet forte non desit consensus naturalis, irritum tamen dici defectu consensus; respondetur enim eodem modo quo sup. n. 406, ubi generatim de matrimonio clandestino (2). Neque dici poterat 3°, naturalem etiam consensum deesse. Respondetur enim, *a)* etiam in matrimonio clandestino universe, non obstante ejus invaliditate, per se non excludi consensum naturalem, quum ex eo oriatur publica honestas, dummodo aliunde consensus non deficiat. *b)* Non raro matrimonium etiam mere civile sanari in radice, quod fieri non posset deficiente consensu naturali (n. 768). *c)* De cetero responsionem contineri dictis n. 407. Si demum diceretur 4° speciem externam seu figuram matrimonii deesse, respondebatur non esse majorem in matrimonio clandestino universe, seu coram solis testibus vel nullis testibus inito, ex quo tamen, juxta doctrinam supra admissam, oritur publica honestas. Id vero unum quaeri, an matrimonium mere civile sit irritum defectu consensus; hoc

(1) Cf. Ballerin. ad Gury, ed. 1866, ll. cc., quamquam sententiam suam de publicae honestatis ortu ex matrimonio mere civili, imo universe ex invalido propter clandestinitatem, mutavit iisdem locis ed. 1869; cf. sup. n. 399 sq.

(2) Simili quoad matrimonium clandestinum objectioni simili ratione jam respondit Kugler, *Opusc. de sponsalibus*, part. 2, q. 8, n. 84, 86.

autem dici non posse vidimus. Quare dato etiam, matrimonium civiliter tantum attentatum a catholicis decreto Trid. ligatis notorie esse nullum (1), nullatenus id impediebat quominus diceretur matrimonium clandestinum, ad inducendam publicam honestatem ad quartum incl. gradum, quia non est irritum defectu consensus.

Atque haec hactenus de tempore antecedente cit. decretum SS. D. N. Leonis XIII, quod constituit ex actu mere civili non oriri publicam honestatem. Declarat enim ac statuit « praememoratum actum, qui vulgo dicitur matrimonium civile, in locis ubi promulgatum est decretum Conc. Trid. sess. 24 c. 1 de reform. matr., sive fideles actum ipsum explentes intendant uti par est, (matrimonio ecclesiastico jam rite celebrato, vel cum animo illud quantocius celebrandi) meram caeremoniam civilem peragere, sive intendant sponsalia de futuro inire, sive tandem ex ignorantia, aut in spretum ecclesiasticarum legum intendant matrimonium de praesenti contrahere, impedimentum justitiae publicae honestatis non producere (2). » Huic itaque, etiam pro impuberibus, locus amplius non est, et excluduntur quoque variae distinctiones quas olim faciebant auctores. Decretum tamen illud respicit unicum casum de quo agit, et reliquas de matrimonio, ut vocant, civili quaestiones intactas relinquit; alii autem ei tribuunt indolem merae declarationis, per quam etiam excludatur figura matrimonii; alii vero sentiunt novam disciplinam induci pro futuro et non decidi quaestionem de figura matrimonii; hucusque autem his adstipulamur (3).

(1) An pro declaranda nullitate matrimonii clandestini, etiam mere civilis, in ejusmodi quoque circumstantiis sit observanda forma Benedictina, vid. n. 592, Aliam quaestionem circa indulta episcoporum habes n. 625.

(2) *Thes. S. C. C.* t. 138.

(3) Cf. n. 398, 403, 535, de Angelis t. 3, part. 1, p. 128 sqq.

APPENDIX.

I.

1. *Card. Praefecti S. C. de Prop. Fide litt.* 25 *aug.* 1781 *ad archipresb. Batavic. A. E. Meylink.*

« Antequam de matrimoniis Jansenistarum S. haec C. suam proferat sententiam, quaedam a Te quaerere oportet, ut quum hujusmodi negotium magni momenti sit, aequali pariter maturitate, ac diligentia definiatur. Nunc enim non modo quaeris de singulari casu unius matrimonii a Jansenista quodam initi, quemadmodum prioribus literis die 26 Dec. elapsi anni ad Ap. Nuntium Bruxellensem scripseras, sed de omnibus Jansenistarum matrimoniis generatim exposcis, tum in tua epistola die XI Maii ad eumdem Nuncium, tum in altera die X Julii ad nos scripta, quid sentiendum sit, num ea valida reputari possint, si coram ministro acatholico celebrata fuerint. et num illi inter eorum haereticorum classem recenseantur, de quibus statuit declaratio S. M. Ben. PP. XIV, ut siquidem inter utramque partem haereticam, aut alteram haereticam, alteramque catholicam ineantur, pro ratis ac firmis haberi debeant, quamvis nec parochus, nec testes interfuerint, secus vero, si ab utraque parte catholica contrahantur. Te enim profecto latere nequit, quae potissimum ratio fuerit, cur ita ab immortali illo Pontifice de haereticorum matrimoniis sancitum fuerit. Equidem puto, legisse Te, quae idem sapientissimus Pontifex de tota hac controversia in suo commentario de Syn. Dioec. L. VI c. VI § 12 scriptum reliquit. Potisssima enim ratio, quae ibi describitur, ut tam haereticorum matrimonia, quam haeretici cum catholico conjuge valida declarata sunt, in eo constituta videtur, quod haeretici a Tridentini Concilii lege c. 1 Sess. 24 de Ref. matr. soluti sint, atque propterea si catholicus conjux cum haeretico contrahat, quoniam horum alter, scil. haereticus, tum ratione loci, in quo habitat, tum ratione societatis, in qua vivit, exemptus sit a Trid. Synodi lege, exemptio, qua ipse fruitur, alteri parti communicata

remanet, propter individualitatem contractus, vi cujus exemptio, quae uni ex partibus competit, ad alteram, secundum etiam civiles leges extenditur, eidemque communicatur. Vides igitur in casu Jansenistarum a Te proposito, non id solum quaerendum esse, num Ultrajectini, qui ab Apostolicae Romanae Sedis unitate, et communione defecerunt, inter haereticos Jansenistas referendi sint, et pro haereticis passim in Foederati Belgii provinciis habeantur, sed illud etiam est perpendendum, num in ipsorum societate Trid. Conc. lex, et praedicta Ben. XIV declaratio vim habeant, et in ipsorum matrimoniis coram suis presbyteris initis exactissime custodiantur. In hanc autem rem operae pretium esse duco prae oculis habere pseudo-synodum Ultrajecti anno 1763 habitam, quae c. VIII de Sacr. matr. § 1 haec habet = Declarat haec Synodus, se sine ulla haesitatione, saltem in ratione contractus, omnino pro validis habere matrimonia secundum leges hujus patriae contracta, inter acatholicos, necnon illa matrimonia, quae contrahuntur inter catholicos et acatholicos, licet forma a Conc. Trid. praescripta non fuerit in iis celebrandis servata =. Sequenti vero § ad uberiorem fidelium instructionem, et ne haec definitio quibusdam ut minus tuta videatur, continenter adjungitur eadem Ben. XIV declaratio. Hinc igitur consequi videretur, Ultrajectinos, illosque, qui eorum communioni adhaerent, sese obstrinxisse ad observandam Conc. Trid. sanctionem de clandestinis nuptiis; vel enim sibi larvam catholicorum imponunt, et catholicos se esse jactant, et ea lege obstricti sunt, quam de clandestinis nuptiis tulit Conc. Trid., quamque in Foederati Belgii provinciis, inter quas Ultrajectum adnumeratur, pro matrimoniis inter contrahentes utrumque catholicos vim habere non ambigitur, juxta ea, quae tradit Ben. XIV in laudato loco § XIII, vel si pro haereticis haberi malunt, et ipsimet sua sese lege obligarunt, eo scil. decreto, quod in ipsorum pseudo-synodo ediderunt.

Consuetudo quoque atque usus maximi momenti est, ac diligenter perpendenda. Nam cum inter catholicos Ultrajectinos, antequam Jansenistarum pestis eos inficeret, quemadmodum etiam in caeteris Foederati Belgii provinciis, saltem postquam a catholici principis dominatione sese subduxerunt, decretum Conc. Trid. rite publicatum fuisse constet, ut inquit eodem loco Ben. XIV, investigandum propterea est, an etiamnum inter Ultrajectinos, eorumque asseclas, qui Romanam Ecclesiam catholicae unitatis centrum deseruere, sic Tridentini lex

vigeat, ut matrimonia, quae contra ejus formam inita sunt, irrita censeantur. Oportet igitur, ut tuam de his rebus sententiam promas, nobisque diligenter perscribas.

Verumtamen si praeterea de Ultrajectinis, aliisque ejusdem furfuris hominibus a Romana communione sejunctis, judicandum esset, utrum referri debeant in haereticorum classem, quam Ben. XIV declaravit a Tridentini lege solutam, oporteret etiam, ut adhuc explicares enucleatius, quae apud catholicos Foederati Belgii de eisdem feratur opinio. In epistola enim die XI elapsi Maii a Te ad Nuntium Bruxellensem data, videris ipse dubitare, quid per ro acatholicos Ben. XIV intellexerit. Et scite quidem hoc dubium moves; neque enim leve discrimen intercedit inter haereticos, ac schismaticos, et adversus Rom. Ecclesiam inobedientes, et refractarios. Videndum quoque esset, num illis, qui Ultrajectinorum communioni adhaerent, in societatem quamdam haereticorum coaluerint, et palam ac notorie pro haereticis habeantur, quemadmodam profecto haberi deberent, si omnes Jansenianam haeresim profiterentur. De his nos instruere non graveris : et quidquid demum ad hanc quaestionem, quae non in uno, alteroque casu posita est, sed omnia generatim complectitur Ultrajectinorum matrimonia, enucleandam, tuo quidem judicio, aliquatenus valere poterit, S. huic C. aperire necesse est, ut, causa perspicue cognita, quid agendum sit, rite ac recte statuere possit.

D. O. M. precor, ut Te strenuum, atque egregium animarum pastorem diutissime servet incolumem. Romae 25 Aug. 1781. D. T. Studiosus L. Card. Antonellus Praefus. S. Borgia Srius. »

2. *Vice-Superioris Missionum Hollandiae litt.* 13 *aug.* 1810 *et S. C. de P. F. rescr.* 1 *junii* 1809.

« In Congr. EEmorum et RRmorum DD. Cardinalium habita Romae die 1a junii elapsi anni 1809, coram SS. D. N. Pio Div. Prov. PP. VII examinata fuit quaestio de validitate aut nullitate matrimoniorum, quae Jansenistae in Hollandia contrahunt coram suis pseudo-pastoribus aut inter ipsosmet aut cum personis catholicis, et auditis explicationibus per me infrascriptum humiliter transmissis, Sanctitas Sua, praehabitis praelaudatorum EEmorum et RRmorum DD. Cardinalium sententiis, decrevit, ac definivit certiorem me esse faciendum, atque per me certïores faciendos RR. DD. pastores catholicos Missionum, quod si aliquis Jansenista se convertit, atque ad Sanctae Romano-Catholicae Ecclesiae sinum redeat, non debeat inquietari causa sui ma-

trimonii bona fide contracti ante suam conversionem, quin formam praescriptam a sacro Conc. Trid. Sess. 24 de Ref. matr. c. 1 servaverit. Decrevit praeterea Sanctitas Sua, ac definivit, esse eodem tempore praemonendos RR. DD. pastores catholicos Missionum, ut debeant ipsi a promovendis quaestionibus, ac disputationibus circa validitatem, aut nullitatem horum matrimoniorum se abstinere, sed unice magno cum zelo, atque studio curare, ut per opportunas admonitiones, efficacesque instructiones catholici a contrahendis cum quovis acatholico nuptiis adeo vituperabilibus, atque per omnes leges divinas, et humanas reprobatis arceantur.

Quod si autem in aliquo casu particulari ob particulares rationes dubitari posset de validitate alicujus matrimonii Jansenistarum, decrevit idem SS. D. N., ac definivit, ad S. Sedem a RR. DD, pastoribus Missionariis habendum esse recursum, Eidemque causas speciales dubii oborti una cum omnibus suis circumstantiis distincte exponendas, ut opportuna super puncto controverso resolutio obtineri possit.

Haec omnia ex literis S. C. de P. F. ad me sub die 3 suprad mensis junii elapsi anni 1809 datis, sunt fideliter deprompta. Dat. Amstelodami hac die 13 aug. 1810. Aloysius Ciamberlani Vice-Superior Missionum.»

II.

S. Off. Instr. 22 *junii* 1822.

«Ingentes bellorum clades, aliaeque rerum humanarum conversiones, quibus nostra haec aetas objecta fuit, frequentes adhuc suppeditant Romae mulierum, et quandoque virorum preces, qui legali documento mortis conjugis jam diu absentis destituti, licentiam tamen sollicitant, qua sibi liceat ad alias nuptias transire. Jam vero Sedes Ap, seu suprema sacra Emorum et Rmorum S. R. E. Cardinalium ad haec deputatorum Congregatio ecclesiasticis regulis omnino insistit, ex quarum praescripto mors ex aliquot annorum decursu non praesumitur, sed probari debet. — Unde Lucii responso (c. *Dominus ext.* De secund. nupt.) a jure canonico cautum est = ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare praesumat, donec ei constet, quod ab hac (vita) migraverit conjux ejus =.

Qualis autem probationum ratio exigatur, e decreto *Cum alias Clem. perpetuis futuris temporibus valituro*, lato Fer. V. 21 aug. 1670, in Bullarium Rom. inserto habetur, ubi S. Pontifex instructionem

ponit tam in curia Emi et Rmi D. Card. Urbis Vicarii, quam in aliis curiis caeterorum Ordinariorum servandam pro examine testium ad contrahenda matrimonia inductorum.

Primo ergo authenticum ipsius obitus documentum exquiri debet, ubi haberi possit. Nam haec n. 10 et 11 praescribuntur. = Si (testis) responderit, contrahere volentes habuisse uxorem vel maritum, sed esse mortuos, interrogetur de loco et tempore, quo sunt mortui, et quomodo ipse testis sciat fuisse conjuges, et esse mortuos. Et si respondeat mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa ecclesia, vel occasione militiae sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico a rectore hospitalis, in quo praedicti decesserunt, vel a rectore ecclesiae, in qua humata fuerunt cadavera; vel si fieri potest, a duce illius cohortis, in qua descriptus erat miles Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, S. C. non intendit excludere alias probationes, quae de jure communi possunt admitti, dummodo sint legitimae et sufficientes =.

Ex postremis hisce verbis habetur regula hujus S. C. pro casibus, in quibus talia testimonia obitus authentica haberi non possunt, nempe ut suppleri valeant aliis probationibus legitimis, et sufficientibus.

Harum praecipua exurgit ex dictis testium fide dignorum : de quibus testibus sic in eadem Instr. praecipitur : = Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei, quam extranei, quia praesumuntur melius informati, et cives magis quam exteri : nec admittantur homines vagi et milites, nisi data causa et maturo consilio =.

Ubi autem de persona testimonium ferente agitur, opportune praescribitur, ut = una cum persona testis alia compareat cognita notario, et quae attestetur de nomine et cognomine ipsius testis, nec non de idoneitate ejusdem ad testimonium ferendum =.

Verum in tantis, quibus saepe hujusmodi mortis probationes premuntur, difficultatibus, S. C. nullam respuit, quae aliquid ad fidem faciendam valeat, ut perspicere possit, an pluribus quandoque concurrentibus. quae seorsim certitudinem sufficientem parere nequeunt, omnia tamen simul juncta hanc efficiant. Hinc datur locus praesumptionibus et conjecturis, quibus testium dicta confirmentur : publicae vocis, et famae ratio habetur, certa facta authentice probata, quae mortem supponant, expenduntur. Etiam contingit, ut testium fide dignorum probe informatorum dicta tempore non suspecto ab aliis per-

cepta fuerint : Testes autem immediati vel morte vel absentia, aut alia de causa audiri nequeant : Habeantur vero dicta testium de alieno dicto deponentium : qui tamen omnibus pensatis prudenti mortis secutae judicio satis esse censeantur.

Jam vero cum de re gravissima agatur (matrimonium enim jure divino indissolubile esse, dogma fidei est, atque aliud matrimonium, priore conjuge vivente, esse non potest) S. C. singulos casus expendit, auditis plurium theologorum, et jurisprudentium suffragiis, judicium denique suum pronunciat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstet quominus petenti transitus ad alia vota concedi possit. »

2. *S. Off. Instr.* 13 *maii* 1868.

« Matrimonii vinculo duos tantummodo, Christo ita docente, copulari et conjungi posse ; alterutro vero conjuge vita functo, secundas, imo et ulteriores nuptias, licitas esse, dogmatica Ecclesiae Catholicae doctrina est.

Verum ad secundas et ulteriores nuptias quod attinet, cum de re agatur quae difficultatibus ac fraudibus haud raro est obnoxia, hinc S. Sedes sedulo curavit modo Constitutionibus generalibus, saepius autem responsis in casibus particularibus datis, ut libertas novas nuptias ineundi ita cuique salva esset, ut praedicta matrimonii unitas in discrimen non adduceretur.

Inde constituta sacrorum Canonum, quibus, ut quis possit licite ad alia vota transire, exigitur quod de morte conjugis certo constet, uti cap. *Dominus*, *De secundis nuptiis*, vel quod de ipsa morte recipiatur certum nuntium, uti cap. *In praesentia*, *De sponsalibus et matrimoniis*. Inde etiam ea, quae explanatius traduntur in Instr. *Cum alias*, 21 augusti 1670, a Clem. X sancita, et in Bullario Romano inserta, super examine testium pro matrimoniis contrahendis in Curia Emi Vicarii Urbis et caeterorum Ordinariorum. Maxime vero quae propius ad rem facientia ibi habentur n^is^ 12 et 13.

Et haec quidem abunde sufficerent, si in ejusmodi causis peragendis omnimoda et absoluta certitudo de alterius conjugis obitu haberi semper posset ; sed cum id non sinant casuum propemodum infinitae vices (quod sapienter animadversum est in laudata Instr. his verbis : *Si tamen hujusmodi testimonia haberi non possunt, S. C. non intendit excludere alias probationes, quae de jure communi possunt admitti, dummodo legitimae sint et sufficientes*), sequitur, quod, stantibus licet principiis generalibus praestitutis, haud raro casus

eveniunt, in quibus Ecclesiasticorum Praesidum judicia haerere solent in vera justaque probatione dignoscenda ac statuenda; imo pro summa illa facilitate quae aetate nostra facta est, remotissimas quasque regiones adeundi, in omnes fere orbis partes homines divagentur, ejusmodi casuum multitudo adeo succrevit, ut frequentissimi hac de re ad Supremam hanc Congregationem habeantur recursus, non sine porro partium incommodo, quibus inter informationes atque Instructiones, quas pro re nata, ut aiunt, peti mittique necesse est, plurimum defluit temporis, quin possint ad optata vota convolare.

Quapropter S. eadem C. hujusmodi necessitatibus occurrere percupiens, simulque perpendens, in dissitis praesertim Missionum locis Ecclesiasticos Praesides opportunis destitui subsidiis, quibus ex gravibus difficultatibus extricare se valeant, e re esse censuit uberiorem edere Instructionem, in qua, iis quae jam tradita sunt nullo pacto abrogatis, regulae indigitentur, quas in ejusmodi casibus haec ipsa S. C. sequi solet, ut illarum ope, vel absque necessitate recursus ad S. Sedem, possint judicia ferri, vel certe, si recurrendum sit, status quaestionis ita dilucide exponatur, ut impediri longiori mora sententia non debeat. Itaque :

1. Cum de conjugis morte quaestio instituitur, notandum primo loco, quod argumentum a sola ipsius absentia quantacumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur) a sacris canonibus minime sufficiens ad justam probationem habetur. Unde s. m. Pius VI ad Archiepiscopum Pragensem die 11 julii 1789, rescripsit, solam conjugis absentiam atque omnimodum ejus silentium *satis argumentum non esse ad mortem comprobandam*, ne tum quidem, cum edicto regio conjux absens evocatus (idemque porro dicendum est, si per publicas ephemerides id factum sit) nullum suimet indicium dederit. *Quod enim non comparuerit*, idem ait Pontifex, *non magis mors in causa esse potuit, quam ejus contumacia.*

2. Hinc, ad praescriptum eorumdem sacrorum canonum, documentum authenticum obitus diligenti studio exquiri omnino debet; exaratum scil. ex regestis paroeciae, vel xenodochii, vel militiae, vel etiam, si haberi nequeat ab auctoritate Ecclesiastica, a Gubernio civili loci in quo, ut supponitur, persona obierit.

3. Porro quandoque hoc documentum haberi nequit; quo casu testium depositionibus supplendum erit. Testes vero duo saltem esse debent, jurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum

cognoverint, ac sint inter se concordes quoad locum et causam obitus, aliasque substantiales circumstantias. Qui insuper, si defuncti propinqui sint, aut socii itineris, industriae, vel etiam militiae, eo magis plurimi faciendum erit illorum testimonium.

4. Interdum unus tantum testis examinandus reperitur, et, licet ab omni jure testimonium unius ad plene probandum non admittatur, attamen ne conjux, alias nuptias inire peroptans, vitam coelibem agere cogatur, etiam unius testimonium absolute non respuit S. C. in dirimendis hujusmodi casibus, dummodo ille testis recensitis conditionibus sit praeditus, nulli exceptioni obnoxius, ac praeterea ejus depositio aliis gravibusque adminiculis fulciatur; sique alia extrinseca adminicula colligi omnino nequeant, hoc tamen certum sit, nihil in ejus testimonio reperiri quod non sit congruum atque omnino verisimile.

5. Contingit etiam ut testes omnimoda fide digni testificentur se, tempore non suspecto, mortem conjugis ex aliorum attestatione audivisse; isti autem vel quia absentes, vel quia obierint, vel aliam ob quamcumque rationabilem causam examinari nequeant; tunc dicta ex alieno ore, quatenus omnibus aliis in casu concurrentibus circumstantiis, aut saltem urgentibus, respondeant, satis esse censentur pro secutae mortis prudenti judicio.

6. Verum haud semel experientia compertum habetur, quod nec unus quidem reperiatur testis, qualis supra adstruitur. Hoc in casu probatio obitus ex conjecturis, praesumptionibus, indiciis et adjunctis quibuscumque, sedula certe et admodum cauta investigatione curanda erit, ita nimirum ut, pluribus hinc inde collectis, eorumque natura perpensa, prout scil. urgentiora vel leviora sunt, seu propiore vel remotiore nexu cum veritate mortis conjunguntur, inde prudentis viri judicium ad eamdem mortem affirmandam promoveri possit. Quapropter quandonam in singulis casibus habeatur ex hujusmodi conjecturis simul conjunctis justa probatio, id prudenti relinquendum est Judicis arbitrio; hic tamen non abs re erit plures indicare fontes, ex quibus illae, sive urgentiores, sive etiam leviores, colligi et haberi possint.

7. Itaque in primis illae praesumptiones investigandae erunt, quae personam ipsius asserti defuncti respiciunt, quaeque profecto facile haberi poterunt a conjunctis, amicis, vicinis, et quoquo modo notis utriusque conjugis. In quorum examine requiratur, ex. gr.

An ille, de cujus obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset; pie religioseque viveret, uxoremque diligeret; nullam sese occultandi causam haberet; utrum bona stabilia possideret, vel alia a suis propinquis aut aliunde sperare posset.

An discesserit annuentibus uxore et conjunctis; quae tunc ejus aetas et valetudo esset.

An aliquando, et quo loco scripserit, et num suam voluntatem quamprimum redeundi aperuerit; aliaque ejus generis indicia colligantur.

Alia ex rerum adjunctis pro varia absentiae causa colligi indicia sic poterunt :

Si ob militiam abierit, a Duce militum requiratur, quid de eo sciat; utrum alicui pugnae interfuerit; utrum ab hostibus fuerit captus; num castra deseruerit, aut destinationes periculosas habuerit, etc.

Si negotiationis causa iter susceperit, inquiratur, utrum tempore itineris gravia pericula fuerint ipsi superanda; num solus profectus fuerit, vel pluribus comitatus; utrum in regione ad quam se contulit supervenerint seditiones, bella, fames et pestilentiae, etc.

Si maritimum iter fuerit aggressus, sedula investigatio fiat, a quo portu discesserit; quinam fuerint itineris socii; quo se contulerit; quod nomen navis quam conscendit; quis ejusdem navis gubernator; an naufragium fecerit; an societas, quae navis cautionem forsan dedit, pretium ejus solverit; aliaeque circumstantiae, si quae sint, diligenter perpendantur.

8. Fama quoque aliis adjuta adminiculis argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus, nimirum : quod a duobus saltem testibus fide dignis et juratis comprobetur, qui deponant de rationabili causa ipsius famae; an eam acceperint a majori et saniori parte populi et an ipsi de eadem fama recte sentiant; nec sit dubium, illam fuisse concitatam ab illis in quorum commodum inquiritur.

9. Tandem, si opus fuerit, praetereunda non erit investigatio per publicas ephemerides, datis directori omnibus necessariis personae indiciis, nisi ob speciales circumstantias saniori ac prudentiori consilio aliter censeatur.

10. Haec omnia pro opportunitate casuum S. haec C. diligenter expendere solet; cumque de re gravissima agatur, cunctis aequa lance libratis, atque insuper auditis plurium Theologorum et Jurisprudentum suffragiis, denique suum judicium pronuntiat, an de tali

obitu satis constet, et nihil obstet quominus petenti transitus ad alias nuptias concedi possit.

11. Ex his omnibus Ecclesiastici Praesides certam desumere possunt normam, quam in hujusmodi judiciis sequantur. Quod si, non obstantibus regulis hucusque notatis, res adhuc incerta et implexa illis videatur, ad S. Sedem recurrere debebunt, actis omnibus cum ipso recursu transmissis, aut saltem diligenter expositis. "

III.

1. *Pii IX per card. Antonelli Instr.* 15 *nov.* 1858.

" Etsi SSmus D. N. Pius IX, Pontifex Maximus, gravissimis causis impulsus, aliquod immutandum esse censuerit in formula dispensationum, quae ab hac Ap. Sede conceduntur ad mixta ineunda matrimonia, veluti Amptitudo Tua ex adjecta formula intelliget, tamen idem Summus Pontifex de universi Dominici gregis salute, sibi divinitus commissa, vel maxime sollicitus, pro apostolici ministerii sui munere, non potest non summopere inculcare omnibus Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, ut sanctissima catholicae Ecclesiae de hisce conjugiis documenta integra et inviolata religiosissime serventur. Omnes enim norunt quid ipsa catholica Ecclesia de hujusmodi Catholicos inter et Acatholicos nuptiis constanter senserit, cum illas semper improbaverit, ac tamquam illicitas planeque perniciosas habuerit, tum ob flagitiosam in Divinis communionem, tum ob impendens catholico conjugi perversionis periculum, tum ob pravam sobolis institutionem. Atque huc omnino pertinent antiquissimi canones ipsa mixta connubia severe interdicentes, ac recentiores Summorum Pontificum Sanctiones, de quibus imm. mem. Benedictus XIV loquitur in suis encyclicis Litteris ad Poloniae Regni Episcopos, atque in celeberrimo opere quod de Synodo Dioecesana inscribitur. Hinc porro evenit ut haec Ap. Sedes, ad quam unice spectat potestas dispensandi super hujusmodi mixtae Religionis impedimento, si de canonum severitate aliquid remittens, mixta haec conjugia quandoque permiserit, id gravibus dumtaxat de causis aegre admodum fecit, et nonnisi sub expressa semper conditione de praemittendis necessariis opportunisque cautionibus, ut scil. non solum Catholicus conjux ab Acatholico perverti non posset, quin imo catholicus ipse conjux teneri se sciret ad Acatholicum pro viribus ab errore retra-

hendum, verum etiam, ut universa utriusque sexus proles, ex mixtis hisce matrimoniis procreanda, in sanctitate Catholicae religionis educari omnino deberet. Quae quidem cautiones remitti seu dispensari numquam possunt, cum in ipsa naturali ac Divina lege fundentur, quam Ecclesia et haec Sancta Sedes sartam tectamque tueri omni studio contendit, et contra quam sine ullo dubio gravissime peccant, qui promiscuis hisce nuptiis temere contrahendis se ac prolem exinde suscipiendam perversionis periculo committunt. Insuper, in tribuendis hujusmodi dispensationibus, praeter enunciatas cautiones quae praemitti semper debent, et super quibus dispensari nullo modo umquam potest, adjectae quoque fuere conditiones, ut haec mixta conjugia extra ecclesiam et absque Parochi benedictione ulloque alio Ecclesiastico ritu celebrari debeant. Quae quidem conditiones eo potissimum spectant, ut in catholicorum animis nunquam obliteretur memoria, tum canonum qui istiusmodi mixta matrimonia detestantur, tum constantissimi illius studii quo Sancta Mater Ecclesia nunquam destitit filios suos avertere ac deterrere ab iisdem mixtis conjugiis, in eorum et futurae prolis perniciem contrahendis.

Jam vero quod attinet ad praedictas conditiones, de his nempe mixtis nuptiis extra ecclesiam et sine Parochi benedictione alioque sacro ritu celebrandis, cum conditiones ipsae in plurimis similium dispensationum Rescriptis clare aperteque fuerint enunciatae, in aliis vero permultis Rescriptis haud explicite expressae, quamvis iisdem Rescriptis implicite continerentur, idcirco SS^mus D. N., pro summa ac singulari Sua prudentia, hanc formularum varietatem de medio tollendam existimavit, ac jussit in posterum unam eamdemque formulam esse adhibendam ab omnibus Congregationibus, per quas haec Ap. Sedes dispensationes super hoc mixtae Religionis impedimento concedere solet. Itaque, rebus omnibus maturo examine perpensis, temporumque ratione habita, et iis consideratis quae a pluribus Episcopis exposita fuere, atque in consilium adhibitis nonnullis S. R. E. Cardinalibus, idem SS^mus D. N. constituit, in harum dispensationum concessione, utendam esse formulam illius Rescripti quo, etiamsi conditiones praedictae de mixtis hisce conjugiis extra ecclesiam et absque Parochi benedictione alioque Ecclesiastico ritu celebrandis, haud aperte declarantur, tamen implicite continentur. Ac Sanctitas sua omnes Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios vehementer in Domino monet, hortatur, et excitat, eisque

mandat, ut cum ipsi in posterum hujus Rescripti formula ab hac S. Sede obtinuerint facultatem dispensandi super impedimento mixtae Religionis, in eadem facultate exsequenda numquam desistant omni cura studioque advigilare, ut sedulo quoque impleantur conditiones de mixtis hisce matrimoniis extra ecclesiam et absque Parochi benedictione alioque Ecclesiastico ritu celebrandis. Quod si in aliquibus locis Sacrorum Antistites cognoverint easdem conditiones impleri haud posse, quin graviora exinde oriantur damna ac mala, in hoc casu tantum Sanctitas Sua, ad hujusmodi majora damna ac mala vitanda, prudenti eorumdem Sacrorum Antistitum arbitrio committit, ut ipsi, salvis firmisque semper ac perdiligenter servatis cautionibus de perversionis periculo amovendo a conjuge Catholico, de conversione Acatholici conjugis ab ipso conjuge Catholico pro viribus procuranda, deque universa utriusque sexus prole in sanctitate Catholicae religionis omnino educanda, judicent quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra ecclesiam et absque Parochi benedictione impleri minime possint, et quando, in promiscuis hisce conjugiis ineundis, tolerari queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in Dioecesano Rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper Missae celebratione, ac diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum ac personarum adjunctis, atque onerata ipsorum Antistitum conscientia super omnium circumstantiarum veritate et gravitate. Summopere autem exoptat Sanctitas Sua ut iidem Sacrorum Antistites hujusmodi indulgentiam, seu potius tolerantiam, eorum arbitrio et conscientiae omnino commissam, majori quo fieri potest silentio ac secreto servent. Cum vero contingere possit, ut iidem Antistites nondum fuerint executi illa similium dispensationum Rescripta, quae ipsis ante hanc Instructionem concessa fuere, idcirco, ad omnes dubitationes amovendas, Sanctitas Sua declarandum esse jussit eosdem Antistites hanc Instructionem sequi debere in commemoratis exsequendis Rescriptis.

Nihil vero dubitat SS^mus^ D. N. quin omnes Sacrorum Antistites, ob spectatam eorum religionem, pietatem, et pastoralis muneris officium, pergant flagrantiori usque zelo Catholicos sibi concreditos a mixtis hisce conjugiis avertere, eosque accurate edocere Catholicae Ecclesiae doctrinam legesque ad eadem conjugia pertinentes, atque eidem SS. D. N. persuasissimum est, ipsos Sacrorum Antistites prae

oculis semper habituros Litteras et Instructiones, quae a suis fel. rec. praedecessoribus, ac praesertim a Pio VI (*Epist. ad Archiep. Mechliniensem Episcoposque Belgii* — Exequendo nunc — *die* 13 *jul.* 1782), Pio VII (*Epist. ad Archiep. Moguntinum* — Etsi Fraternitatis Tuae — *die* 8 *oct.* 1803), Pio VIII (*Epist. ad Archiep. Coloniensem et Episcopos Treviren., Monasterien. et Paderbornen.* — Litteris altero abhinc anno — *die* 25 *mart.* 1830; *Instructio ad eosdem Archiep. et Episcop., die* 27 *mart.* 1830), et Greg. XVI (*Epist. ad Archiep. et Episcop. Bavariae* — Summo jugiter studio — *die* 27 *maii* 1832; *Instructio ad eosdem die* 12 *sept.* 1834; *Epist. ad Archiep. et Episcop. Hungariae* — Quas vestro — *die* 30 *apr.* 1841; *Instructio die* 30 *apr.* 1841; *Instructio ad Archiep. et Episcop. Austriacae Ditionis in foederatis Germaniae partibus, die* 22 *maii* 1841) de hoc gravissimo sane argumento maximique momenti negotio ad plures Catholici Orbis Episcopos scriptae fuerunt.

Haec A. T. erant significanda jussu ipsius SS. D. N. Pii Papae IX, cui nihil potius, nihil antiquius est, quam ut Catholicae Ecclesiae doctrina ac disciplina ubique illibata custodiatur ac servetur.

Datum Romae die 15 nov. 1858. J. Card. Antonelli. »

2. *S. C. de P. F. Instr.* 25 *mart.* 1868.

« Ill^me^ ac Rev^me^ D^ne^. Post editam instructionem ad omnes Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios de dispensationibus super impedimento mixtae religionis quoad promiscua conjugia, cui sub die 15 nov. 1858, subscripsit E^mus^ ac R^mus^ D. Card. Antonelli, eae ad S. hanc C. pervenerunt notitiae, non solum circa auctam nonnullis in locis facilitatem mixta conjugia absque justa et gravi causa contrahendi, verum etiam circa dispensationes quae pro connubiis illis delegata potestate conceduntur, ut plane perspicuum sit laudatam instructionem non ubique locorum recte interpretari, sed potius ad erroneum sensum ejusdem literae ac spiritui contrarium alicubi detorqueri. Illa enim instructio expresse commemorat, quid catholica Ecclesia de hujusmodi catholicos inter atque acatholicos nuptiis constanter senserit, cum explicite tradat Ecclesiam *eas semper improbasse, ac tamquam illicitas ac perniciosas habuisse, tum ob flagitiosam in divinis communionem, tum ob impendens catholico conjugi perversionis periculum, tum ob pravam sobolis institutionem*; dein vero in Ordinariorum memoriam revocat *antiquissimos canones*, nec non *recentiores Summorum Pontificum sanctiones*, quibus *etsi ali-*

quid de severitate canonum remissum sit, adeo ut mixta conjugia quandoque permittantur, id tamen *gravibus dumtaxat de causis atque aegre admodum fit, ac nonnisi sub expressa conditione de praemittendis necessariis opportunisque cautionibus in naturali ac divino jure fundatis*; ut scil. *non solum catholicus conjux ab acatholico perverti non possit, quin imo catholicus ipse conjux teneri se sciat ad acatholicum pro viribus ab errore retrahendum, verum etiam ut universa utriusque sexus proles ex mixtis matrimoniis procreanda in sanctitate catholicae religionis educari omnino debeat.*

Quae cum ita sint, mirari omnino debuit S. haec C., quod nonnullis videri potuerit praedicta instructione principiis, quae semper S. Sedes circa mixta conjugia tenuit ac docuit, aliquo modo derogari. Ac ne forte ex perperam intellecta instructione illa, quae tamen luculentissima est, commissus tibi populus quidquam detrimenti capiat, sollicitudinem tuam enixe adhortor in Dno, ut clero ac fidelibus tuae subditis jurisdictioni, data occasione, veram Ecclesiae doctrinam ac praxim circa matrimonia mixta tradere atque inculcare studeas. Porro, quemadmodum probe cognoscis, ad matrimonium mixtum permittendum minime sufficit, ut sponsi cautiones, de quibus supra, admittere parati sint, nec non caeteras clausulas in rescriptis Ap. Sedis adhiberi solitas, sed omnino *justae gravesque* requiruntur causae ut facultas dispensandi super mixtae communionis impedimento licite executioni mandetur. Cautiones enim illae ideo naturali divinoque jure exiguntur atque ideo exigi debent, ut pericula intrinseca quae mixtis insunt matrimoniis removeantur; at vero ut gravibus fidei ac morum periculis etiam sub opportunis cautionibus fideles se exponere permittantur, grave aliquod incommodum ceteroquin haud devitandum immineat necesse est. Quod si aliquando in memorata instructione mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in Dioecesano Rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper Missae celebratione, in mixtis conjugiis contrahendis tolerari posse perhibetur, id tamen nonnisi per modum exceptionis indulgetur, ac sub conditione, *ut omnia rerum locorum ac personarum adjuncta diligentissime perpendantur, atque onerata Episcoporum conscientia super omnium circumstantiarum veritate ac gravitate.* Tantum abest ut inibi principiis, quae Sedes Ap. circa mixta connubia quovis tempore professa est, vel minimum detrahatur!

Quamobrem enixe peto a charitate tua, ut quantum cum Dno poteris fideles tibi commissos a mixtis matrimoniis contrahendis arcere satagas atque contendas, quo gravissima, quae in istis continentur, pericula praecaveantur ac devitentur. Id autem facilius assequeris, si eos opportune instruendos curaveris circa peculiarem qua tenentur obligationem Ecclesiae vocem hac in re audiendi, nec non obsequendi praepositis suis, qui strictissimam aeterno Pastorum Principi rationem essent reddituri, si matrimonia mixta non tantum ob gravissimas causas aliquando permitterent, verum etiam facile atque ad petentium libitum a fidelibus contrahi cum acatholicis tolerarent.

Precor Deum, ut Te diu sospitem servet incolumemque. Datum Romae, ex Aed. S. C. de P. F., die 25 Martii 1868. Alex. Card. Barnabò, Praef. Joannes Simeoni, Secretarius. »

3. *S. Off. litt. a.* 1862, *ex litt. S. C. de P. F. ad Vic. Ap. Mayssurii* 4 *dec.* 1862.

« Ad dubia ab A. T. proposita circa intelligentiam circularis Epistolae Em. Card. Antonelli a Secretis Status diei 15 nov. 1858, super dispensationibus ab impedimento mixtae communionis in matrimoniis, habeo Litteras Supremae Inquisitionis quas ad Te transmittam, Easdem igitur hic adjunctas recipies, earumque tenorem communicare non gravaberis aliis apostolicis Indiarum Vicariis.

Litt. S. C. S. Off. — Ex tuis litteris ad S. C. de Prop. F., Bengalori datis die 10 maii labentis anni, Suprema haec Congregatio probe intellexit quo zelo, qua dexteritate ac doctrina A. T. apostolicam visitationem peregerit, quasque, inter caetera. accuratas disquisitiones circa matrimonia mixta instituerit. Atque iisdem tuis in litteris, delibatis illis quae praedictorum matrimoniorum, vel frequentiam, vel eorum exitus, pro locorum et personarum adjunctis, aut felices aut lamentabiles attingunt, firmis cautionibus jure naturali et Divino omnino servandis, ad ea sermonem vertis quae, cum sint Ecclesiastici juris, Ap. Sedis auctoritate modificationem obtinere possunt, quatenus id Ecclesiae bono ac fidelium saluti prodesse videatur. Hujusmodi enim sunt, quae statuunt matrimonia mixta extra ecclesiam celebranda esse, et absque Parochi benedictione, vel alio Ecclesiastico ritu. Super quibus, cum ad tui aliorumque Praesulum notitiam fortuito fere, ut exponis, Instructio pervenerit Cardinalis Antonelli, sub die 15 nov. an. 1858 ad omnes Ordinarios jubente SSmo transmissa, atque in illa inveniantur quaedam, quorum interpretatio diversas inter vos, ut

asseris, induxit sententias, ita optimo sane consilio A. T., ad eorum rectam interpretationem obtinendam, ad laudatam S. Cong. recurrendum esse duxit. Ita sane diversa sentientes acquiescere tuto possunt, atque una tantum ac uniformis regula ad praxim praesertim de re tam gravi statui potest, quam quisque sibi observandam proponet.

Quare sequentia per te digna explicatu visa sunt. Et primo quidem (ut sup. p. 455 sq.)... et praxis.

Unde etiam ex dictis patet responsio ad secundum. Statim enim, ad supradicta attendendo, anxietates et dubia evanescent circa non rectam ac inde discrepantem Instructionis interpretationem, et ad practicos casus seu eventus applicationem. Quandocumque autem, ob notabilem locorum distantiam, Praesules per se causarum et circumstantiarum gravitatem et veritatem cognoscere nequeant circa mixta matrimonia Sacerdotali benedictione honestanda, poterunt per Missionarios sibi subditos haec eadem implere. qui tamen sint circa praedictas causas et Instructionem optime edocti, prudentia et zelo secundum scientiam praediti.

Quae tertio loco (ut sup. p. 456)... adjunctae intelllguntur. Sane non aliam esse Summi Pontificis mentem A. T. caeterisque apostolicis Vicariis perspectum erit, si attendas ad ea quae in apostolicis Litteris in forma Brevis Episcopo Trevirensi die 3 oct. 1853 hac super re datis habentur. Summus Pontifex Pius IX, postquam Trevirensi Ordinario indulsit ut, concurrentibus causis jam supra commemoratis, matrimoniis mixtis impertiri posset benedictio, hunc in modum prosequitur : *Quae sane conditiones* (extra ecclesiam et absque Parochi benedictione) *eo potissimum spectant, ut in animis Catholicorum nunquam obliteretur memoria Canonum qui haec detestantur connubia, et constantissimi illius studii quo S. Mater Ecclesia suos filios avertere consuevit ab iisdem nuptiis in eorum futurae prolis perniciem contrahendis.*

Ex dictis igitur (ut sup. p. 456)... Antonelli.

Ad quaestiones tandem quas veluti consectarias solvendas etiam proposuit A. T., ita S. Cong. respondendum censuit : Improbandam minime esse Missionariorum praxim qua, ad detegendam Haereticorum fraudem, qui rejecta propria uxore, cum Catholica muliere copulari praesumerent, inter alias investigationes, banna illorum publicantur, nulla tamen facta mentione religionis illorum qui nuptias sint contracturi.

Quoad dubium autem : Num Sacramenta dari possint Catholicae parti mente paratae ad eundum coram Ministro Protestante sive ante sive post catholicum matrimonium? Attendendum erit an sponsi adeant Ministrum Protestantem ut legi tantum civili satisfaciant, an vero ut in Sacris communicent. Si hoc secundum, cum Minister Heterodoxus assistat ut addictus Sacris, et pars Catholica in sua prava intentione persistat, non potest admitti ad Sacramentorum participationem usquedum a pravo resiliendo proposito vere resipiscat. Qua de re opportunum erit consulere Benedictum XIV, *De Synod. Dioeces.* lib. VI, cap. VII, § 2.

Postremo sciscitabatur : An admittenda sit pars Catholica, quae matrimonium cum Haeretico et coram Ministello contraxit (valide tamen vigore extensionis Benedictinae pro Hollandia), ad renovationem mutui consensus coram Parocho seu Missionario Catholico, qui possit etiam recitare formulam : *Ego vos conjungo...?* Insuper an ad eamdem consensus renovationem admitti possint conjuges ab haeresi conversi, qui id instanter petunt? In locis in quibus matrimonia Haereticorum inter se, sive inter unam partem Catholicam aliamque Heterodoxam contracta, etiam non servata Tridentini forma, sunt valida (dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum) nequeunt conjuges admitti ad matrimonium (jam per se indissolubile), quasi denuo contrahendum per verba mutuum de praesenti consensum exprimentia, nec formula *Ego vos conjungo in matrimonium* a Sacerdote recitanda erit. Attamen, si agatur de matrimoniis mixtis coram Haeretico Ministro jam contractis, quatenus cautiones a jure necessariae praestitae fuerint, et pars Catholica facti poenitens benedictionem petat, poterit ei, praevia absolutione a censuris, impositisque salutaribus poenitentiis, benedictio impertiri, exclusa tamen semper Missae celebratione. Pariter etiam conjugibus ab haeresi conversis, dummodo petant, impertienda erit nuptialis benedictio in Missa. Parochus vero, quovis in casu, conjuges condocefaciat ejusmodi benedictionem ad ritum unice, non ad validitatem pertinere conjugii. »

IV.

Exempla recentiora dispensationis pontificiae in matrimonio rato, non consummato.

Oriolen. Dispensationis 16 maii 1711; fuisse concessam patet ex *Abulen. Matrimonii* 26 mart. 1718 (*Thes.* t. 1).

Januen. Disp. 20 maii, 9 sept. 1719, 27 januar. 1720 (Ib. et *Anal. jur. Pont.* ser. 4, col. 2361 sq.); concessam fuisse constat ex *Pragen. Matr.* 7 jul. 1741 (*Thes.* t. 5).

Urbanien. 12 januar. 1726 (t. 3); concessam fuisse liquet ex modo cit. *Pragen.* Instructionem vero archiepiscopo Pisano datam vide in voto canonistae in citanda *Cadicen.* 1857, et cf. Zambon. v° *Dispensatio* § 12, n. 9, not. 79.

Fuisse concessam in *Chien.* 12 mart. 1729 (*Thes.* t. 4) constat ex modo cit. *Pragen.;* mentem vid. ap. Zambon. l. c. n. 11, not. 80.

Mediolanen. Matr. 24 maii 1732 (*Thes.* t. 5); fuisse concessam indicatur in *Hispalen. Disp.* 28 febr. 1739 (t. 9); varias instructiones et mentem vide ap. Zambon. l. c. n. 12, not. 81 sq.

Suadente Congr. particulari, concessa fuit in *Panormitana* 1732 et in *Januen.* mense dec. 1733; cf. cit. *Pragen.* repropositam 27 febr. 1734 (*Thes.* t. 6).

Januen. Matr. 22 aug. 5 dec. 1739, 14 januar. 1741 (t. 10); concessa dicitur in citanda *Neapolitana* 15 sept. 1827; mentem vide ap. Zambon. l. c. n. 17, not. 84 sq.

Hispalen. Disp. 9 sept. 1741 (*Thes.* t. 10).

Januen. 8 aug. 12 sept. 1773 affertur in citanda *Nicien.* et videtur tractata in Congr. particulari.

Massanen. Matr. 24 januar. 1778, 16 et 30 januar. 17 apr. 1779 (t. 47 et 48); concessa dicitur in *Januen. Matr.* 20 jul. 1793 (t. 62).

Veneta Disp. 24 mart. 1781 affertur in citanda *Nicien.* et ut concessa in *Januen. Disp.* 15 januar. 1785 (t. 54); fuisse tractatam in Congr. particulari notatur in citanda *Albinganen.*

Januen. Matr. 16 aug. 6 sept. 1783 (t. 52); concessam fuisse habetur ex ipsa causa 6 sept.

Nicien. seu Turritana Matr. 11 mart. 20 maii 1786 (t. 55); concessa dicitur in Laurentii Valenzi et Aloysii Morgante restrictu facti et juris exhibito in citanda *Taurinen.* 1 mart. 1848, p. 80, n. 103.

Romana Matr. 19 aug. 2 dec. 1786, 20 januar. 1787 (t. 55 et 56); concessa dicitur in cit *Januen.* 1793.

Santandrien seu Cubana Matr. 26 apr. 30 aug. 1788 (t. 57).

Melevitana Disp. 7 febr. 4 apr. 1789 (t. 58).

Chien. Matr. 15 dec. 1792, 21 junii, 16 aug. 1794 (t. 61 et 63).

Petita fuit in *Parisien.* a. 1801, de qua cf. votum, in ejus favorem scriptum a card. Gerdilio, ap. *Anal. jur. Pont.* ser. 3, col. 1193 sq.; resolutio nullibi reperitur notata.

Albinganen. Matr. 12 sept. 1801 (t. 67); in hac causa citatur etiam dispensatio concessa in *Tirasonen. Matr.* 18 sept. 2 oct. 1723 (t. 2); si recta est haec citatio, Pontifex in illa *Tirasonen.* dispensationem praetulit dissolutioni ex justitia propter impotentiam, pro qua S. C. responderat et consequenter abstinuerat a consulenda dispensatione, de qua in secundo dubio agebatur.

In *Januen. Disp.* 5 mart. 1802 dispensationem fuisse concessam affirmatur in *Senen. Matr.* 28 febr. 1807 (t. 73); tractata fuerit illa *Januen.* in Congr. part.

Barchinonen. Matr. 14 junii, 20 dec. 1806, 24 januar. 19 dec. 1807, 23 jan. 1808 (t. 72, 73, 74).

Januen. Disp. 9 sept. 1815 (t. 75).

Aurien. Disp. 19 dec. 1818, 6 mart. 1819 (t. 78 et 79).

Forolivien. Null. Matr. 20 sept. 1817, 16 dec. 1820. *Null. seu disp. matr.* 30 mart. 1822 (t. 77, 80, 82); concessa dicitur in *Januen. Disp. matr.* 27 apr. 1844 (t. 104).

Neapolitana Disp. 27 jul. 14 dec. 1822 (t. 82); concessa dicitur in *Theatina Disp.* 20 nov. 1824 (t. 84).

Burdigalen. Null. seu disp. matr. 9 febr. 1822, *Disp. matr.* 26 febr. 16 apr. 6 aug. 1825 (t. 82 et 85).

Neapolitana Disp. matr. 18 mart. 22 jul. 23 dec. 1826 (t. 86).

Neapolitana Disp. matr. 27 maii, 26 aug. 1826 (Ib.).

Neapolitana Disp. matr. 22 apr. 1826, 28 apr. 21 jul. 1827 (t. 86 et 87); concessa dicitur in citanda *Neapolitana* 15 sept. 1827.

Theatina Disp. 20 nov. 18 dec. 1824, 16 sept. 1826, 15 dec. 1827, 15 mart. 1828 (t. 84, 86, 87, 88).

Neapolitana Disp. matr. 15 sept. 1827, 26 januar. 20 sept. 20 dec. 1828 (t. 87 et 88). In hujus causae prima propositione refertur dispensatio concessa in *Neapolitana Disp. matr.* 22 Junii 1822; sed suspicor esse mendum typographicum, et prae oculis haberi sup. cit. *Neapolitanam* 1822.

Lunen. Sarzanen. Null. matr. 22 junii 1833 (t. 93).

Bononien. Matr. super nullitate, seu dispensatione 30 januar. 27 febr. 30 apr. 25 junii 1836 (t. 96).

Januen. Disp. matr. 27 apr. 1844 (t. 104) ut concessa refertur in citanda *S. Jacobi de Chile* 1864; quamquam in Thesauro (t. 104) non legitur S. C. consilium circa dispensationem, accuratam tamen citationem illam esse existimo.

Gandaven. Null. vel disp. matr. 17 dec 1845, tractata in Congr. part.; concessam fuisse patet ex cit. restrictu facti et juris exhibito in citanda *Taurinen.* 1 mart. 1848, p. 47, n. 56, et ex Perron. *De matr. christ.* ed. Rom. t. 3, p. 510, not. 115.

Neapolitana Matr. 2 aug. 1845, 5 dec. 1846 (t. 105 et 106).

Veronen. et Vicentina Matr. 7 aug. 1847, 27 januar. 1848 (t. 107 et 108).

Taurinen. Null. seu disp. 1 et 4 mart. 11 apr. 1848, tractata in Congr. part.; concessam fuisse liquet ex Perron. l. c.

Mandelen. Null. matr. 23 febr. 1850 (t. 109).

Romana seu Tuburtina Null. matr. super publicatione seu prosequutione processus 29 maii 1852, *Null. seu disp. matr.* 12 mart. 10 sept. 1853 (t. 111 et 112); concessam fuisse liquet ex Perron. l. c.

Camenecen. Matr. 29 apr. 1854 (t. 113).

Cadicen. Matr. 24 januar. 1857 (t. 116); concessam dicit Perron. l. c.

Bononien. Matr. 23 maii, 29 aug. 1857 (t. 116).

Neapolitana Matr. 26 sept. 1857, 27 mart. 1858, *Matr. super expensis* 27 nov. 1858 (t. 116 et 117); concessam dicit Perrone l. c.

Neapolitana 24 apr. 1858 (t. 117).

Parisien. Disp. matr. 28 mart. 1857, 26 junii 1858 (t. 116 et 117).

Leodien. Matr. 26 junii 1858 (t. 117).

Camenecen. Null. seu disp. matr. 27 aug. 1859 (t. 118).

Neapolitana Matr. 2 mart. 27 apr. 1861 (t. 120).

Neapolitana Null. seu disp. matr. 5 jul. 29 nov. 1862 (t. 121), concessam fuisse patet ex *Neapolitana Matr. super expensis* 28 maii 1864 (t. 123) et ex *Neapolitana Relaxationis testimonii status liberi* 24 sept. 1864 (ib.), quae duae causae ad primam spectant; imo Pii IX breve 9 januar. 1863, dispensationem committens archiepiscopo Neapolitano, habes ap. Giovine, t. 1, p. 476 sq.

Csanadien. Matr. 26 januar. 1861, 25 januar. 10 maii 1862, 31 januar. 6 junii 1863 (t. 120, 121, 122).

Veglien. Matr. 21 mart. 26 sept. 1863 (t. 122).

S. Jacobi de Chile Matr. 24 sept. 26 nov. 1864 (t. 123).

Patavina Matr. 23 sept. 1865, 27 januar. 1866 (t. 124 et 125).

Leodien. Matr. 12 aug. 1865, 29 aug. 1868 (t. 124 et 127).

Januen. Matr. 16 junii, 22 sept. 1866 (t. 125).

Neapolitana Matr. 18 aug. 22 dec. 1866 (ib.).

Pragen. Disp. matr. 19 aug. 1867, 18 jul. 1868 (t. 126 et 127, *Anal. jur. Pont.* ser. 11, col. 110 sqq.); exitum causae hucusque non inveni.

Judren. Disp. matr. 18 jul. 1868, 23 januar. 1869 (t. 127 et 128, *Acta S. Sedis* t. 4, p. 190 sqq., 374 sqq., *Anal. jur. Pont.* ser. 10 col. 1137 sqq.).

Csanadien. Disp. matr. 18 dec. 1869, 28 maii 1870 (*Acta S. Sedis* t. 5, p. 551 sqq.).

Alia *Matr.* 24 januar. 24 mart. 1871 (*Acta S. Sedis* t. 6, p. 461 sqq.).

Alia *Matr.* 25 januar. 1873 (Ib. t. 7, p. 491 sqq.).

Ratisbonen. Matr. 5 febr. 1 apr. 13 maii 1876 (*Thes.* t. 135, *Anal. jur. Pont.* ser. 15 col. 361 sqq., 594 sqq., *Acta S. Sedis* t. 9, p. 303 sqq.).

Tergestina Matr. 10 junii, 5 aug. 16 dec. 1876, 21 apr. 1877 (*Thes.* t. 135 et 136, *Anal. jur. Pont.* ser. 15 col. 851 sqq., ser. 16 col. 329 sqq. 560 sqq., *Acta S. Sedis* t. 10, p. 376 sqq.).

Spoletana Matr. 20 dec. 1873, 8 jul. 2 sept. 1876 (*Thes.* t. 135, *Acta S. Sedis* t. 9, p. 519 sqq.).

Burgi S. Domnini Matr. 21 apr. 25 aug. 1877 (*Thes.* t. 136, *Acta S. Sedis* t. 10, p. 435 sqq. *Anal. jur. Pont.* ser. 16 col. 568 sqq., ser. 17 col. 73 sqq.).

Florentina Matr. 27 januar. 21 apr. 1877 (*Thes.* t. 136, *Anal. jur. Pont.* ser. 16 col. 94 sqq. 584 sqq.).

Gandaven. Matr. 27 januar. 28 jul. 22 sept. 1877 (*Thes.* t. 136, *Anal. jur. Pont.* ser. 16 col. 192 sqq. 936 sqq., ser. 17 col. 264 sqq., *Acta S. Sedis* t. 10, p. 463 sqq.).

Jaurinen. et Viennen. Disp. matr. 28 jul. 15 dec. 1877, 23 mart. 1878 (*Thes.* t. 136 et 137, *Anal. jur. Pont.* ser. 16 col. 940 sqq., ser. 17 col. 685 sq., *Acta S. Sedis* t. 11, p. 109 sqq.).

Lycien. Matr. 25 jul. 1874, 30 junii, 22 sept. 1877 (*Thes.* t. 136, *Acta S. Sedis* t. 11, p. 53 sqq.).

Guatimalen. Matr. 25 januar. 28 junii 1873, *Anal. jur. Pont.* ser. 16 col. 695 sqq.).

Compostellana Disp. matr. 14 dec. 1878, 25 januar. 1879 (*Thes.* t. 137 et 138, *Anal. jur. Pont.* ser. 18 col. 229 sqq. 332 sqq., *Acta S. Sedis* t. 12, p. 339 sqq., coll. de Angelis t. 3, part. 1, p. 264).

Albinganen. Disp. matr. 25 januar. 26 apr. 1879 (*Thes.* t. 138, *Anal. jur. Pont.* ser. 18 col. 483 sqq., *Acta S. Sedis* t. 12, p. 177 sqq.).

Mechlinien. Disp. matr. 26 jul. 20 sept. 1879 (*Thes.* t. 138, *Anal. jur. Pont.* ser. 19 col. 93 sqq. 231 sqq., *Acta S. Sedis* t. 12, p. 624 sqq.).

Pisana Disp. matr. 29 maii, 24 jul. 11 dec. 1880 (*Thes.* t. 139).

Ravennaten. Matr. 11 sept. 1880, 29 januar. 1881 (*Thes.* t. 139 et 140, *Anal. jur. Pont.* ser. 20 col. 953 sqq., *Acta S. Sedis* t. 14, p. 58 sqq.).

In *Nuscana Matr.* 11 sept. 1880 resolutum fuit « non expedire » (*Thes.* t. 139, *Anal. jur. Pont.* ser. 20 col. 959 sqq., *Acta S. Sedis* t. 14, p. 148 sqq.).

Sorana Disp. matr. 12 mart. 11 junii 1881 (*Thes.* t. 140, *Anal. jur. Pont.* ser. 21 col. 855 sqq.).

Januen. Disp. matr. 12 mart. 14 maii 1881 (*Thes.* t. 140, *Anal. jur. Pont.* ser. 21, col. 699 sqq., *Acta S. Sedis* t. 14, p. 315 sqq.).

Agrien. Disp. matr. 9 apr. 6 aug. 1881 (*Thes.* t. 140, *Anal. jur. Pont.* ser. 22 col. 824 sqq., *Acta S. Sedis* t. 14, p. 354 sqq.).

Varsovien. Disp. matr. 6 aug. 1881 (*Thes.* t. 140, *Anal. jur. Pont.* ser. 22 col. 98 sqq., *Acta S. Sedis* t. 14, p. 487 sqq.).

Ventimilien. et Alexandrina Matr. 22 apr. 15 jul. 1882 (*Thes.* t. 141, *Anal. jur. Pont.* ser. 23 col. 831 sqq.).

Alia 17 mart. 2 junii 1883 (*Acta S. Sedis* t. 16, p. 196 sqq.).

Olinden. Matr. 1 sept. 1883 (*Acta S. Sedis* t. 16, p. 215 sqq.).

CORRIGENDA ET ADDENDA.

—

Pag.	2	lin.	33	prehibito	prohibito
»	86	»	27	1879,	1879, 16 dec. 1882,
				t. 138	t. 138 et 141
»	»	»	28	*Nullitatis*	*Mohilovien. seu Tiraspolen. Nullitatis*
»	»	»	29	*Acta*	*Thes.* t. 140, *Acta*
»	»	»	30	*Matrimonii*	*Gnesnen. Matrimonii*
				Acta	*Thes.* t. 141, *Acta*
»	180	»	16	accipimus.	accipimus. Ab hac tamen excipiendus est casus matrimonii, ut vocant, mere civilis, propter SS. D. N. Leonis XIII decretum 17 mart. 1879 (inf. n. 785).
»	192		ult.	adscribendum.	adscribendum At obligatio affirmatur etiam in S. Off. rescripto fer. 4, 14 nov. 1883, quod referimus in fine Corrigendorum et Addendorum.
»	208	»	4	clandestinitatem	validitatem
»	325	»	28	impedimentis	impedimentum
»	338	»	1	(3)	(3) 21 febr. 1883 (ap. *Acta S. Sedis* t. 16, p. 415 sq. *Nouv. rev. th.* t. 16, p. 263),
»	358	»	29	486	485
»	366	»	ult.	citat	citat, et t. 51, p. 209 sqq.
»	430	»	2	3)	3, p. 428 not.)
»	463	»	14	quod	quoad
»	483	»	31	138,	138 et 141,
»	»	»	32	*Matrimonii*	*Panormitana Matrimonii*
»	»	»	33	*Acta*	*Thes.* t. 140, *Acta*
»	543	»	12	impedimenti	impedimenti graduum
»	»	»	18	impedimenti	impedimenti gradnum
»	565	»	30	1881	9 jul. 1881
				Anal.	*Thes.* t. 140, *Anal.*

Pag. 600	lin. ult.	r	re
» 611		provisum (1). »	provisum (1). » Vid. etiam S. C. C. in *Valven. Dubia circa dispensationes matrimoniales quoad angustiam loci* 8 mart. 1884, ap. *Acta S. Sedis*, t. 16, p. 543 sqq.
» 631	» 18	dele 721	
» 672	» 29	penis	penes
» 708	» 32	278	278 sq.

Numero 332, ubi de Turcia, adde haec verba concilii provincialis Smyrnen. episcoporum latini ritus a. 1869, sect. 2, c. 5, n. 1 : « Cum caput *Tametsi* (Sess. 24. cap. 1. de ref. matr.) Sancti Concilii Tridentini in omnibus nostris dioecesibus et vicariatibus Apostolicis vim habere constet (excepta delegatione Apostolica Graeciae), » cet.; in Collectione Lacensi t. 6, p. 571.

Numeris 334 sq. adde hoc S. Off. rescriptum, quod legitur ap. *Nouv. rev. th.* t. 16, p. 126 sq. : « Episcopus S. Hyacinthi, in regione Canadensi, S. Inquisitionis Congni exponit quod nunc oriuntur dubia de validitate quorumdam matrimoniorum sine solemnitate a Decreto *Tametsi* Concilii Tridentini requisita contractorum in missionibus vel quasi parochiis hujusce dioecesis. Ante enim annum 1872, multa loca dioecesis S. Hyacinthi, *Cantons* seu *Townships* vulgo nuncupata, non erant adhuc in parochias canonice divisa. His in locis aderant : 1° Missiones propriè dictae, scilicet sine sacerdote residente, sed a missionario ad hoc delegato temporibus tum fixis tum inaequalibus per annum visitatae; 2° quasi-parochiae, per quas intelligi debet territorium quod quoad speciem externam plus vel minus accedebat ad similitudinem parochiae, prout habens ecclesiam prope quam sacerdos ordinarie vel saltem principaliter residebat, et limites ab Episcopo designatos. — Attamen in his missionibus et quasi-parochiis, sicut et in parochiis propriè dictis, Decretum *Tametsi* Concilii Tridentini fuerat quotannis publicatum a sacerdotibus earum curae praepositis. Ad hunc enim finem mandaverant Episcopi Provinciae Quebecensis : = Le Concile de Trente ayant déclaré par un décret solennel (*Tametsi*, sess. 24, de Reform.) nuls et invalides les mariages qui se font hors de la présence du curé et des témoins dont il marque le nombre, Nous jugeons très-important que les curés et *missionnaires* donnent connaissance au peuple d'un décret si salutaire. C'est pourquoi Nous voulons qu'ils en fassent la lecture au prône, le premier dimanche après l'Épiphanie. C'est surtout dans les paroisses ou *missions* nouvellement établies, qu'il est à propos de publier ce Décret, en conformité à ce qui est prescrit

par sa teneur même et par une réponse de la S. C. de la Propag. à l'Évêque de Québec, en date du 16 octobre 1824. = Cum autem dubitetur utrum valide publicari possit Decretum Tridentinum extra parochias propriè dictas, a S. Cgne humiliter petitur declarari : An valida fuerit promulgatio Decreti *Tametsi* Conc. Tridentini in missionibus et quasi parochiis supradictis ?

L. M. Epus S. Hyacinthi.

Apud S. Hyacinthum, die 15ª septembris 1882.

Roma, li 5 decembre 1883.

Illmo e Rmo Signore,

Gli Emi Inquisitori Generali nella Congregazione della feria IV, 14 decorso mese, si occuparono del dubbio da Lei proposto cioè : = An valida fuerit promulgatio Decreti *Tametsi* Concilii Tridentini facta in missionibus et quasi paroeciis istius diòecesis ? =

Ora al medesimo responsero : = Juxta exposita affirmative, et ad mentem =. La mente è che nei luoghi dove non si possa avere il Parroco, è valido il matrimonio celebrato coram testibus, hanno però l'obligo i contraenti di ricevere la benedizione nuziale quanto prima potranno commodamente, e di fare inscrivere il loro conjugio nei registri sacramentali della missione o chiesa piu prossima da cui dipendono.

Tale resoluzione venne confermata dal S. Padre nell' Udienza della stessa feria e giorno.

In questa intelligenza prego il Signore che lungamente La conservi e La prosperi.

Mgr Ludovico Moreau, Vesc. di S. Giacinto.

Di V. S. Affmo come Fratello

Giovanni Card. Simeoni, Praefectus

D. Archiep. Tyren., *Secrius.* »

INDEX.

Cap.	I.	De potestate statuendi impedimenta matrimonii.	1
		§ 1. Notiones praeviae et historia errorum.	
		§ 2. Soli Ecclesiae esse potestatem statuendi impedimenta dirimentia pro matrimoniis fidelium, probatur 1° auctoritate.	18
		§ 3. Soli Ecclesiae esse potestatem statuendi impedimenta dirimentia pro matrimoniis fidelium, probatur 2° ratione theologica.	40
		§ 4. De principum civilium potestate statuendi impedimenta dirimentia pro matrimoniis infidelium.	46
		§ 5. De principum civilium potestate statuendi impedimenta mere impedientia pro matrimoniis fidelium.	49
		§ 6. Quibusnam sit in Ecclesia potestas statuendi impedimenta pro matrimoniis fidelium.	51
C.	II.	De varia impedimentorum specie.	53
C.	III.	De fine impedimentorum et quinam iis ligentur.	63
C.	IV.	De impedimento erroris.	67
C.	V.	De impedimento conditionis servilis.	74
C.	VI.	De impedimento vis et metus.	77
C.	VII.	De impedimento raptus.	86
C.	VIII.	De clandestinis nuptiis universim.	111
C.	IX.	De parocho proprio, de notione domicilii et quasi domicilii, et de vagis.	122
C.	X.	De matrimonio publice nuntiando, statu libero, aliisque ante matrimonii celebrationem observandis.	151
C.	XI.	De impedimento clandestinitatis.	177
C.	XII.	De matrimoniis conscientiae et morganaticis.	226
C.	XIII.	De impedimento consanguinitatis.	230
C.	XIV.	De impedimento affinitatis	247
C.	XV.	De impedimento publicae honestatis.	257
C.	XVI.	De impedimento cognationis spiritualis.	279
C.	XVII.	De impedimento cognationis legalis.	298
C.	XVIII.	De impedimento ligaminis.	305
C.	XIX.	De impedimento criminis.	317

Cap.	XX.	De impedimento disparitatis cultus, et casu, quem vocant Apostoli.	328
C.	XXI.	De impedimento Ordinis sacri, et hujus susceptione a conjugato.	382
C.	XXII.	De impedimento voti solemnis seu professionis Religiosae, et conjugum ingressu in Religionem.	393
C.	XXIII.	De impedimento aetatis.	407
C.	XXIV.	De impedimento impotentiae.	413
C.	XXV.	De impedimentis impedientibus.	422
C.	XXVI.	De matrimoniis mixtis.	441
C.	XXVII.	De divortiis.	461
C.	XXVIII.	De accusando matrimonio et declarando irrito.	470
C.	XXIX.	De impedimento dirimente post contractum matrimonium detecto.	493
C.	XXX.	De potestate dispensandi in impedimentis matrimonii.	500
		§ 1. Romanus Pontifex.	
		§ 2. Episcopus.	515
		§ 3. Metropolitanus, Capitulum vel Vicarius Capitularis, Vicarius generalis, Regulares.	578
		§ 4. De casu, ut vocant, perplexo.	581
C.	XXXI.	De causis dispensandi earumque verificatione.	604
		§ 1. Angustia loci.	607
		§ 2. Defectus vel incompetentia dotis.	613
		§ 3. Bonum pacis.	620
		§ 4. Vidua filiis gravata.	623
		§ 5. Aetas oratricis.	625
		§ 6. Periculum fidei.	628
		§ 7. Ex certis rationabilibus causis.	630
		§ 8. Praerogativa dignitatis regiae *vel* principalis. — Conservatio illustris familiae. — Conservatio bonorum in familia.	632
		§ 9. Excellentia meritorum.	633
		§ 10. Infamia mulieris et scandala timenda ex nimia familiaritate.	634
		§ 11. Infamia mulieris et scandala timenda ex copula habita.	636
		§ 12. Matrimonium invalide contractum.	639
		§ 13. Aliae causae vel concurrentia saltem motiva.	643
		§ 14. Observationes practicae de causis dispensandi, impedimentorum propter eas dispensabilitate, earumque verificatione.	647

Cap. XXXII. De supplicatione, diversa dispensationis forma expensisque necessariis, et de exprimendis in libello supplici. 656
§ 1. De supplicatione.
§ 2. De diversa dispensationis forma et necessariis expensis. 663
§ 3. De exprimendis in libello supplici. 677
C. XXXIII. De vitiis dispensationum eorumque sanatione. 723
C. XXXIV. De dispensationis executione seu fulminatione et clausulis. 733
§ 1. Cuinam competat fulminatio.
§ 2. De praecipuis literarum Datariae clausulis. 741
§ 3. De praecipuis literarum S. Poenit. pro foro externo clausulis. 757
§ 4. De praecipuis literarum S. Poenit. pro foro conscientiae clausulis. 760
§ 5. De modo fulminandi vel dispensandi. 771
C. XXXV. De matrimonii revalidatione et in libro matrimoniorum inscriptione. 778
§ 1. De renovatione consensus pro validando matrimonio irrito ob solum defectum consensus substantialis. 779
§ 2. De renovatione consensus pro validando matrimonio irrito propter impedimentum aliud quam defectum consensus substantialis. 780
§ 3. De dispensatione in radice matrimonii seu matrimonii sanatione in radice. 787
§ 4. De forma Tridentina observanda necne, et de matrimonii in libro inscriptione. 799
C. XXXVI. De matrimonio, ut vocant, civili. 804
Appendix. 813
Corrigenda et addenda. 835